

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio III.
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція III.

S. JOSAPHAT HIEROMARTYR

DOCUMENTA ROMANA BEATIFICATIONIS
ET CANONIZATIONIS

VOL. III.

1637 - 1867

COLLEGIT, ADNOTAVIT, PARAVIT EDITIONEMQUE CURAVIT

P. ATHANASIUS G. WELYKYJ, OSBM

ROMAE 1967

PP. BASILIANI, VIA S. GIOSAFAT 8, (PIAZZA S. PRISCA)

LIBERALITATE FAMILIAE LEONIS ET MARIAE PRYSHLAK

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO III

Sectio III:

DOCUMENTA ROMANA ECCLESIAE CATHOLICAE
IN TERRIS UCRAINAE ET BIELARUSJAE
CURA PP. BASILIANORUM COLLECTA ET EDITA

BIO - HAGIOGRAPHICA

S. JOSAPHAT

Vol. III.

1637 -1867

PRIMO SAECULO A CANONIZATIONE EXPLETO

LIBERALITATE LEONIS ET MARIAE PRYSHLAK EORUMQUE
FILIORUM

КОШТАМИ РОДИНИ ЛЬВА І МАРІЇ ПРИШЛЯК

R O M A E

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio III.
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція III.

S. JOSAPHAT

HIEROMARTYR

**DOCUMENTA ROMANA BEATIFICATIONIS
ET CANONIZATIONIS**

VOL. III.

1637 - 1867

COLLEGIT, ADNOTAVIT, PARAVIT EDITIONEMQUE CURAVIT

P. ATHANASIUS G. WELYKYJ, OSBM

ROMAE 1967

PP. BASILIANI, VIA S. GIOSAFAT 8, (PIAZZA S. PRISCA)

LIBERALITATE FAMILIAE LEONIS ET MARIAE PRYSHLAK

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S. Josaphat, die 23. V. 1967.

P. PAULUS P. MYSKIW
Vicarius Generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 27. XII. 1967.

✠ ALOYSIUS CARD. VICARIUS



VETUS IMAGO S. JOSAPHAT VILNENSIS

1867 - 1967

SANCTO . JOSAPHAT . KUNCEVYCZ
PRIMO . SAECULO . A . CANONIZATIONE . VERTENTE
IN . SIGNUM . GRATITUDINIS . ET . VENERATIONIS
MELIORIS . COGNITIONIS . GRATIA
OFFERT
FAMILIA LEONIS ET MARIAE PRYSHLAK

СВЯТОМУ . ЙОСАФАТОВІ . КУНЦЕВИЧЕВІ
В . СТОЛІТТЯ . КАНОНІЗАЦІЇ
ЯК . ВИЯВ . ВДЯЧНОСТИ . І . ПОШАНИ
ДЛЯ . КРАЩОГО . ПІЗНАННЯ
ЖЕРТВУЄ
СІМ'Я ЛЬВА І МАРІЇ ПРИШЛЯК

PRAEFATIO

Tertium et ultimum volumen Documentorum beatificationis et canonizationis Sancti Josaphat apparet anno, quo centesima volvitur dies ab eius sollemni in catalogum Sanctorum inscriptione: 29 iunii 1867-29 iunii 1967. Hoc anno communitas ucraina catholica iubilaeum celebrat, suoque conterraneo honores et orationes exhibet ubique terrarum, praeunte hierarchia, sequentibus sacerdotibus et religiosis, concomitante populo Dei. Hac intentione sane ducti etiam hoc ultimum volumen apparavimus, ut nostrum contributum in hoc choro vocum laetantium. Hic annus nobis sane hoc debitum imposuit solvendum.

Sed forsitan impares essemus huic operi perficiendo, nisi nobis nobilis et generosa familia ucraina validum subsidium praebuisset, ut opus nostrum tandem aliquando in lucem prodiret. Insperate fere accidit, ut nobis de hoc opere perficiendo cogitantibus, nuntius allatus fuit de intentione Leonis et Mariae Pryshlak, conterraneis nostris, nunc in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis longinque e Patria exsulantibus, votum eorum exsolvendi Sancto Josaphat de gratiis acceptis, pro eius maiori honore. Ecce hanc intentionem eorum verbis hic transcribimus: « Sit haec parva oblatio nostra quaedam contributio pro maiori glorificatione Sancti Martyris Josaphat, ut veritas ecclesiasticae unitatis clarius pateat in toto genere humano, et praesertim in nostro populo ucraino » (ex litteris, die 15-7-1967 datis).

Huic nobili intentioni, quam nostram facimus, praesens volumen libenter Lectori et S. Josaphat cultoribus offerimus, quod etiam liberalitati Fundatorum sit laudi et gloriae, et exemplo praesentibus et posteris. Et Sancto Josaphat, simul cum nostris Lectoribus benevolis, Leonem et Ithorem utramque Mariam, matrem et filiam, protectioni commendamus.

*Sit Deo - gloria, Ecclesiae Christi - laus, Sancto Josaphat - honor,
Fundatoribus - gratitudo, Lectoribus - fructus, nobis vero - pax, opere
tandem perfecto!*

Romae, die 12/25 Novembris 1967.

In festo S. Josaphat.

« ANALECTORUM OSBM » REDACTIO

ВСТУПНЕ СЛОВО

Третій і останній том «Документів беатифікації й канонізації св. Йосафата» появляється в століття з дня його прослави, вписання у список Святих Католицької Церкви: 29 червня 1867 - 29 червня 1967 року. В цьому році українська народна католицька громада святкує ювілей, під проводом Єрархії, за участю священиків і ченців, за співпрацею мирян — цілого Божого Народу. В таких перспективах підготовляли ми видання цього тому, як наш вклад до цього хоруги святкових голосів. Саме цей ювілейний рік наклав на нас цей обов'язок.

Але ледве чи могли б були ми його виготовити, якщо б не спомогла нас у тому одна щедра і шляхетна українська сім'я, яка нашим бажанням і намірам дала спромогу їх здійснити ділом. Майже нежданно ми довідалися про намір п. Льва Пришляка та його дружини Марії, і дітей — Ігора і Марії, виповнити свою обітницю складену св. Йосафатові, за Божу опіку й ласки, виведені за його заступництвом, на його більшу прославу в Церкві Божій і в українському народі. Ось що писав Шановний Фундатор про свій намір: «Хай ця скромна пожертва причиниться до прослави і звеличення св. священикомученика Йосафата, щоб правда про церковну єдність стала краще пізнана в цілому людстві, а зокрема в нашому українському народі» (лист з 15 липня 1967 р.).

Для цього шляхетного задуму, який приймаємо за свій, ми радо віддали цей твір і підносимо його спільно читачам і шанувальникам св. Йосафата. І ми свідомі того, що з-за того діла відблиск пошани і прослави св. Йосафата впаде і на щедрих Фундаторів, та стане прикладом для сучасників і тих, що прийдуть по нас.

А спільно з нашими майбутніми читачами поручаємо молитовно Льва й Ігора, і обі Марії, матір і дочку — опіці святого Йосафата.

А Богові нехай буде — слава, Христовій Церкві — похвала, св. Йосафатові — честь, Фундаторам — шана, Читачам — користь, а нам — мир, завершивши діло!

Рим, дня 12/25 листопада 1967

В празник св. Йосафата

Редакція «Записки ЧСВВ»

Біографічна відмітка:

Лев Пришляк — уроженець Галичини, громадський діяч, фах: лісництво

Марія Горбова-Пришляк, вчителька народних шкіл

Ігор-Юрій Пришляк, студент філ. історичного факультету: араболог

Марія-Ольга Пришляк, студентка

Родина Льва і Марії Пришляк згадує, з тієї нагоди, також свого родича — ченця Василіянина, о. Івана Миколу Пришляка, в 50-ту річницю з дня його смерті: 4. 1. 1918 (помер у Лаврові, в Галичині, на 37 році життя, а 20-му чернецтва).



Foto Jos, La Vecchia, 151 Second Ave. N. Y.

VOLUMINIS FUNDATOR: FAMILIA PRYSHLAK
IHOR (filius) - MARIA (filia) - MARIA (mater et uxor) - LEO (maritus et pater)
(AMERICA - NEW YORK: 3. Д. А. НЮІОРК)

INTRODUCTIO

Praemissis illis, quae iam dicta sunt in primo et secundo volumine *Documentorum beatificationis et canonizationis S. Josaphat* de primo et secundo processu remissoriali Polocensi (an. 1628 et 1637) et documentis connexis ed annexis, nunc quaedam praemittenda sunt de ulteriore historia causae Servi Dei Josaphat, postquam secundus processus Polocensis sub fine anni 1637 Romam transmissus fuit, a novo Metropolitana Kioviensi Raphaële Korsak, causae Postulatore inde ab anno 1633.

Imprimis ulterius notatum fuit impedimentum, i.e. defectus processus s.d. « de non cultu », scilicet indebito, ad sepulchrum Servi Dei. Ideo iniunctum fuit, ut talis processus conficeretur. Hic tertius Processus Polocensis institutus fuit anno tantummodo, ut videtur, 1639, cuius textus a nobis non fuit inventus in Archivis Romanis. Tempore autumnali an. 1639 processus hic iam Romae inveniebatur et mense novembri in S.C. Rituum examinatus fuit et validus inventus, promovente ipso Raphaële Korsak, tum Romae commorante in negotiis Ecclesiae Unitae et beatificationis Josaphat, ubi etiam mense augusto 1640 pie in Domino obiit.

Post aperitionem processuum an. 1640, causa Josaphat iam veloci passu est progressa, praesertim secunda medietate anni 1642, et tandem mense decembri feliciter in portum deducta, emissionem decreti S.C. Rituum, quo martyrium et miracula Servi Dei Josaphat probata sunt; quod decretum dein in Brevi beatificationis, correctis corrigendis et servatis servandis, die 16 maii 1643 ex integro transcriptum fuit.

Celebratis sollemniis beatificationis Romae et in patria Beati Josaphat, incipit historia canonizationis Beati Josaphat, quam tamen mox exurgentia bella per quattuor lustra impediverunt.

Tantummodo anno 1662 incipiunt instantiae et litterae postulatoriae in causa canonizationis Beati Josaphat, quibus initium dedit famosus episcopus Chelmensis, Jacobus Susza (1652-1685). Inter annos 1662-1668 plures dantur postulatoriae litterae eius opera procuratae apud Nobiles, principes, Reges et Imperatores; immo ipse tribus fere annis

Romae commoratus est, ut hanc causam promoveret; ibi duo etiam edidit typis scripta. de vita B. Josaphat et Meletii Smotryckyj, quem cum voce populi alterum Paulum et Saulum Ruthenae Unionis vocat. Per quindecim fere annos (usque ad an. 1678) haec causa variis occasionibus proponebatur, sine tamen exitu positivo, sic volente Divina Providentia.

Exinde, per duo fere saecula, in hac causa notatur quaedam remissio, etsi cultus Beati florebat in Ucraina, Polonia et Bielarusa, orationibus, canticis, biographiis, peregrinationibus, indulgentiis concessis promotus. Cultus Josaphat ut Beati necessitatibus populi plene satisfacit, imo ipse in ore populorum Sanctus vocabatur et considerabatur. Multum tamen huic statui rerum contribuerunt tempora adversa huius regionis, et inde, a fine saec. XVIII, etiam persecutiones Ecclesiae Unitae eiusque destructio in vastissimis plagis Europae orientalis.

Tantummodo versus medietatem saec. XIX causa haec reviviscere cepit, et inde ab anno 1862 fuit formaliter reintroducta, instantibus Monachis Basilianis Cryptae Ferratae.

Cum ex dispositione Brevis Urbani VIII, de dat. 16-V-1643, ad sollemnem canonizationem Beati Josaphat quocumque tempore procedi potuisset, pauca tantummodo fuerunt necessaria documenta ad canonizationem apparandam. Tota causa canonizationis uno lustro (1862-1867) peracta fuit, et die 29 iunii 1867 Beatus Josaphat, simul cum aliis 24 Beatis Ecclesiae Catholicae in catalogum Sanctorum inscriptus est, die XVIII centena a martyrio SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Cum emissionem Bullae canonizationis, diei 6 juli 1867, concluditur nostra collectio, et ulterior sors Sancti Josaphat historiae et cultui universae Ecclesiae commissa manet.

Hisce limitibus circumscripti, nostrum volumen tertium Lectori benovolo praesentamus, et nobis conscius sumus nos non omni ex parte hac in re perfectos fuisse, ob varias circumstantias rerum et personarum. Imprimis felicioribus studiosis S. Josaphat quaedam relinquimus perficienda, praesertim quod spectat documenta et scripta S. Josaphat, nondum edita.

Imprimis exquirenda manent Archiva, ut inveniantur litterae postulatoriae ad beatificationem promovendam scriptae (1623-1643). Item inveniendus manet processus s.d. « de non cultu » ex anno 1639, quem tertium Polocensem vocavimus. Item, temporibus recentioribus (1862-1867) invenienda et edenda manent scripta Postulatorum causae, RR.PP.DD. M. Dombrovskyj, N. Contieri et Excell.mi D. Josephi Sembratovycz, e quibus plura minutiora et marginalia ipsi causae dignosci possint; circumstantiis personarum et Archivorum praepediti, nec non exigentiis temporum pressi, non valuimus nostrum laborem collectoris

ulterius protrahi. Si quae proinde in futuro documenta S. Josaphat spectantia inveniantur, in aliis voluminibus nostrae *Collectionis Documentorum Romanorum* publici fient iuris, suis locis et temporibus, i.e. in voluminibus, quae documenta Regum et Principum, vel Episcoporum nec non Ecclesiasticorum continent.

His dictis, iam ad conclusionem properamus, gratias persolvendo Domino Deo pro viribus et facultatibus nobis concessis, et hominibus gratum exhibendo animum pro collaboratione, comprehensione et benevolentia nobis oblata.

Et omnia cedant maiori honori Sancti Josaphat, nostri confratris et conterranei nec non Ecclesiae nostrae Ucrainae Patroni et Protectoris.

Romae, die 25 Novembris 1967.

P. ATHANASIUS G. WELYKYJ, OSBM

INDEX FONTIUM ET BIBLIOGRAPHIAE DE S. JOSAPHAT

Huic ultimo volumini Documentorum beatificationis et canonizationis S. Josaphat utile imo necessarium fore duximus etiam Indicem fontium et bibliographiae de S. Josaphat hic adiungere, quem confrater noster, nos collaborantibus, in novissima biographia Sancti, in lingua ucraina exarata, collegit et publici fecit iuris. De maioribus et principalioribus agitur operibus, maioris molis et momenti; minutiora suum adhuc bibliographum expectant.

Index hic proponitur illis linguis exaratus, quibus opera conscripta fuerunt et publici iuris facta, et tribus capitulis dispescitur: Fontes, seu eorum editiones, Biographiae, et Articuli de S. Josaphat tractantes. Singula opera secundum seriem alphabeti ucraini disposita proponuntur.

A. G. WELYKYJ, OSBM

I. FONTES

- (BARTOLINI D.), *Commentarium actorum omnium Canonizationis Sancti Josaphat Kuncewicz*, 2 vol., Romae 1868.
- (DOROŽYNSKYJ D.), *Ex actis processus Canonizationis gloriosi Martyris Josaphat Kuncevicii, Archiep. Polocensis*, (Св. Свщм. Йо-сафат Кунцевич — Матеріяли і розвідки з нагоди ювілею — зібрав о. др. Йосиф Сліпий, Львів 1925, стр. 111-232).
- (HOFMANN G.), *Der Heilige Josaphat. — Erzbischof von Polozk und Blutzeuge. Quellenschriften in Auswahl: I. Zu Josaphats Blutzugnis* (Orientalia Christiana Periodica, Nr. 6, Romae 1923, pag. 297-320); — II. *Selig-und Heiligsprechung*; — III. *Reliquien und Bildnisse* (Orientalia Christiana Periodica, vol. III, Nr. 12, Romae 1924-1925, pag. 173-239).
- (HORNYKIEWICZ THEOPHIL), *Ereignisse in der Ukraine 1914-1922, deren Bedeutung und historische Hintergründe*, Bd. II, Philadelphia 1967, Seite 395-406, N№. 407-417: Документи до віднайдення мощів у 1916 р.

- (MITNACHT ALPH., OESA), *Der Katechismus des hl. Josaphat, Erzbischof von Polotzk*, in «*Der Christliche Osten*», XV (1960), Nr. 5, Seite 92-101. *Regeln des hl. Josaphat für seine Priester*, in «*Der Christliche Osten*», XVI (1961), Seite 27-28, 50-61, 91.
- (СРПУТЕНЬ Й., ЧСБВ), *Руконисний Збірник о. П. Шуманського про св. Йосафата*, «*Записки ЧСБВ*», I, стор. 145-149, 604-627.
- (SZYMANSKI P.), *Dokumenta do dziejów Błogosławionego Józafata Kuncewicza, głównie list kanclerza Lwa Sapiehy, odpowiedź Arcybiskupa i uwagi tudzież objaśnienia, spisane przez ks. Pawła Szymanskiego* («*Przegląd Poznański*», t. XXXIV, Poznań 1862, pag. 21-50, 129, 271 ss.).
- (WELYKYJ A. G., OSBM), *S. Josaphat — Hieromartyr. Documenta Romana Beatificationis et Canonizationis* (Collegit, adnotationibus illustravit nec non introductione auxit P. Athanasius G. Welykyj, OSBM):
- Vol. I: 1623-1628, Romae 1952, pag. XXXII, 306;
- Vol. II: 1629-1637, Romae 1955, pag. XVI, 368;
- Vol. III: 1637-1867, Romae 1967, pag. XXX, 480.

II. BIOGRAPHIAE

- BŁOTNICKI FRANCISZEK, *Św. Józafat Kuncewicz, Męczennik Unii*, Lwów 1917.
- BORESKY THEODOSIA, *Life of St. Josaphat, Martyr of the Union*, New York 1955.
- GERARDI ANTONIO, *Sommaria relazione della vita e miracoli del Beato Martire Giosafat Cuncevicio*, Romae 1643.
- GUEPIN ALPHONSE, *Un Apôtre de l'Union des Eglises au XVII^e siècle — Saint Josaphat et l'Eglise Greco-Slave en Pologne et en Russie*, Paris-Poitiers, t. I-II, 1874 (ed. 1.), Paris-Poitiers, t. I, 1897, t. II, 1898 (ed. 2).
- INNERKOFER ADOLF, *Der Erschlagene Heilige zu St. Barbara in der Postgasse. Griechisch-katholischer Erzbischof und Martyrer Josaphat Kunzewytch*, Wien 1933.
- KALINKA WALERIAN, *Żywot Św. Józafata Kuncewicza Męczennika, Arcybiskupa Połockiego*, rit. gr. opowiedziany na tle Historyi Kościoła Ruskiego, według dzieła o. Alfonsa Guepin, Benedyktyna z Solesmes, z przedmową X. Kalinki C. R., Lwów 1885 (ed. 1); Lwów 1908 (ed. 2).
- CONTIERI NICOLA, *Vita di S. Giosafat, Arcivescovo e Martire Ruteno dell'Ordine di S. Basilio il Grande*, Roma 1867.

- КОВАНЕВИЧ ЄВГЕН, *Життє св. Священномученика Йосафата Кунцевича Ч. св. В. В., Архієпископа Полоцького*, Жовква 1902; 2-ге вид., Жовква 1930.
- *Життє св. Йосафата* (без автора), Львів 1910, накладом «Основи».
- *Життє св. Йосафата*, (без автора і року видання), Вінніпег, Манітоба, Канада.
- KOSINSKI ST., *Żywot i Męczeństwo B. Jozafata Biskupa y Męcenika*, szeroko zebrane przez x. Stanisława Kosinskiego Soc. Jesu, teraz dla pospolitego wiernych zbawienia krótko do druku podane przez iednego kapłana teyże Societatis za zezwoleniem przełożonych, Wilno 1665.
- КУДРИК ВАСИЛЬ, *Життя Йосафата Кунцевича*, Вінніпег, Канада, 1948.
- ЛЕВИЦЬКИЙ ЯРОСЛАВ, *Життя Апостола Унії, св. Свщ. Йосафата*, Львів 1924.
- LOOSHORN JOHANN, *Der Heilige Martyrer Josaphat Kuncewicz, Erzbischof von Polock, aus dem Basilianer-Orden, nach dem lateinischen des unierten Bischofs Jacob Susza aus dem gleichen Orden bearbeitet*, Muenchen 1898.
- MIĘCZKOWSKI DOMICIAN, *Żywot Błogosławionego Jozafata Kuncewicza, Arcybiskupa Połockiego, obrządku rusko-unickiego*, Kraków 1865.
- PANUCEVIČ VACĽAU, *sv. Jozafat, Archijapiskop Polacki* (Referat čytany na tydni Chryscijanskaj Jednasci 19. studzenia 1963), Chicago 1963.
- ПЕКАР А., ЧСВВ, *Апостол з'єдинення, Життя св. Свящ. Йосафата*, НьюЙорк 1967.
- PAVCO A., *Život Sv. Kňaza Mučenika Jozafata Kunceviča R. sv. B., Arcibiskupa Plockeho* (без дати і року видання).
- SZÁNTAY-SÉMÁN ISTVÁN, *A Szent unió Hőskora — Kuncevisz Sz. Jozafát Polocki érsek élete és Vértanúsága*, Miskolc 1943.
- SUSZA JACOBUS, *Cursus vitae et certamen Martyrii B. Josaphat Kuncevicii, Archiepiscopi Polocensis, Episcopi Vitebscensis et Mscislaviensis, Ord. D. Basilii Magni*, calamo Jacobi Susza, Epp-i Chelmensis et Belzcensis cum S.E.R. Ord. eiusdem adumbratum, Romae ex typographia Varesii 1665 (XX, 152, in 8.)
- UNGER-DREILING ERIKA, *Josaphat. Vorkaempfer und Martyrer fuer die Einheit der Christen*, Wien 1960.
- URBAN JAN T. J., *Święty Jozafat Kuncewicz. Biskup i Męczennik*, Kraków 1906 (ed. 2, Kraków 1922).

- ТРУХ Андрій Гр., *Святий Йосафат. — Історія його життя й мученицької смерті за церковну одиність*, (Світло, Мондер, Алта, Канада, 1944-1945-1946).
- Щудло М., ЧНІ, *Великий Мученик за Унію*, Йорктон 1952, в 16°, стор. 152 (англійський і укр. текст).
- Щудло Михайло, ЧНІ, *Життя св. Йосафата*, Вінніпег 1952, 16°, стор. 52.

III. ARTICULI

- ATTWATER DONALD, *St. Josaphat Kuntsevich*, in «The Golden Book of Eastern Saints», Milwaukee 1938, pag. 101-108.
- AMMANN A., S. J., *S. Giosafat, insigne promotore dell'Unità della Chiesa*, in «Incontro ai Fratelli separati di Oriente», Roma 1945, pag. 315-327.
- БАЛІК, Б., ЧСВВ, *З історії омофора і наражцї св. Йосафата*, «Записки ЧСВВ», том VI, Рим 1967.
- BEREZHNUTSKA O., *How the Relics of St. Josaphat were transfered from Vienna to Rome* («Redeemer's Voice Digest», November-December 1954, pag. 94-96), Yorkton, Canada, 1954.
- БОЦЯН Йосиф о., *Життєписи св. священомученика Йосафата* («Нива», Том VII, стор. 338-344), Львів 1911.
- БОЦЯН Йосиф, єпископ, *Великий Ювілей* (Серія статей про св. Йосафата) («Нива», 1923, стор. 385-399, 1924, стор. 2-13).
- БОЦЯН Йосиф, єп., *Перед ювілем св. священомученика Йосафата*, («Нива», 1922, ч. 11-12, стор. 385-392; 1923, ч. 1, 4, 8-9 і 10).
- БОЦЯН Йосиф, єп., *Віднайдення і розпізнання мощів св. свящ.мч. Йосафата Кунцевича (1915-1917)*, у збірнику з нагоди ювілею св. Йосафата (1623-1923), виданім під редакцією о. д-ра Йосифа Сліпого: «Святий священомученик Йосафат Кунцевич — Матеріяли і розвідки з нагоди ювілею», Львів 1925, стор. 51-85).
- БОЦЯН Йосиф, єп., *Похвальна промова про св. мученика Йосафата Кунцевича* (з вересня 1624 р. Томи Ксенікепульоса). Переклад з латинської мови, («Нива», 1924, Гомілетична частина).
- БОЦЯН О., єпископ, *Рецензія на книжку о. Георга Гофмана, Т. I., про св. Йосафата*: «Святий Йосафат, Полоцький архієпископ і Мученик», в «Orientalia christiana», Т. I., 1923, стор. 297-320, Рим 1923 («Богословія», 1924, стор. 58-61).
- БАВРИК М., ЧСВВ, *Йосафатіяна: 1922-1967*, «Записки ЧСВВ», том VI, Рим 1967.

- WAWRYK M., OSBM, *De festo S. Josaphat in Ecclesia Rutheno-Ucraina*, « *Analecta OSBM* », t. VI, Romae 1967.
- WAWRYK M., OSBM, *De officio vestitionis et professionis in Ordine Basiliano S. Josaphat*, « *Analecta OSBM* », t. VI, Romae 1967.
- WELYKYJ A., OSBM, *Historia beatificationis et canonizationis S. Josaphat*, « *Analecta OSBM* », t. VI, Romae 1967.
- WELYKYJ A., OSBM, *Documenta historiam reliquiarum S. Josaphat spectantia*, « *Analecta OSBM* », t. VI, Romae 1967.
- WELYKYJ A., OSBM, *La stampa romana del 1867 sulla canonizzazione di S. Giosafat*, « *Analecta OSBM* », t. VI, Romae 1967.
- ВЕЛИКИЙ А., ЧСВВ, *Безсторонні свідки про св. Йосафата* (« *Ковчег* », Стемфорд 1952, стор. 145-146, ч. 11).
- ВЕЛИКИЙ А. Г., ЧСВВ, *Опис похорону св. Йосафата* (« *Ковчег* », Листопад, 1953 р., стор. 86-88), Стемфорд 1953.
- WOJNAR M., OSBM, *The first Basilian General Chapter and St. Josaphat*, « *Analecta OSBM* », t. VI, Romae 1967.
- ГОВОРСКИЙ К., *Йосафатъ Кунцевичъ, полоцкій уніятскій архієпископъ*, Вильна 1865.
- ГОРДИНСЬКИЙ ЯРОСЛАВ, *Український елемент у діяльності св. свящ. Йосафата Кунцевича* (Відчит у 300-літню річницю смерті Святого) у « *Записки ЧСВВ* », Том I, стор. 364-368, Жовква 1924.
- ГОРДИНСЬКИЙ ЯРОСЛАВ, *Мова « Речул » і « Катехізму » св. Йосафата Кунцевича* (« Св. свящ. Йосафат Кунцевич — Матеріяли і Розвідки з нагоди ювілею [1623-1923] » зібрав о. др. Йосиф Сліпний, стор. 31-50), Львів 1925.
- ГОРНИКЕВИЧ МИРОН, о., *П'ять літ при гробі Святого...* (« *Нива* », Рік XXIV, Червень 1929 р., ч. 6, стор. 210-216).
- ГЕРИЧ ЮРІЙ, *Огляд богословсько-літературної діяльності Йосафата Кунцевича*, Українське видавництво « *Добра Книжеска* », Торонто, Канада, 1960.
- ДЕМЧУК ПАВЛО, ЧСВВ, *Ще в справі віднайдення моців св. Йосафата*, « *Нова Зоря* », Львів 1928, ч. 6.
- ДОРОЖИНСЬКИЙ Д., *Матеріяли ко исторіи життя и смерти св. священномученика Йосафата Кунцевича, архієпископа Полоцкого*, Львовъ 1911.
- ZAİKIN WASŁAW, *Nieco o świętym Jozafacie* (« *Wiara i Czyn* », str. 910-919), Warszawa 1928.
- ЗЯЦЬ ФЕДІР, *Святий Йосафат у моім житті*, Мюнхен-Міттенвальд 1946.
- ЖУКОВИЧЪ ПЛАТОНЪ, *О неизданныхъ сочиненияхъ Йосафата Кунцевича*

- (« *Извѣстія Отделенія Русскаго языка и Словесности Императорской Академіи наукъ* », СПбѣтсбургъ 1909, Том XIV, кн. 3, 1910, стор. 202 і сл.).
- Жуковичъ Платонъ, *Убійство Іосафата Кунцевича*, (« *Християнское Чтеніе* », 1907).
- *Іосафатъ Кунцевичъ, або якіи у католиковъ святіи*, (« *Старопогігяльнии Листи* », ч. 31, без дати друку).
- Копержинський Кость, *З історії публіцистики XVII в.* (Іосафат Кунцевич і Касіян Сакович про твори В. Суразького), в « *Записки НТШ* », т. 99, Львів 1930, стор. 81-96.
- Кояловичъ М., *Іосафатъ Кунцевичъ* (« *Вѣстникъ Юго-Западной Россіи* », том I) 1862.
- Кояловичъ М., *Іосафатъ Кунцевичъ (1579-1623)*. Из исторіи литовской церковной уніи (« *Православное Обозреніе* »), 1861.
- КРАЈСАР J., S. J., *Saint Josaphat and the Jesuits of Lithuania*, « *Analecta OSBM* », t. VI, Romae 1967.
- Левицький Ярослав, о., *Св. свящмч. Йосафат Кунцевич в світлі проповідей XVII і XVIII ст.* (« *Св. свящ. Йосафат Кунцевич — Матеріали і розвідки з нагоди ювілею [1623-1923]* », зібрав о. др. Й. Сліпий, стор. 86-110), Львів 1925.
- Лужницький Г., *Йосафатіяна*. Ряд актуальних статей поміщених в щоденнику « *Америка* » (Філадельфія, З.Д.А.), травень-жовтень 1967.
- Лукань Роман, ЧСВВ, *Життєписи св. Йосафата в 17 в.* (« *Календар Місіонаря* » на 1944 р.), Жовква 1943, стор. 25-26.
- Лукань Роман, ЧСВВ, *Перший життєпис св. Йосафата* (« *Львівські вісті* », ч. 108), Львів 1943.
- МАКАРУШКА Остап др., *Слова Климента Костецького: Слово о священномъ мученици Асафати архієпископѣ полотскомъ*, (« *Записки ЧСВВ* », Том I стор. 542-548), Жовква 1924.
- MARTINOV J., S. J., *Saint Josaphat et ses détracteurs*, « *Analecta OSBM* », t. VI, Romae 1967 (prima editio 1874).
- МАРУСИН М., о., *Пастирсько-літургїчна діяльність св. Йосафата*, « *Богословія* », т. XXXI, Рим 1967.
- МАРУСИН М., о., *У 100-ліття канонізації св. Йосафата*, « *Християнський Голос* », чч. 32-34, Мюнхен 1967 (і особно в « *Благодатна Істина* », Мюнхен 1967).
- НАЗАРКО Ір., ЧСВВ, *Сповідники св. Йосафата*, « *Записки ЧСВВ* », т. VI, Рим 1967.
- НАЗАРКО Іриней, ЧСВВ, *Посів крови* (« *Слово Доброго Пастиря* », Нью Йорк 1951, ч. 11, стор. 32).

- НАЗАРКО Ір., ЧСВВ, *Св. Йосафат Кунцевич*, в «Енциклопедія Українознавства» (Словникова частина), Париж-Нью Йорк 1965, стор. 1236-7.
- NARUSZEWICZ PIETRO-FINI GIOSUE, S. *Giosafat Kuncewycz, Arcivescovo di Polotzk, Martire*, in «*Bibliotheca Sanctorum*», vol. VI, Roma 1965, pag. 545-548.
- ПАВЛИК П., ЧСВВ, *Почитання св. Йосафата у Гроттафerratському монастирі*, «Богословія», т. XXXI, Рим 1967.
- ПАВЛИК П., ЧСВВ, *О. Микола Контієрі — Постулятор канонізації св. Йосафата*, «Богословія», т. XXXI, Рим 1967.
- PAVLYK, P., OSBM, *Nicola Contieri, il Postulatore e l'Autore della Vita di S. Giosafat*, «*Analecta OSBM*», t. VI, Romae 1967.
- ПАТРИЛО Іс., ЧСВВ, *Йосафат Кунцевич — Помічник і Архiepіскоп Полоцький*, «Записки ЧСВВ», т. VI, Рим 1967.
- ПЕТРОВЪ Н., *Уніятскій лжемученикъ Йосафатъ Кунцевичъ и посмертное чествовање его бывшими уніятами югозападной и западной Россіи* («Труди Кіевской духовной Академіи», 1867).
- РУДОВИЧ І., о., *Мученича смерть св. Йосафата, її причини і наслідки*, в «Нива», Львів 1924, стор. 54-65, 136-8, 146-153, 211-216.
- СЕМКІВ Володимир о., *Календар св. Йосафата на 1924 рік та Шематизм всіх з'єдинених єпархій*, «Добра Книжка», Львів 1924.
- СЕМЧУК СТЕПАН, *Св. Йосафат на тлі Унії* («Альманах Українських Богословів», стор. 20-30), Львів 1923.
- СКРУТЕНЬ ЙОСАФАТ, ЧСВВ, *Перший життєпис св. Йосафата* («Записки ЧСВВ», Том I, стор. 314-363), Жовква 1924.
- СКРУТЕНЬ ЙОСАФАТ, ЧСВВ, *Два життєписи св. Йосафата* («Записки ЧСВВ», Том I, стор. 569-575).
- СКРУТЕНЬ ЙОСАФАТ, ЧСВВ, *Рецензія на розвідку-статтю вп. д-ра О. Боцяна: Віднайдення і розпізнання мощів св. єрея св. Йосафата Кунцевича, 1916-1917* («Богословія», I, 284-318), у «Записки ЧСВВ», Том I (1924), стор. 157-159.
- СКРУТЕНЬ ЙОСАФАТ, ЧСВВ, *Рукописний збірник о. Павла Шиманського про св. Йосафата* («Записки ЧСВВ», Том I [1924], стор. 145-149, 604-627).
- СКРУТЕНЬ ЙОСАФАТ, ЧСВВ, *Точки до розважання на день св. Йосафата* («Записки ЧСВВ», Том I [1924], стор. 143-145).
- СКРУТЕНЬ ЙОСАФАТ, ЧСВВ, *Рідка пам'ятка по св. Йосафаті* («Записки ЧСВВ», Том I [1924], стор. 140-143).
- СКРУТЕНЬ ЙОСАФАТ, ЧСВВ, *Причинки до актів розпізнання мощів св. Йосафата*, («Записки ЧСВВ», Том I [1924], стор. 73-91).

- СКРУТЕНЬ Й., ЧСВВ, *Апостол Унії*, в «Альманах українських богословів», Львів 1923, стор. 1-19.
- СКРУТЕНЬ Йосафат, ЧСВВ, *Relacya o zamordowaniu bł. Józafata* («*Записки ЧСВВ*», Том III [1930], стор. 403-431).
- СКРУТЕНЬ Йосафат, ЧСВВ, *Знаменні черти св. Йосафата* («*Календар Місіонаря на 1922 рік*», стор. 82), Жовква 1920.
- СКРУТЕНЬ Йосафат, ЧСВВ, *Життєписи Василян* (Виїмок з рукописного збірника митр. Льва Кишки), («*Записки ЧСВВ*», Т. I., [1924], стор. 106-130).
- СКРУТЕНЬ Йосафат, ЧСВВ, *Рецензія на книжку про св. Йосафата: Der erschlagene Heilige zu St. Barbara in der Postgasse, Griechisch-katholischer Erzbischof und der Martyrer Josaphat Kuncsewytch. Skizze von P. Adolf Innerkofler, Wien 1933* («*Записки ЧСВВ*», Том VI, 1-2, стор. 400-403).
- СКРУТЕНЬ Йосафат, ЧСВВ, *Рецензія на книжку про св. Йосафата: P. Georg Hofman S. J., Der heilige Josaphat-Ruthenica* («*Записки ЧСВВ*», Том I [1924], стор. 364-368).
- СЛІПНИЙ Йосиф, о., *Богословське формування і письменницька творчість св. Йосафата Кунцевича* («*Праці Богословського наукового товариства*», Том I, стор. 233-252), Львів 1925.
- СЛІПНИЙ Йосиф, *Св. свяченомученик Йосафат Кунцевич — Матеріали і розвідки з нагоди ювілею (1623-1923)*, (зібрав о. др. Йосиф Сліпний), Львів 1925.
- СОЛОДУХ Адам, о., *Причинки до історії життя і почитання св. Йосафата в Вільні* («*Нива*» XVIII, стор. 49-53), Львів 1923.
- SPIDLIK T., S. J., *Josafat — uno «Sviatitel» ideale*, «*Analecta OSBM*», t. VI, Romae 1967.
- SCHRYVERS JOS., C.SS.R., *Vie interieure et role de St. Josaphat Kuncsewus* («*Св. свящ. Йосафат Кунцевич — Матеріали і розвідки з нагоди ювілею [1623-1923]*», зібрав о. др. Йосиф Сліпний, Львів 1925, стор. 9-30).
- ТЕОДОРОВИЧ Павло, ЧСВВ, *Рецензія на розвідку о. Йосифа Схрайверса про внутрішнє життя і ролю св. Йосафата Кунцевича — P. Jos. Schryvers, Vie interieure et role de St. Josaphat Kuncsewus* («*Записки ЧСВВ*», Том I, стор. 155-156, Жовква 1924).
- ТОЛОЧКО Вл. о., *Лист св. свящ. Йосафата* («*Богословія*», 1924, стор. 244-245).
- ТОЛОЧКО Вл., *Камінь св. Йосафата* (Легенда з околиць Витебська) («*Записки ЧСВВ*», Том III [1930], стор. 208-212).
- ТОЛОЧКО Вл., *Рецензія на статті про св. Йосафата: Й. Скрутня,*

- Апостол Унії — і Ст. Семчука, Св. Йосафат на тлі Унії («*Записки ЧСВВ*», Том I [1924], стор. 660-661).
- Толочко Вл., *Рецензія на життєпис св. Йосафата пера о. д-ра Яр. Левицького — Життя Апостола Унії св. свящ. Йосафата*, Львів 1924 («*Записки ЧСВВ*», Том I [1924], стор. 396-397).
- Трух, А., ЧСВВ, *За церковну єдність — Митрополит Рутський і Архiepиcкoп Кунцевич на службі великої ідеї*, в «*Наша Мета*», Торонто 1954, чч. 36-48, і 1955, чч. 3-32.
- FEDIUK A., OSBM, *Il poeta « Josaphatis » di G. Isakowicz, OSBM, « Analecta OSBM », t. VI, Romae 1967.*
- Фіголь В., о., *Св. Йосафат у світлі записаних свідків* («*Нива*», стор. 404-409), Львів 1938.
- Фіголь В., о., *Довкола особи св. Йосафата* («*Нива*», стор. 33-35), Львів 1939.
- FINI G., S. *Giosafat, Martire dell'Unione della Chiesa*, in «*Oikumenikon*», III (1963), pag. 420-427.
- Хома Ів., о., *Перевезення мощів св. Йосафата до Риму*, «*Богословія*», т. XXXI, Рим 1967.
- Хом'як Роман, ЧНІ, *Критичні uwagi до « Життя Йосафата Кунцевича » прот. В. Кудрика* («*Логос*», том VII, Кн. 4, 1956, стор. 296-303; Том. VIII, Кн. 2, 1957, стор. 136-146).
- Шептицький Климентій о., *Про значіння св. Йосафата в нашій церковній історії, теперішности та будучині*, в «*Нива*», Львів 1924, стор. 294-300, 327-330.
- Щудло Михайло о., ЧНІ, *Рецензія на книжку Теодосії Борецької (в англійській мові): Життя св. Йосафата*, («*Логос*», 1957, стор. 76-77).

P. MELETIUS M. SOLOVIJ, OSBM.

**DOCUMENTA ROMANA BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
S. JOSAPHAT**

VOL. III

138.

Romae, 15 . IX . 1635.

Regi Poloniae commendatur Episcopus Pinscensis in patriam rediens ad novum Processum Beatificationis S. Josaphat conficiendum.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 47rv, nr. 56.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 22v.

THEINER A., *op. cit.*, vol. III, p. 311, nr. 356.

WELKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, p. 500, nr. 434.

Charissimo in Christo filio nostro Vladislao, Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

URBANUS PP. VIII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Quod pietatis laudibus et reliquarum virtutum ornamento eximie instructus sit Venerabilis frater Raphael Episcopus Pinscensis,² tum publicam, tum pontificatus benevolentiam facile quaesivit. Quare absque honorifica paternae nostrae charitatis significatione eum istic reverti nolimus; dignum enim aestimamus, ut a nobis commendetur, et a Maiestate Tua benevole recipiatur. Aliis illius promeritis si adieceris, quod in procuranda servi Dei Iosaphat, Archiepiscopi Polocensis, apud Sedem Apostolicam beatificatione diu accurate se gessit, non dubitamus hoc etiam nomine initurum apud te gratiam, qui non semel eidem Iosaphat honores decerni tanto studio flagitasti. Caeterum Nos postulatis satisfacere plurimum cupientes, huic piae causae propensa voluntate favemus, et praecipuae nobis curae esse non levibus documentis hucusque testati sumus. Quia autem in illis, quae Dei sunt, omnem debet collocare diligentiam pastoralis nostra sollicitudo, nuper ex Decreto Congregationis, quae Sacris Ritibus praest, quaedam prorsus necessaria prius peragi mandavimus, quibus peractis decerni possit, quod Ecclesiae consentaneum sit, idque iucundum fore speramus Maiestati Tuae, cui Apostolicam benedictionem amantissime impartimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem etc., die XV Septembris MDCXXXV, Pontificatus Nostri Anno terdecimo.

¹ Quaedam documenta, quae nostram aufugerunt attentionem, quaeque in aliis voluminibus nostrae Collectionis Documentorum Romanorum iam publici iuris facta sunt, hic reimprimere opportunum duximus ob commodum lectorum.

² Raphaël Korsak, alumnus olim romanus, ex Ordine Basilianorum, dein Archimandrita Vilnensis (ab anno 1625), postea Episcopus Haliciensis et Coadiutor Metropolitae Kioviensis, et ab anno 1632 Episcopus Pinscensis; hic ab anno 1633 Romae commorabatur in causa Ecclesiae Unitae nec non Beatificationis Josaphat. Anno 1637 Coadiuto successit in Sede Metropolitana; obiit Romae anno 1640, mense Augusto. Cfr. A. G. WELKYJ, OSBM, *Annus et dies mortis Metropolitae Raphaëlis Korsak*, in « *Analecta OSBM* », vol. I, pag. 145-160, Romae 1949.

139.

Romae, 15 . IX . 1635.

Commendatur causa beatificationis Josaphat Kuncewycz Episcopo Luceoriensi Latinorum.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 48v-49, nr. 58.

BIBL. APOST. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 23v.

WELKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, p. 501, nr. 436.

Venerabili fratri Episcopo Luceoriensi.³

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Insignibus adeo laudibus efferuntur Venerabilis Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, virtutes et promerita in catholicam fidem, pro qua certavisse usque ad mortem, et a verbis impiorum et saevitia non timuisse dicitur, ut non solum Luceoriensis dioecesis, quae tantum Praesulem nascentem aluit, sed universum Poloniae Regnum, quod tot virtutum genera in optimo antistite propius suspexit, iure habeat, cur in posterum non minus illius nomine, quam amplissimi Regni opibus, et potentia gloriantur. Nobis certe iucunda iampridem accidit multorum petitio, qui perfecti decoris diadema ab Apostolica Sede eius meritis imponi cupientes, summo (r. 19) studio publicas illi aras decerni flagitarunt. Unde plerisque et non levibus documentis propensam in hanc causam voluntatem nostram testati sumus. Verum quia testium examen non rite peractum est, illud iterum confici mandavimus, quo pacto dignitati Ecclesiae, et eiusdem Famuli Dei gloriae consulimus.

Singula fusius cognosces ex Venerabili fratre Raphaele, Episcopo Pinscensi, qui ut nullam in hac re diligentiam intermisit, ita paternae nostrae erga nationem vestram charitatis, et valde propensi in huiusmodi causa animi testis ubique locuples esse poterit.

Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum ut supra.

140.

Romae, 15 . IX . 1635.

De eodem negotio etiam Episcopo Vilnensi scribitur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 49rv, nr. 59.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 23v.

WELKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, p. 502, nr. 437.

³ Boguslaus Radoszewski, Episcopus Latinorum Luceoriensis (1633-1638).

Venerabili fratri Episcopo Vilenſi.⁴

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Conspicuus est zelus Fraternitatis tuae erga Catholicam Religionem, neque lucerna tua absconditur sub modio, sed virtutum claritate palam fulget, dum Ecclesiae auctoritatem, et iura omnibus humanis rebus anteferre (f. 49v) constanter profiteris. Quare occasionem libenter amplectimur literas ad te dandi non minus indices paternae in te nostrae charitatis, quam testes pietatis tuae.

Ex Venerabili fratre Raphaelae Episcopo Pinscensi, qui in procurandis Servo Dei Josaphat Archiepiscopo Polocensi Beatorum Martyrum honoribus apud Sedem Apostolicam operam navavit, facile cognosces, Nos piis Poloniae votis in hac causa peculiariter favere, quod pluribus documentis hucusque patuit. Proinde cum plane constet, in testium examine ea servata non esse, quae adhiberi oportebat, Nos hac in re propensam voluntatem luculentius declaremus, iterum testes iuxta praescriptum ritum examinari mandavimus, ut id tandem constituetur, quod Ecclesiae consentaneum, et isti Regno acceptum esse possit.

Te, qui intelligis, nullam unquam nimiam esse diligentiam in iis rebus, quae ad Dei gloriam praecipue dirigantur, maximo studio omnia, quae ad iteratum examen conficiendum Capitulo tuo demandatur, curaturum esse pro certo habemus.

Datum ut supra.

141.

Romae, 15 . IX . 1635.

De eodem argumento tractatur etiam cum Metropolita Kioviensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 50v, nr. 61.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 24v.

WELKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, p. 503, nr. 439.

Venerabili fratri Metropolitae Russiae.⁵

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

⁴ Abrahamus Wojna, Episcopus Vilenſis (1630-1649).

⁵ Josephus Velamin Rutskyj, Metropolita Kioviensis unitus ann. 1613-1637; hic Servum Dei Josaphat anno 1617 ad Sedem Polocensem promovit, cui anno 1607 in vita religiosa secutus esset.

Pontificiae sollicitudinis oculos non latet Fraternitas Tua, cuius constantiam, et Catholicae Religionis tum propugnandae tum custodiendae studium semper magnificimus. Siquidem tamquam bonus Christi miles galeam salutis indutus, et gladio spiritus accintus cum Ecclesiae hostibus ad haeresis excidium in religiosa ista statione assidue dimicas, et muneris tibi demandati memor, quae illi temere machinantur, divina adiuvente potentia, iugiter evertis; simulque nullum intermittis laborem ut ex populis tibi creditis, tamquam ex lapidibus viventibus, et Deo acceptis aedificentur muri Hierusalem. Piis hisce conatibus strenuos illos Nehaemiae milites imitaris, qui altera quidem manu telum gerebant, altera muros Urbis construebant.

Quamobrem peculiari te charitate complectimur, et a Deo assiduis precibus flagitamus, ut laudabilem tuam in ipsius, et Ecclesiae cultum vigilantiam suo caelesti praesidio tueri velit. Propensam in te voluntatem nostram tibi renuntiabit Venerabilis frater (f. 51) Raphael, Episcopus Pincensis, ex quo etiam cognosces, quanto studio causae Servi Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, suffragemur.

Quia vero in re tanti ponderis nihil plane praetermittendum est, quod prudentia explorare, et pietas adhibere valeat, aliqua iterum peragi mandavimus, quibus rite peractis Apostolica decernet auctoritas, quod Ecclesiae consonum, et Poloniae iucundum esse possit. Fraternitati Tuae peramanter benedicimus.

Datum ut supra.

142.

Romae, 15 . IX . 1635.

Idem Pontifex de eodem argumento Episcopo Samogitiensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 51v-52, nr. 63.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 25.

WELKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, p. 505, nr. 441.

Venerabili fratri Episcopo Samogitiensi.⁶

Idem argumentum.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Eorum virtutes paterna charitate complectimur, qui publico rei christianae bono peculiariter addicti sunt. Inter quos Fraternitatem Tuam locum obtinere non ambigimus, dum in ista pastoralis statione summopere studes vitae innocentia aliis praelucere, Ecclesiae auctoritatem, et

⁶ Georgius Tyszkewycz, Episcopus Samogitiensis, dein Vilmensis (1649-1656).

iura omnibus humanis rebus anteferre, et in Catholica Religione tum custodienda, tum propaganda (f. 52) ceteris exemplar esse.

Quare in Poloniam revertente Venerabili fratre Raphael, Episcopo Pinscensi, nequaquam passi sumus opportunam benevolentiae erga te nostrae declarandae occasionem elabi. Ex eodem cognosces quam propense foveamus causae Venerabilis Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, qui sanguine in fidei testimonium effuso, hostiam viventem et immaculatam Deo obtulisse dicitur.

Quia tamen aliqua adimpleta in primo testium examini non fuerunt, quae iuxta Sacrorum Canonum sanctiones omnino adhibenda sunt, ut ea, qua par est, diligentia et dignitati Ecclesiae et eiusdem Servi Dei gloriae consultatur, iterum dicta testium recipi, et in publicum redigi documentum mandavimus; quibus rite peractis, id tandem, Deo adiuvante, constituetur, quod iucunditatem isti Regno parere possit.

Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum ut supra.

143.

1635.

De promovenda ulterius causa Beatificationis Servi Dei Josaphat.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali (Memoriali)*, vol. 398, f. 402.

WELKYTJ A. G., *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. I, p. 92, nr. 132.

Instantia Sacrae Congregationis pro Canonizatione piae Mem. Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, Rutheni Uniti.

Emientissimus D. Card. Antonius Sac. Congregationis de Prop. Fide Praefectus inhaerens instantiae eiusdem Sac. Congregationis S.mo D.no Nostro factae anno 1624, die 31 Maii, ut signare dignaretur supplicationem pro conficiendis processibus super vita, morte, et miraculis Servi Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, Rutheni Uniti, ob defensionem Primatus S. R. E. interfecti a Schismaticis, et similiter diversis aliis instantiis apud Auditores Sac. Rotae Romanae nomine eiusdem Sac. Congregationis factis pro expeditione favorabili causae Beatificationis praedicti Servi Dei Josaphat, sciensque a Sac. Rituum Congregatione expediendas esse novas remissoriales de spiritali eiusdem S. D. N. mandato ad conficiendos ultiores processus in eadem causa, auctoritate sui officii, praefecturae scilicet eiusdem Sac. Congregationis, atque etiam ipsius Sac. Congregationis nomine, pro qua de rato fecit, constituit, et deputavit Rev.mun D. Raphaëlem Korsach, Pinscensem Episcopum Ruthenum Unitum, Procuratorem spiritualem ipsius Sac. Congregationis in eadem causa ad eius nomine comparendum, dicendum, instandum, et

faciendum quaecunque fuerint necessaria, et opportuna tam pro praedicti novi processus inchoatione, prosecutione, et terminatione, quam pro ceteris aliis, usque ad finem praedictae causae faciendis, gerendis, et exequendis omni etc., et cum facultate substituendi unum vel plures procuratores ad praedicta omnia facienda, gerenda, et exequenda, etc. etc.

Datum Roma, in aedibus solitae eius habitationis, die prima Augusti 1635.

Die 24. 7bris 1635. Cong. 208.

144.

Romae, 26 . IX . 1635.

Commendatur Episcopus Pincensis Episcopo Cracoviensi in negotio Processus Beatificationis Josaphat denuo conficiendi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 50, fol. 62v-63, nr. 78.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2206, fol. 32.

WELKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, p. 509, nr. 447.

Venerabili fratri Episcopo Cracoviensi.⁷

Commendatur Episcopus Pincensis in Poloniam ad novum conficiendum

Processum in causa Servi Dei, Archiepiscopi Plocensis, regrediens.

URBANUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Revertentem in Poloniam Venerabilem fratrem Raphaellem, Episcopum Pincensem (f. 63), ita Fraternitati Tuae commendamus, ut ad te plurimum pertinere arbitremur, si quae istic aggrediatur, pro tua auctoritate sedulo promovere. Cum enim solummodo iis rebus daturus sit operam, quae ad Dei gloriam, animarum salutem, et Ecclesiae utilitatem dignitatemque spectabunt, profecto illarum curatio ingenio, pietati, ac religioni tuae maxime consentanea erit.

Hoc sane ille de tuo incenso in commune bonum studio sibi pollicetur, et Nos de praecipua, qua praeditus es in singulorum merita propensione, omnino confidimus.

Caeterum paternam nostram charitatem testari poterit Fraternitati Tuae, cui Nos prospera omnia precantes Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXVI Septembris MDCXXXV, Anno Pontificatus Nostri tertio decimo.

⁷ Jacobus Zadzik, Episcopus Cracoviensis (1634-1642), primum Cancellarius Regni Poloniae.

145.

1635.

De facultate pro Episcopo Pinscensi danda redeundi in Urbem cum novo Processu de vita et moribus Servi Dei Josaphat.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali (Memoriali)*, vol. 395, fol. 47.

WELKYJ A. G., *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. I, p. 93, nr. 133.

Eminentissimo e Rev.mo Signore.

Vescovo Pinscen. Ruteno humilissimamente supplica à V. E. che per mezzo di essa possa haver la licenza di N. S. per il ritorno per Roma dal suo vescovato col Processo fatto sopra la vita e morte del B. M. Josaphat, Arcivescovo Ruteno. Che si, etc. Quam Deus, etc. etc.

(f. 52v) All'Emin.mo e Rev.mo Sig. Cardinale Don Antonio Barberino.

Per il Vescovo Pinscen., Ruteno.

Die 12. 9bris 1635. Cong. 210.

146.

1635.

Expeditur subsidium pro beatificatione.

BIBL. VAT., *Barberinus lat.*, 6648, fol. 378.

WELKYJ A. G., *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. I, p. 94, nr. 136.

Eminen.me et Rev.me Domine.

Episcopus Pinscensis Ruthenus exponit E. V., quod novissime in negotio Servi Dei Josaphat, occasione Relationis et aliarum scripturarum, diversis ad hoc negotium spectantibus, Procuratores Causae exposuerint duocenta fere scuta monetae Romanae, iuxta copiam mihi inclusam, eademque a praedicto Episcopo repetant. Et quia ille omnino non habet, unde solvat, humillime supplicat E. V., ut ad suas heroicas eleemosynas hoc quoque beneficium pauperibus Ruthenis addere dignentur, et praedictum Episcopum iuvare, quatenus et Procuratoribus solvere possit, et negotium tanto commodius promovere. Quam Deus, etc.

(fol. 174v) All'Eminen.mo et Reverend.mo Patr. mio Colend.mo il Sig.re Cardinale Barberini. Romae.

147.

Polock, 4 . XII . 1637.

De eodem Processu Cardinalibus S. C. de Prop. Fide litterae dantur.

APF, *Scritt. rif. nelle Congreg. gen.*, vol. 137, fol. 233rv.

WELYKYJ A. G., *Epistolae Metropolitaram Kioviensium*, vol. II, p. 147, nr. 61.

Eminentissimi et R.mi Domini, Domini Colendissimi.

Nulli arbitror cordi esse errorem, illum potissimum, qui maxima secum trahit publicarum rerum incommoda. In processu supra vita, morte, et miraculis servi Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocen. Rutheni fabricando, Russia aberravit. Scilicet in illo se non esse agnoscit statu, qui iam nulli suorum obnoxius est errori. Erravit ergo, sed quoniam sua huic errori opportuna poenitentiae sunt remedia, eundem errorem iam correctum in Processu secundo fabricato,⁸ non sine labore et sudore, ad S. Sedem Apostolicam remittit. Simulque EE.VV. humillime supplicat, ut quoniam tantorum primi motores esse dignamini desideriorum, hoc tam arduum negotium eodem, quo incipere dignati estis, promovere non dedignemini zelo. Atque eo citius Processui examinando praesentem admoveatis Eminentissimi D.D. intercessoriam apud S.D.N. auctoritatem, quanto seduliorum, iuribus et stylo Apostolicae Curiae ad amussim observando, invigilatum esse reapse agnoscetis. D. Deus in reliquo loquatur ad cor EE.DD.VV. quae ad Unionem Ruthenorum sub onere ac dolore gementem aptissima sibi videbuntur. Quam dum toto cordis affectu EE.VV. presento, S. earundem Purpuram humillimo veneror osculo.

Polociae, 4 Decembris, Anno 1637.

Eminentissimarum et R.m DD.VV. humillimus Servus

Raphael, Archiepiscopus Chiov. /mp/

{*A tergo*):

Sacrosanctae Congregationi de propaganda fide catholica in universo mundo.

148.

Polock, 4 . XII . 1637.

De eadem re Francisco Ingoli, Secretario S. Congregationis de Prop. Fide, cum aliis commendationibus.

APF, *Scritt. rif. nelle Congreg. gen.*, vol. 137, fol. 232rv.

WELYKYJ A. G., *Epistolae Metropolitarium Kioviensium*, vol. II, p. 147, nr. 60.

⁸ Processus hic locum habuit mense augusto 1637 (12-21); cfr. textum in vol. I Documentorum, pag. 194-363, nr. 137.

Ill.me et R.me Domine, D.ne Colendissime.

Mirari satis non possum post tot integerrimo hoc anno datas D.V.Ill.mae literas, nullas responsorias hucusque habuerim. Cum tamen in gravissimis negotiis aliquae illarum scriptae fuerint, causam tanti disfavoris nescio post millena summi affectus argumenta. Quodsi forte in causa fuit tantae raritatis negligentia mea in procurando Processu martyris Josaphat, en iam tandem illam compenso, et Processum ad S. Rituum Congreg. mitto per R.P. Provincialem Poloniae Carm. Discalceatum, iuratum Portitorem. Spero, Deo iuvante, illum tanquam iuris defectibus obnoxium non arguendum. Ad literam enim informationis Romanae quoad me, ut Procuratorem, certo scio, quoad alios, ut DD. Iudices, Notarios etc, suppono fabricatum. Hic ergo amplissimus aperitur campus de Rutenis bene merendi apud S. Congregationem de Prop. Fide, ut mediante D.V.Ill.ma Processus praefatus quamprimum aperiatur, et examini subiiciatur. Caeterum quoniam mihi R.mus D. Promotor Fidei Romanus iniunxerat, ut testimonia et scripturae illo idiomate Processui insererentur, quo ipsi testes et scripturae in partibus et loquerentur et haberentur, magna et fere maior pars Processus idiomate polonico et rutenico confecta est., quae proinde omnia in latinum transferri debent. Supplico D.V.Ill.mae ut haec versionis provincia demandetur Patribus nostris Philippo et Josaphat,⁹ licet praemisso supra fidelitate transferendi iuramento. Nullus enim illis et diligentius, et verius (f. 233v) ac magis proprie poterit transferre, et maxime propter peritiam linguae rutenae, quae in multis habetur scripturis. Nec dubito quin sedulo sint laboraturi, citoque opus absoluturi, quod alter et gravate ferret, et in longum differret. Totum hoc negotium ad antiquum D.V.Ill.mae et R.mae remitto zelum. Me denique veteri D.V.Ill.mae affectui ex corde commendo.

Polociae, 4 Decembris, 1637.

D.V.Ill.mae et R.mae humillimus Servus

Raphael, Archiepiscopus Chiovensis /mp/.

(*A tergo*):

Ill.mo e Rev.mo Domino, Domino colendissimo. Domino Francisco Ingolo, S. Congr. de prop. fide Secretario.

⁹ Alumni Romani ex Ordine Basilianorum: Philippus Borovyk, alumnus Coll. Graecorum (1633-1638), discessit die 8-9-1638, ut videtur, ad Hospitium SS. Sergii et Bacchi; dein per 14 annos erat Procurator in Urbe (ob. circa an. 1651); Josaphat Isakovycz, item alumnus romanus ab ann. 1633; anno 1641 missus fuit Vilnam in negotiis Hospitii SS. Sergii et Bacchi, ubi mox obiit. Hi pluries in documentis sequentibus nominantur « monaci rutheni ».

(*Manu Ingoli*):

Ho scritto più volte a V.S.Ill.ma in nome della S. Congr. e mio di diversi negotii occorrenti, e mi maraviglio molto che non le siano capitate le mie lettere, delle quali...

149.

1638.

In Causa Beatificationis Josaphat Kuncewycz.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali (Memoriali)*, vol. 399, f. 324.

WELKYJ A. G., *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. I, p. 103, nr. 151.

Eminentissimi e Rev.mi Signori.

Havendo Monsig. Metropolita della Russia mandato à Roma il nuovo processo remissoriale per ordine della S. Congregazione de Riti di nuovo fabricato in Vilna, e Polocia sopra la vita, miracoli, e martirio del Ven. Servo di Dio Josafat Cuncevicio, Arcivescovo Polocense, che gia dalli Schismatici fu ucciso in odio della fede, e del primato di S. Pietro, et essendo ben noto all'Em. Vostre quanto importi alla propagatione della fede catolica in quelle parti il felice successo della causa della Beatificatione del detto Servo di Dio, però il Procuratore di detta Causa supplica humilmente l'Eminenze Vostre, che si degnino favorirla con la loro protezione, e per quella deputare uno dell'Emin.mi Signori Cardinali che si compiaccia quando, et ove occorrerà, tanto con S. Santità quanto con la Sac. Congregatione de Riti, interporre in nome di questa Sac. Congregatione quelli uffitii, che stimarà opportuni, e convenienti in beneficio di detta causa, nella quale non si ha altro oggetto, che la maggior gloria di Dio, e la propagatione della fede catolica. Ut Deus, etc. etc...

(f. 327v) Alla Sacra Congregazione de Propaganda Fide.

Per Giosafat Cuncevicio, Arcivescovo Polocense.

Die 24 Maii 1638. Cong. 246.

150.

Roma, 24 . V . 1638.

De aperitione Processus Beatificationis Servi Dei Josaphat.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 13, fol. 100, nr. 37.

WELKYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 163, nr. 284.

CONG. 246 Die 24 Maii 1638 (f. 89v).

Fuit Congregatio in Collegio de Propaganda Fide, cui interfuerunt quatuor Cardinales, videlicet: Caetanus, Pamphylus, Albernotius, et Antonius, et R. P. D. Homodaesus.

Referente eodem R. P. D. Homodeo, Protonotario Apostolico, Sac. Cong. deputavit Em.m D. Card Pamphylum ad agendum cum S.mo pro expeditione Beatificationis seu Canonizationis pia memoriae Josaphat Concevicii, Archiepiscopi Polocensis, et praesertim pro aperitione novi Processus a Metropolita Russiae ad Urbem transmissi, et pro dispensatione a Decreto Sac. Congregationis circa cultum eorum, qui moriuntur in opinione sanctitatis.

151.

Roma, 1638.

De validitate novi processus apostolici in civitate Polocensi fabricati.

ARCH. S. C. RITUUM, *Memoriali* (2 . III . 1641) - orig.

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Generali*, vol. 182, fol. 297-300.

POLOCEN.

Dubiorum: An Processus de novo fabricatus in Civitate Polocien validus sit et in forma probanti, et testes rite et recte examinati.

Emin.mae et Rd.mae D.nes.-Examinata superioribus annis in hac Sacra Congregatione validitate Processuum, qui in hac causa auctoritate Apostolica Polociae et Vitepsci constructi fuerant super vita, miraculis, et Martyrio Ven. Josaphat Cuncevicii, Archiepiscopi Polocensis, et cognita ex pluribus defectibus eorum nullitate, placuit eidem Sacrae Congregationi, ut ex integro novus Processus in genere et in specie super iisdem construeretur. Ad quem effectum cum Procurator Causae specialem obtinuerit a S.mo Domino Nostro commissionem, et vigore illius ab eadem Sacra Congregatione novas literas remissoriales et compulsoriales, fuit in earum executione in Civitate Polociae fabricatus novus Processus in genere et in specie, de quo in dubio affirmative resolvendo.¹⁰

Quod enim attinet ad illius validitatem, constat omnia acta fuisse coram RR.DD. Adamo Josepho Sczyth et Alberto Sielava, Canonicis Vilnen. duobus ex Iudicibus in supra dictis literis remissorialibus a Sacra

¹⁰ Cfr. in vol. I, sub nr. 137, pag. 194-363, sub dat. 12-VIII-1637.

Congregazione specialiter delegatis, qui in unoquoque actu ambo, iuxta formam in ipsis literis praescriptam, coniunctim processerunt, et post dictarum litterarum (f. 297v) praesentationem, ut muneri sibi iniuncto satisfacerent, Notarium Apostolicum pro describendis Actis, Georgium Paszkiewicz, Nuntium, pro exequendis citationibus, Alexium Jacobi deputarunt, et ab unoquoque eorum separatim iuramentum, tactis Sacris Dei Evangeliiis de exercendo fideliter officio, receperunt, ut in Processu fol. 26, et 27. Quemadmodum etiam pro loco audientiae et examinis testium elegerunt Palacium Archiepiscopale Polocen., fol. 28 a tergo.

In unoquoque actu semper fuit citatus Dominus Stephanus Dyczchouschi, deputatus in Subpromotorem Fidei a Rd.mo Domino Cero, Fidei Promotore, ut in eodem Processu, fol. 15.

Et omnia acta fuerunt ad instantiam Ill.mi Domini Raphaelis Chorsach. Archiepiscopi Chioviens., alias Episcopi Pinscen., Procuratoris ad hanc causam specialiter constituti a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, prout de mandato Procuraе Em.mi et Rev.mi Domini Cardinalis Antonii Barberini, dicae Congregationis Praefecti, cum speciali ratificatione totius Congregationis, habitae coram S.mo D. N., ut constat in Processu fol. 3 et 4. Et idem Rd.mus D. Archiepiscopus docuit de aliis (fol. 298) pluribus mandatis diversorum Episcoporum Regni Poloniae, de quibus in eodem Processu fol. 4 usque ad XI, ut proprie nullus mandati nec iurisdictionis, nec citationis defectus opponi posse videatur.

Ad probationem articulatam super vita, Martyrio et miraculis Venerab. Josaphat idem Archiep. Procurator induxit octo testes, qui omnes et singuli citati fuerunt fol. 31 et 32 et eorum unus quisque citato prius ac praesente Subpromotore Fidei, iuravit tactis Sacro sanctis Evangeliiis in manibus Dominorum Judicum de veritate dicenda super Articulis et tota causa, ut in eodem Processu fol. 32 ad 34. Fuerunt autem dicti testes examinati in Palatio Archiepiscopali ad id per Dominos Judices, ut supra, specialiter deputato coram iisdem Judicibus et dicto subpromotore, qui pro diebus et horis certis fuit intimatus et semper examini singulorum interfuit, iuxta interrogatoria data per Dominum Fidei Promotorem in Curia, deinde super articulis, et illorum depositiones per Notarium deputatum fuerunt descriptae, per extensum et in omnibus et per omnia iuxta formam praescriptam in literis remissorialibus; prout etiam iuxta earundem praescriptum fuit per Judices praedictos visitatum sepulchrum ipsius Venerabilis Josaphat, praesente Fidei (f. 298v) subpromotore, ut in Relatione fol. 157 a tergo usque ad fol. 160, et quamvis tunc ibi inventa et relictas fuerit lampas ardens ac etiam imagines ac tabellae, nihilominus ea omnia postea amota fuerunt in execu-

tione decretorum huius Sacrae Congregationi et de illorum amotione plene constitit ex Processu desuper in partibus fabricato.

Praeterea idem D. Archiep. Procurator, habita notitia quod in Archivo Archiepiscopali Polocen. reperiabantur scripta et iura ad hanc causam facientia, petiit et obtinuit a praedictis Iudicibus relaxari monitorium contra Archivistam pro illorum compulsatione, et intimato pro die et hora, certiorato Subpromotore Fidei, ut fol. 162 a tergo et 163, fuerunt ab Archivo extracta iura, super quorum recognitione et legalitate inductis et examinatis duobus testibus, praestito prius per eorum unumquemque iuramento tactis sacrosantis Evangeliiis ac citato et praesente Fidei Subpromotore, recte deposuerunt, ut in dicto processu fol. 164, et 167. Fuerunt supradicta Jura de mandato DD. Judicum tradita Notario causae, qui illa de verbo ad verbum exemplavit fideliter et facta illorum collatione cum originalibus, ac reperto ea in omnibus et per omnia concordare, super illis iidem Iudices decretum (f. 299) suum et auctoritatem interposuerunt declarantes ea omnia fuisse rite et recte compulsata et fuerunt inserta in processu remissoriali a fol. 168 ad 281.

Rursus cum inter dicta iura compulsata reperirentur depositiones sex testium defunctorum D. Archiepiscopus Procurator, ad augendam illorum fidem, institit super eorum obitu et probitate examinari duos testes a se inductos, quibus praestito prius in manibus Dominorum Judicum iuramento, tactis sacrosanctis Evangeliiis, fuerunt rite et recte examinati, citato semper et praesente dicto Fidei Subpromotore, ut in Processu a fol. 282 ad fol. 292.

His ita peractis, instante Domino eodem Procuratore Archiep. de mandato Rn.rum Judicum, praevia semper citatione praefati Subpromotoris Fidei, ab originali processu remissoriali fuit extractum transumptum integrum, incipiendo a praesentatione literarium remissorialium usque ad finem; et citato eodem Fidei Subpromotore, fuit pro illius collatione et auscultatione deputatus alter Notarius Zacharias Bastius, cui etiam delatum fuit iuramentum de facienda fideliter huiusmodi collatione, quae incepta, continuata et perfecta fuit coram ipsismet Iudicibus (299v) et Fidei Subpromotore die 30 Novembris Anno 1637, ut in eodem Processu fol. 295 et 296. Ac demum interposito per Iudices praedictos decreto, quo declararunt collationem rite et recte factam, ac Processum extractum in omnibus et per omnia concordare cum originali, ad instantiam eiusdem Domini Episcopi Procuratoris fuit ab iisdem Iudicibus et sygillis eorundem munitus ac una cum literis missivis dictorum Judicum Domino Christoforo Kurczay, Portitori electo,¹¹ a quo

¹¹ Cfr. supra, sub nr. 148, in litteris de dat. 4-XII-1637. Agitur de Provinciali Carmelitarum Discalceatorum.

solitum iuramentum praestitum fuerit de illo fideliter defferendo vel ad Sacram Congregationem, vel ad Ill.mum Nuncium Apostolicum in Regno Poloniae commorantem traditus et consignatus, ut in dicto Processu fol. 298.

Delato ad Urbem dicto Processu, ante illius aperitionem fuerunt per testes in Curia examinatos, servatis servandis cum interrogatoriis R.mi D. Promotoris Fidei, recognita sigilla Judicum et Notarii, quae in exteriori obscusata apposita reperiiebantur: Quorum testium primus et 3tius recognoverunt in forma subscriptionem et signum Notarii, quartus vero non solum Notarii, sed etiam sigilla DD. Judicum, reddentes optimam scientiae rationem, quia viderunt illos respective scribere, subscribere (f. 300) et sigillare.¹²

Post aperitionem Processus fuerunt cum iisdem Interrogatoriis examinati duo testes super recognitionem subscriptionum et sygillorum intus existentium, in calce eiusdem processus, qui proprio iuramento recognoverunt in forma subscriptiones et sigilla Domini Stephani Dyczchowski, Subpromotoris Fidei in partibus delegati, et Archiep. Polocen., qui apposuit fidem legalitatis.

Ex quibus resultat sufficiens recognitio legalitatis et identitatis eiusdem processus.

Nullitas, quae opponi potuisset ex eo quod hic Processus fabricatus fuerit prius quam paritum fuisset decreto S.D.N. super amotione tabellarum et aliorum cultum praeferrentium, quae in visitatione sepulchri huius venerabilis Archiepiscopi circa illud inventa fuerunt, sublata fuit per commissionem sanatoriam Sanctitatis Suae manu signatum. De qua in Registro fol. 2.

Ideo, etc. etc.

Laurentius della Rosa

Sacrae Rituum Congr. E.mo et R.mo Card. Pamphilio. Polocen.

Pro Canonizatione Ven. Martyris Josaphat Concevitii. Memor. Facti super validitate Processus de novo fabricati.

152.

1638.

De Causa Beatificationis Josaphat Kuncewycz et ut procedatur ad ulteriora.

¹² Agitur verosimiliter de alumnis romanis Collegii Graecorum.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali (Memoriali)*, vol. 399, f. 325.

WELYKYJ A. G., *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. I, p. 104, nr. 152.

Beatissimo Padre.

Essendo venuto il 2° processo fatto auctoritate apostolica in vigore delle remissoriali della S. Congregazione de Riti, sopra il martirio e causa del venerabile Josaphat Concevitio, Arcivescovo di Polocia, et quello presentato all'istessa S. Congregazione citato il Promotore della fede ad videndum aperiri, ad effetto di riconoscer, e far interpretare detto processo, ha esso Promotore protestato, nihil fieri se prima non si mostra per altro processo à parte d'essersi osservato il decreto del Santo Offitio, che si pubblicò nel 1625, in materia del culto, voti, e donarii,¹³ che si affiggevano a sepolchri di persone morte con fama di santità, o martirio. Et perchè, Beatissimo Padre, di tal decreto in Russia non s'è mai havuta notitia, et quando si fusse havuta non si saria potuto eseguire in faccia di tanti Heretici e Scismatici, li quali vedendo levare li voti, et altri segni di veneratione formarebbero sinistro concetto de meriti di questo Servo di Dio, con estrema afflitione di quelli pochi cattolici, quali restariano grandemente delusi, e mortificati, pertanto il Procuratore della causa supplica la S. V. degnarsi ordinare all'Eminentissimo Cardinale Panfilio, Ponente della causa, o à Monsig. Cerro, Promotore della fede, che senza altro processo si proceda avanti alla discussione del processo ultimo venuto, acciò una volta dopo tanti anni si dia fine à tanta pia causa; dalla quale ne seguirà gran bene alla propagatione della fede. Et Deus, etc...

153.

Roma, 17 . VII . 1638.

Metropolitae Kioviensi de « Unione universali », de indulgentiis et altaribus privilegiatis nec non de difficultate in Beatificatione S. Josaphat ob defectum Processus « de non cultu ».

APF, *Lettere volgari*, vol. 18, fol. 73v-74.

WELYKYJ A. G., *Litterae S. C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 151, nr. 236.

¹³ S.d. processus de non cultu, qui revera postea factus fuit etiam quoad Beatum Josaphat; textum tamen invenire in Curia Romana non valuimus.

Al Monsignor Metropolita di Russia.

Con questa riceverà V. S. l'Istromento autentico della sua pensione, che desiderava da Monsignor Arcivescovo di Larissa, già Nuntio di Polonia, et hora Presidente di Romagna, si compiacchia d'avvisarmene la ricevuta.

Circa il negotio dell'Unione Universale de Rutheni si scrive à Monsignor Nuntio di costì, quanto s'è da questa Sac. Congregatione considerato. E sicome per salute loro, e (f. 74) per la quiete di cotesto Regno di Polonia detta Unione si desidera grandemente, così di quà non si mancherà di far tutte le diligenze possibili acciò si riduca alla debita perfettione, nel che anche V. S., e li suoi Prelati dovranno far la parte loro per conseguir il sudetto buon effetto; poichè seco apporterà la loro quiete, et altre conseguenze di rilievo per le gratie, che potranno riportar li sudetti Rutheni da questa Santa Sede, la quale come V. S. sà per esperienza non li molesterà, come fa bene spesso il Patriarca di Costantinopoli colli suoi essarchi.

Delle sue Indulgenze, et Altari privilegiati si sono dati li Memoriali à Monsignor Maraldi, perchè faccia li Brevi, conforme ordinerà la Santità di Nostro Signore.

Della causa della pia memoria di Monsignor Giosaffat, Arcivescovo Pollocense, V. S. havrà intesa la difficoltà per non essersi costì fatto il Processo de non cultu, si tratterà nondimeno di essa con S. B. nella prima Congregatione per vedere si se potrà superare. Che etc.

17 Luglio 1638.

154.

Roma, 19 . VII . 1638.

Agitur de Processu « de non cultu » Servi Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 13, fol. 122rv, nr. 29.

ARCH. S. C. RITUUM, *Memoriali* (24 . IX . 1638), copia Fr. Ingoli.

HOFMANN G., *Ruthenica* (Orient. Christ., vol. III, 2, nr. 12, p. 213).

WELYKYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 168, nr. 291.

Jul. 19.

Referente eodem Em.mo D. Card. Pamphylio litteras Metropolitae Russiae uniti de novo Processo super vita, et (morte) piaie memoriae (f. 122v) Josaphat, Archiepiscopi Polocensis rutheni uniti, ad Urbem

transmisso, eiusdemque Metropolitae instantiam pro eius aperature, ac expeditione causae Beatificationis praedicti Archiepiscopi, S.mus D. N. audiens cum praefato Processu de vita et miraculis non fuisse transmissum Processum de non cultu, necessarium antequam Processus de vita, et miraculis aperiatur, iuxta Decreta a Sanctitate Sua in Sac. Congregatione Rituum edita, nolensque praedictis Decretis derogare, iussit agi cum RR. PP. DD. Cincio, Secretario eiusdem Sac. Congregationis, et Cerro, Fidei Promotore, ut defectui praedicti Processus de non cultu provideri possit.

155.

Roma, 24 . VII . 1638.

Certioratur Metropolita Kioviensis de defectu Processus « de non cultu ».

APF, *Lettere volgari*, vol. 18, fol. 85v.

WELYKYJ A. G., *Litterae S. C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 152, nr. 238.

Al Monsignor Metropolita di Russia.

In conformità de Decreti della Sac. Congregatione de Riti, essendo necessario avanti, che s'aprinno i processi dè vita, e miracoli d'alcun morto con opinione di santità di Martirio, che sia fatto l'altro Processo detto de non cultu, il quale V. S. non ha mandato con quello de vita, et miraculis della pia memoria dell'Arcivescovo Giosafat, perciò N. Signore non volendo derogare à sudetti Decreti ha ordinato che si tratti con Monsignor Secretario de Riti, e con Monsignor Cerro, promotore della fede, acciò si possa provvedere al detto Processo de non cultu. Che etc.

Roma 24 Luglio 1638.

156.

Roma, 24 . IX . 1638.

Memoriale in causa litterarum remissorialium pro fabricando processu « de non cultu ».

ARCH. S. C. RITUUM, *Memoriali*, (24 . IX . 1638) (mazza) (Sectio historica).

Em.mi e Rev.mi Signori.

Essendo venuto il nuovo processo fabricato auctoritate Apostolica sopra la santità della vita, miracoli e martirio del Servo di Dio Josaphat

Cuncevitio, Arcivescovo di Polocia, e questo di già presentato a questa S. Congregatione ad effetto d'aprirlo e procedere avanti in tanto pia causa, è stato opposto dal Promotore della fede non procedi ad ulteriora ex eo quod obstat decretum Sacrosanctae Inquisitionis anni 1625, a SS.mo D. N. Urbano VIII emanatum, in materia cultus non adhibendi sepulchris, seu imaginibus eorum, qui nondum sunt beatificati.

Pertanto il Procuratore della causa supplica l'Em.ze VV. degnarsi spedire lettera speciale diretta al Arcivescovo di Polocia, o suo Vicario Generale, o pure al Arciprete di Polocia, con facoltà, che ò due di loro congiuntamente, ò uno solo di essi formino processo sopra l'osservanza del detto decreto del S.to Ufficio del 1625, conforme la mente della Santità Sua dichiarata nella Congregatione de propaganda fide, nella quale ordinò che di questo negozio si dovesse trattare in questa Sacra Congregatione et informarne Mons. Promotore della fede come bisognando potrà attestare l'E.mo Signor Cardinale Panfilio.

Che il tutto etc.

Polocen.

Sacra Rituum Congr., ad relationem Em.mi Card. Pamphili, attentis narratis, et audito R.P.D. Promotore fidei concessit litteras remissoriales directas Archiepiscopo Polocensi, qui autoritate eiusdem S. Congregationis procedat pro fabricando Processu super non cultu, iuxta formam decreti S. Inquisitionis, citato tamen semper in omnibus actibus Promotore fidei per eundem Archiepiscopum delegatum deputandoque qui interrogatoria opportuna perhibeat, et omnia fiant servatis servandis.

Die 24 septembris 1638.

retro : Alla Sacra Congregatione de Riti. Polocen.

Per la causa del Martire Josaphat Cuncevitio, Arcivescovo di Polocia.

notae. : Proponente Em.mo Pamphilio.

Concedi litteras...

Proposizione processus super posizione non cultus.

Et postea supplicantibus...

Pro memoria secretarii.

Doppo fatto il processo auctoritate Apostolica super virtutibus, innocentia vitae, miraculis et martyrio si è visto non esser adempiti li decreti di S.S. di far prima il processo super non cultu. Però supplica per lettera speciale al Vesc. o a chi parerà per poter far il processo super non cultu.

157.

Roma, 24 . IX . 1638.

Memoriale pro expeditione litterarum remissorialium pro fabricando processu de non cultu in causa Martyrii Servi Dei Josaphat.

ARCH. S. C. RITUUM, *Memoriali*, (24 . IX . 1638) (mazza) (Sectio historica).

Die 24 septembris 1638, hora 13 fuit C. S. Rituum...

Em.mi e Rev.mi Signori.

Essendo venuto il nuovo processo fabricato auctoritate Apostolica sopra la santità della vita, miracoli e martirio del Servo di Dio Josaphat Cuncevitio, Arcivescovo di Polocia, e questo già presentato a questa Sacra Congregatione ad effetto d'aprirlo e procedere avanti, è stato op-
posto dal Promotore della fede non procedi ad ulteriora obstantibus de-
cretis a SS.mo D.N. emanatis in materia cultus non adhibendi sepuchris
seu imaginibus eorum qui nondum sunt beatificati. Pertanto il Procu-
ratore della causa supplica l'EE.VV. degnarsi rilasciare lettera speciale
al Arcivescovo di Polocia ò suo Vicario generale ò pure al Arciprete di
Polocia che uno di loro per se stessi ò congiuntamente formino processo
supra l'osservanza di detti decreti, conforme la mente di nostro Signore,
come appare dalla copia dell'infrascritto decreto della Sacra Congrega-
zione de propaganda fide...

Che il tutto etc.

Sequitur : Decretum Sacrae Congregationis de propaganda fide, habitae
die 19 Julii 1638 coram, SS.mo.

« Referente Em.mo D. Card. Pamphilio »...

subscriptum decretum : Franciscus Ingolus, Secretarius (mp).

retro : Alla Sacra Congregatione de Riti. Polocen.

Per la causa del martire Josaphat Cuncevitio, Arcivescovo di
Polocia.

158.

Roma, 24 . IX . 1638

*Decisio S. Congregationis Rituum de processibus de non cultu in con-
nexionem cum decretis S. Inquisitionis.*

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, v. I, 1592-1654, p. 637-8.

Canonizationum.

Actum fuit de remissoriis petitis ad effectum fabricandi processus super non cultu juxta tenorem decreti S. Inquisitionis, attento quod praedictum Decretum, de tempore quo fuerint fabricati processus auctoritate Apostolica inferius exprimendi nondum promulgatum, aut publicatum fuerat, et S. Congregatio Rituum citato auditore et praesente promotore fidei censuit remissorias petitas esse concedendas, si SS.mo placuerit. SS.mus annuit quoad infrascripta, videlicet (14 dep., Polocen 2-a).

Die 24 septembris 1638.

159.

Roma, 25 . IX . 1638.

Causa remissorialium pro Servo Dei Josaphat. Citatio et nihil obstat Promotoris fidei.

ARCH. S. C. RITUUM, *Memoriali*, (24 . IX . 1638) (mazza) (Sectio historica).

Sacra Congr. de Riti.

Em.mo e Rev.mo D. Card. Pamphilio.

Polocen. Canonizationis Servi Dei et Martyris Josaphat Cuncevitii, Archiepiscopi Polocen.

Citetur Ill.mus et Rev.mus D. Antonius Cerrus, Advocatus Consistorialis et Promotor fidei, a SS.mo D.N. Papa specialiter deputatus, ad videndum concedi litteras remissoriales directas Ill.mo D. Archiepiscopo Polocen sive eius Vicario generali necnon Archipraesb. Polocensi ad effectum fabricandi processum super observantia decretorum S. Inquisitionis emanatorum de anno 1625 circa... et aliarum rerum sanctitatem denuntiantium ad sepulchrum eiusdem qui cum fama sanctitatis e vivis excesserunt. Ideo citetur idem pro omni suo iure et interesse ad interessendum in Sacra Rituum Congregazione die Sabati 25-a praesentis mensis septembris quatenus interesse intendat, alias per instantiam RR.DD. Philippo et Josaphat, Patribus Ruthenis, in huiusmodi causa procuratorum... etc.¹⁴

V. Valentinus Not.

Ex. nihil fieri nisi servata forma supradictorum decretorum a S.D.N. confirmatorum, et aliorum huius Sacrae Congregationis nec non servatis servandis etc.

Hac die 25 septembris 1638.

Antonius Cerrus Promotor Fidei. (mp).

¹⁴ Cfr. supra, nota 9.

160.

Roma, 24 . IX . 1638.

Decretatur a S. Congregatione de dandis litteris remissorialibus pro fabricatione processus de non cultu in causa martyrii Servi Dei Josaphat.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, v. I, 1592-1654, p. 638-9.

Polocen.

Sacra Rituum Congregatio ad relationem Em.mi Pamphili, praesente et audito R.P.D. promotore fidei, concessit litteras remissoriales directas Archiepiscopo Polocen,¹⁵ qui auctoritate eiusdem S. Congregationis procedat pro fabricando processu super non cultu S.D. Josaphat Concevicii, Archiepiscopi Polocensis, iuxta formam decreti S. Inquisitionis, citato tamen semper in omnibus actibus R.P.D. promotore fidei per eundem Archiepiscopum delegatum, deputando qui interrogatoria opportuna praebeat et omnia fiant servatis servandis.

Die 24 Septembris 1638.

161.

1638.

De variis negotiis Metropolitanae Kioviensis: processus de non cultu Servi Dei Josaphat, de prorogatione temporis ad visitanda limina apostolorum nec non gratiarum actione de concessione ecclesiae in Urbe.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali (Memoriali)*, vol. 399, f. 482.

WELYKYJ A. G., *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. I, p. 105, nr. 155.

Beatissimo Padre.

Monsig. Metropolita di Russia in una longa letera scritta à noi, Rutheni Alunni del Collegio Greco infrascritti, ringratia.¹⁶

1° V. Santità delle facultà riformate, concesseli da V. B., delle quali con molta sodisfatione delli suoi devoti Rutheni Uniti se n'è cominciato à servire.

¹⁵ Ad conficiendum processum de non cultu; hic processus tantummodo anno 1639 fabricatus fuit et dein ab ipso Metropolita Raphaële Korsak ad Urbem delatus autumnno 1639.

¹⁶ Epistolam hanc non invenimus; in Archivo Procuratorum asservata, ad nostra tempora forsan non pervenit.

2° Si scusa di non haver fatto il processo de non cultu nella causa della p. m. dell'Arcivescovo Josafat, havendo in ciò una minima colpa, perchè di tal processo non hebbe alcuna instruttione e pur V. Santità diede d'ordine che gli fussero date tutte l'instruttioni che facevano di bisogno, per non gettar di nuovo la spesa, che V. B. gl'haveva fatta somministrar dal Emin-mo Cardinal Antonio.¹⁷ Però supplica V. B. a dar quegl'ordini circa il detto processo, che pareranno alla sua summa prudenza.

3° Dovendosi trattar il negotio importante dell'Unione Universale de Rutheni schismatici, e per detto effetto essendosi mandata dalla Sac. Congregatione de Propag. Fede l'istruttione necessaria a Monsig. Nuntio di Polonia, et essendo in questi trattati necessaria la sua presenza di Monsig. Metropolita di Russia Unito, il sudetto Monsignor supplica per la proroga d'un altro anno per venir a Roma a prestar personalmente l'ubbidienza a V. Santità, conforme l'obbligo che si contiene nella Bolla dell'Unione, che si fece alli tempi di Clem. 8°. Il termine del primo anno di dilatione, concessali da V. S., a venir per far detta fotione, finirà alli 25 del prossimo venturo Mese di Marzo.

4° Ringratia V. Santità et Emin.mo Signor Card. di S. Honofrio in nome suo e di tutti gl'Uniti della Chiesa di San Sergio e Baccho definitasi, essendoli carissima, perchè di quei Santi la Chiesa Greca ne fa l'ufficio alli 7 d'Ottobre.

Filippo Borovich et Josafat Jssachovicz,
Ordinis Sancti Basilii Magni.

(f. 489v) Al Beatissimo Padre.

Per Metropolita di Russia.

Die 20. 7bris 1638. Cong. 250.

162.

Torokanie, 20 . I . 1639.

De difficultatibus ex Processu Polociae fabricato, de prorogatione itineris romani, de Synodo cum non Unitis celebranda litterae dantur a Metropolitana Francisco Ingoli.

APF, *Scritt rif. nelle Congreg. gen.*, vol. 81, fol. 437-438v.

WELYKYJ A. G., *Epistolae Metropolitaram Kioviensium*, vol. II, p. 156, nr. 67.

¹⁷ Antonius Barberini, Cardinalis S. Honophrii, frater germanus Urbani VIII (obiit in Curia 11.IX.1646); Antonius Barberini, nepos Urbani VIII, tunc temporis Praefectus S.C. de Prop. Fide (obiit extra Curiam, 3.VIII.1671).

Ill.me e R.me D. D.ne Colendissime.

Ita sane, Ill.me D.ne, in maximas nos coniecit angustias informatio mihi Romae data in negotio Servi Dei Josaphat tantopere defectuosa. Iam non omnia rite longeque optima omnia peracta fuissent, prout illa, quae ordinata fuerunt, sunt omnibus Dei gratia numeris absoluta. Unicum mihi hoc in passu solatium illud Prophytanacis: Memor, inquit, fui iudiciorum tuorum D.ne, quae a saeculo sunt et consolatus sum. Consolari nos oportet et Servum Dei revera bis cum Salvatore crucifixum, in iisdem, quae praeteriri non possunt, Superum beneplacitis. Caeterum quod attinet ad Processus Polocen. ultimi expeditionem, tandius omnino illa absolvetur, quia dum haec scribo fere 100 leucis inde disto, et distare cogar longius tota hac hieme. In persona autem Polociae me esse oportet, ut Procuratorem et iam totius causae et negotii optime conscium; ne si forte aliquis defectus in Processu committatur, rursum et vorsum nos Sysyphi lapidem volvere cogat. Nil me magis terret, quam opprobrium et subsannatio non modo inimicorum, sed et amicorum; sunt enim sunt, Ill.me D.ne, etiam in Russiae caula, quod olim fuerat in Regia aula: quia inimici subinde nostri domestici nostri. Paucis haec innuo, quia notiora omnia nostra prospera et adversa sunt D.V.Ill.mae, quam ut pluribus egeant exaggerationibus. Faciat Dominus quod est bonum in oculis suis, et ille ipse cuius gratia semina laborum nostrorum flentes mittimus cum exultatione, faciat nos portare manipulos desideriorum piorum nostros. Nos in praelium pro obedientia descendemus, tu, Ill.me Domine, manus ad sidera tendas, ut Dominus Deus intellectum illuminet, voluntatem moveat, modos et media ad hoc tale tantumque negotium perficiendum subministret.

(f. 437v) Pro prorogatione ad alterum annum adventus mei Romam maximas ago gratias. Hucusque enim positus in binis, nesciebam quo me vertere debuerim. Nunc iam Dei gratia commodam nactus aestatis itinerationem, commode proximo autumnio Romam venire potero. Sere-nissimus quidem iam quia omnem fere amisit spem Synodi, novissime iam licentiam eundi Romam impertiit. Sed Processus Polocen. vix ante proximum Pascha finiendus nullo me hinc mittet citius Augusto.¹⁸ Jam experientia didici quam aegre haec negotia absolvantur, propter nullam in talibus (ut candide loquar) peritiam. Hinc non ausim ulli alteri com-mittere, ne postmodum, uti Rhetoribus, dum breves illi esse volunt, obscuri fiunt; ita et in expeditione seriorum dum compendiosiores et velociore esse nitimur, in longam, vera paenitentia vix abolendam, pro-longationem causae incidamus.

¹⁸ Revera Romam profectus est anno tantummodo 1639, mense octobri; in Curia obiit anno 1640, mense Augusto.

Quod attinet ad Synodi speratae desperationem, nescio quid in causa: an negativa S.D.N. quam et prius innuebat et novissime innuit mihi in suis Ill.mus D. Nuncius, an pertinacia Schismaticorum, aut satius timor quidam, ne forte per vim opprimerentur, prout alias nos ipsi de nobis timebamus. Caeterum utrinque ego maximam iam dudum difficultatem praevidebam. Sed ex una parte piaie menti Serenissimi Domini nostri contravenire me non decebat, ex altera autem dum mihi publice obiiceretur quod nos Synodum fugiamus tanquam timidi et de rebus nostris dubiosi, non debui ullo modo fugisse ab hac causa praetextata, nemine adhuc persequente; ne si non impietatis saltem imparitatis (cum illis quos fuga facit reos) vel ad apparentiam saltem redarguerer, si non convincerer.

Radicem absistentiae Schismaticorum hanc fortasse vel unicam vel principalem adinvenio, quod supremum Synagogae illorum ius sit penes Saeculares, nullius scientiae humanae nedum divinae notitiam habentes, vulgus incertum, studia in contraria discissum.

(f. 438) Cosacos in Capite, Paganos, Oppidanos, Cives, Sutores, Cerdones et qui suis Pseudo Didascalis nullam in spiritualibus aequae ac temporalibus fidem adhibent; bona illorum mobilia et admobilia administrant, in templis Sacristas agunt, in Choro Psaltes, in Caenobiis Oeconomus, in senioribus capita, atque ut in compendium omnia redigam, cum sint pedes, capita regunt et dirigunt. Accesserunt privata spiritualium commoda, victus, amictus, avaritia, nullus sed sempiternus horror. Ita quod de illis optime illud dici possit, quod de Ungaria fertur: Privata commoda, mutua odia, iuvenilia consilia, per haec tria periit Ungaria. Addo etenim: quia per eadem ad interitum prono delabitur impetu schismate infecta Russia.

Haec et similia sunt quae me nullo (animo) esse iuebant circa hanc Synodum; sed, ut praedixi, me supremae resistere potestati nullomodo conveniebat, praesertim cum audierim id facile esse obtentu apud S.D.N. per Serenissimum Principem nostrum tantopere illi carum, et apud Schismaticos per eiusdem imperium. At enim fortassis hoc meliori tempore reservavit Altissimus. Cui nos nostraque omnia unice commendamus. D.V.Ill.mae me ipsum ex corde offero.

Torocanis, Jan. 20, 1639.

D.V. Ill.mae et R.mae humillimus Servus

Raphael, Metropol. Russiae etc.

(*A tergo*):

Ill.mo et Rev.mo Domino, Domino colendissimo, Francisco Ingolo,
Secretario S. Congr. de Prop. Fide.

163.

Roma, 19 . XI . 1639.

Negotium aperitionis processus super non cultu in Sacra Congregatione tractatur.

ARCH. S. C. RITUM, *Memoriali* (19 . XI . 1639) (mazza) Sectio historica).

Die 19 novembris 1639, hora 15, fuit Sacra Rituum Congregatio in Palatio Em. D. Card. Sabelli...

Em.mi e Rev.mi Signori.

Il Procuratore della causa del Venerabile Martire Josafat Cuncevicio, Arcivescovo di Polocia, l'anno passato presentò a questa Sacra Congregatione il 2-o processo di novo fatto auctoritate apostolica d'ordine di questa Sacra Congregatione in difetto del primo, sopra del quale gli Auditori di Ruota fecero la loro Relatione in scriptis, già data all'EE.ze Vostre gl'anni passati, et citato Mons. Ill.mo Cerro ad videndum, aperiri il 2-o processo, ad effetto di riconoscerlo, et farlo interpretare, con tutto che ne ottenesse da questa Sacra Congregatione decreto favorevole pro aperitione, fù da esso protestato in scriptis di questo tenore.

« In hac causa nondum factum esse processum ad partes super observatione decretorum a SS.mo D.N. factorum in materia cultus non adhibendi sepulchris seu imaginibus eorum qui nondum sunt beatificati, nec ideo procedi posse ad ulteriora, nec ad aperitionem pretensi processus ad curiam ultimo loco transmissi, et his salvis contra praetensum decretum Sacrae Congregationis dixit generalia verbo salvo jure, et protestatus fuit nihil fieri nisi servatis decretis Sacrae Congregationis, et aliis de jure servandis, omni etc., alias etc. Hac die 6 Maji 1638.

Antonius Cerrus promotor fidei

Et essendosi dal Procuratore della causa per obedire a gl'ordini della Santità Sua in questa materia impressi fatto con li debiti requisiti il processo super non cultu e questo di già presentato e consegnato a Mons. Segretario Censi.

Hora Mons. Raffaele Korsak, Arcivescovo Metropolita di Chiovia, principale procuratore di tanto pia causa, presente in Curia, venuto dalla Russia con tanta sua spesa e lungo viaggio, per ridurla al desiderato fine della solenne beatificatione, supplica l'EE.VV. degnarsi interporre favorevole per l'aperitione del detto processo super non cultu che hora si presenta essendosi à quest'effetto citato per ogni suo interesse Mons. Promotore della fede.

Che il tutto etc.

retro : Alla Sacra Congregatione de Riti. Polocen.

Per la causa del Ven. Martire Iosafat Cuncevitio, Arcivescovo di Polocia.

nota : Si domanda l'aprirsi il processo fatto super non cultu.

Aperire servatis servandis.

S. Rituum Congr. attentis navatis censuit posse aperiri, prout aperiri mandavit serv. servandis. Die 19 Novembr. 1639. Videtur locus apertioni.

164.

Roma, 19 . XI . 1639.

Processus de non cultu transmissus Romam, aperiri iubetur.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, I:1592-1654, p. 646.

Polocen.

Cum advenerit processus fabricatus de mandato huius S. Congregationis super non cultu q. Josaphat Concevicii, Archiepiscopi Polocensis, fuit instatum mandari aperiri citato Promotore fidei.

Et S. Congregatio mandavit aperiri.

Die 19 novembris 1639.

165.

Romae, 3 . XII . 1639.

Eundem Metropolitam et eandem causam etiam Reginae Poloniae Pontifex commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 52, fol. 81rv.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2208, fol. 34.

WELKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, p. 516, nr. 455.

Charissimae in Christo filiae nostrae,

Renatae Caeciliae, Poloniae, et Sueciae Reginae Illustri.

Idem argumentum.

URBANUS PP. VII. Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

Paternae benevolentiae significationes iis libentissime exhibemus, qui Maiestatis Tuae patrocínio decorantur et honorificum corum a te deferunt testimonium. Dabimus operam in praesentia, ut id re ipsa intelliget Venerabilis frater Raphael, Metropólita Kyoviensis, quem huc proficiscentem accurata literarum suffragatione prosequi voluisti (f. 81v). Licet enim eius pietas, et praecipuum in divino cultu propagando studium, aliaeque virtutes nobis iam pridem perspectae non vulgaria pontificiae charitatis documenta suo iure exigant, plurimum tamen praesidii nactae sunt, quibus tantae Reginae contigit commendatio.

Itaque illum humaniter complexi sumus, et cum acta nostro iussu confecta Romam detulerit, Servo Dei Josaphat gloriosum Martyris cognomentum, et sacr. sedulo quesiturus, Nos ut hac etiam opportunitate quantum in Domino possumus Maiestatis Tuae desiderio satisfaciamus, huiusmodi causam praecipuae nobis curae fore pollicemur. Mandavimus propterea, ut maximi ponderis negotium in Congregatione, quae Sacros Ritus tuetur, mature cognoscatur.

Interim Altissimum, qui Sanctorum principatum tenet, enixe precabimur, ut donet iucunda Maiestati Tuae, cui Apostolicam benedictionem amantissime impartimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die III Decembris MDCXXXIX, Pontificatus Nostri Anno XVII.

166.

Roma, 10 . XII . 1639.

Processus de non cultu Servi Dei Josaphat admittitur in Congregatione Rituum, instante causae procuratore.

ARCH. S. C. RITUUM, *Memoriali*, (10 . XII . 1639) (mazza) (Sectio historica).

Die 10 Decembris 1639, hora 15, fuit Sacra Congr. Rituum in Palatio Em.mi et Rev.mi Card. Crescentij...

Em.mi e Rev.mi Signori.

Essendo stato presentato in questa S. Congregatione il processo fatto super non cultu nella causa del g. Giosafat Cuncevitio, Arcivescovo già Polocen. e fatto riconoscere, si supplicano l'EE.VV. ordinare, che detto Processo si possa aprire a fine di poter tirar avanti la causa.

Polocen.

Sacra Rituum Congregatio praesente et audiente... (cfr. Decreta).
retro: Polocen.

Il Procuratore della Causa del Martire Giosafat Cuncevitio.

nota: Processum esse sufficienter recognitum et aperiri in Palatio Em.,
serv. serv.

167.

Roma, 10 . XII . 1639.

Recognitio processus sufficiens declaratur et processus aperiri iubetur.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, v. I, 1592-1654, p. 647.

ARCH. S. C. RITUUM, *Memoriali*, (10 . XII . 1639); (Sectio historica).

Polocen.

Sacra Rituum Congregatio, praesente et audito R.P.D. Promotore fidei, censuit ad relationem Em.mi Card. Pamphilii recognitionem processus fuisse sufficienter factam, et ideo posse aperiri prout aperiri mandavit in Palatio Em.mi Pamphilii, servatis servandis.

Die 10 decembris 1639.

168.

Romae, 1640.

Animadversiones Promotoris Fidei in causa Beati Josaphat.

ARCHIVUM S. CONGR. RITUUM, *Memoriali* (31.III.1640) (Sectio historica).

Polocen. Beatificationis, et Canonizationis Venerabilis Josaphat Concevitii Archiepiscopi Polocen.

Emin.me et Rev.me Domine.

Ex processu ad partes in hac causa facto super non cultu constat quidem de partitione decretorum a Sanctissimo D.N. in hac materia factorum, sed non prius quam de anno proxime elapso,¹⁹ id quod non videtur sufficere absque speciali eiusdem Sanctitatis dispensatione, cum vere non possit dici illis fuisse ab initio paritum, sed bene contraventum, dum

¹⁹ Processus « de non cultu » fabricatus fuit anno tantummodo 1639, dum Processus remissorialis de vita factus fuit mense augusto 1637.

etiam post illorum publicationem factam de anno 1634 tandiu fuit dilata amotio eorum, quae cultum prae se ferebant.

Praeterea videtur animadvertendum, quod sepulchrum et corpus huius Venerabilis Archiepiscopi etiam de praesenti fuit relictum in statu antecedenti supra terram, et in pariete, quod etiam videtur contrariari decretis uti cultum praeseferens, et licet oretenus audiverim istud in cathedrali Polocen. communiter fieri ab omnibus propter humiditatem ecclesiae, in cuius excavatione illico aqua reperitur, quae corpora subtus reposita statim putrescere faceret, nihilominus quia hoc in processu nec alibi probatum fuit, esset aliquomodo iustificandum, ut appareat, quae de causa in praesenti Causa id permittatur, nec possit in aliis trahi ad exemplum.

Quare etc.

Antonius Cerrus, Promotor Fiscalis

Sacrae Rituum Congregationi sive Em.mo et Rev.mo Domino Cardinali Pamphilio Proponenti.

Polocen. Beatificationis Ven. Josaphat Concevitii Archiepiscopi Polocen.

Pro S. Fidei Promotore: Oppositiones contra Processum factum super non cultu.

(Nota): 14 Jan. 1640: Ad Em.mum Card. D. Ponentem iuxta mentem.

Pro memoria: Petenda dispensatio a SS.mo quia non fuit statim paritum decreto S. Inquisitionis.

Et quem modum posset indicari super sepulchro posito in pariete quod fuerit impositum ea causa.

10 Martii 1640.

Pro memoria: Detur decretum factum die 14 Jan. 1640.

Hodie ad Em.mum iuxta mentem.

Et petatur a SS.mo per me Secretarium dispensatio tum quia non fuit paritum statim, quam cum quia processus super non cultu fuit insitus post processum factum in genere, contra formam decretorum S. Inquisitionis.

Et facto verbo per me cum SS.mo, SS.mus probavit expediri dispensationem et in Congregatione declarari quod modo Congregationis sit quod procedi possit dispensando quod S. Inquisitio declaravit.

Decretum:

Sacrae Rituum Congregationi sive Em.mo et Rev.mo Domino Cardinali Pamphilio Proponente.

Polocen. Canonizationis Ven. Martyris Iosaphat Cuncevitii Archiepiscopi Polocen.

Citetur Ill.mus et Rev.mus D. Antonius Cerrus Advocatus Consistorialis et Promotor Fidei a SS.mo D.N. Papa specialiter deputatus, ad dicendum contra Memoriale, cuius copia sibi transmittitur nec non contra processum ultimo loco in Curia fabricatum super humiditate ecclesiae S. Sophiae et in vim ipsius declarandi fuisse paritum decretis SS.mi et ideo posse devenire ad aperitionem 2-di processus in Russia apostolica auctoritate fabricati et iam diu in S. Congregatione praesentati. Ideo citetur idem pro omni suo iure et interesse ad interessendum in prima proxima Congregatione Sacrorum Rituum, quae erit die Sabbathi X-a praesentis mensis Martii, quatenus interesse intendat, alias ad videndum quodcumque decretum necessarium et opportunum fieri et interponi super dicta aperitione iuxta mentem Sanctissimi et S. Congregationis Rituum quibscumque non obstantibus. Instante Ill.mo et Rev.mo Raffaele Korsack, Archiepiscopo et Metropolitano Chiovien. praesenti proc. sive etc.

D. Serenus, Substit.; D. Valentini, Notarius Deputatus. Ex adv. dixit expectandum dispensationem S.D. Nostri in hac causa necessariam, iuxta decretum alias factum, et ea obtenta nihil fieri nec processus aperi, nisi servatis decretis S. Congr. et aliis de iure servandis, aliter etc. omni etc.

Hac die 8 martii 1640

Antonius Cerrus, Promotor Fidei

169.

Romae, 1640.

Expositio brevis de Processibus fabricatis in causa S. Josaphat.

ARCHIVUM S. C. RITUUM, *Memoriali* (31.III.1640) (Sec. histor.).

POLOCEN.

Em.me et Rev.me Domine.

In hac causa fuerunt constructi duo processus remissoriales; alter de anno 1625, quo tempore nondum emanarunt decreta huius Sacrae Congregationis super amotione luminum, tabellarum et aliorum huiusmodi et licet dictus Processus in Rota fuerit approbatus, attamen S. Congregatio illum non approbavit, et de anno 1635 mandavit reiterari. Quare fuit constructus alter processus cum particulari instructione, quae de mandato eiusdem S. Congregationis fuit tradita Rev.mo Domino

Metropolitae pro exacta observatione decretorum, et cum in illa nulla facta fuerit mentio de non cultu et amotione eorum quae cultum praeferunt, nihil propterea super hoc fuit executum; sed cum postea delato ad Urbem hoc posteriori processu fuerit oppositum de defectu processus super non cultu, idem D. Metropolitae patienter et humiliter parendo curavit omnia e sepulchro Servi Dei amoveri, quod sane per plures annos ante factum fuisset, si in instructione fuisset expressum; ergo dilatio non est imputanda illi, qui si melius instructus fuisset, in hoc sicut in ceteris prompte paruisset.

Quod corpus et sepulchrum huius Venerabilis Servi Dei relictum fuerit in pariete super terram non pertinet ad cultum, tum quia in illa ecclesia cathedrali Polocen. propter nimiam humiditatem ac aquae exuberantiam non possunt excavari sepulchra subterranea, ut in fide duorum testium quae datur Em.mo Ponenti, qui, si opus fuerit, potuissent formaliter examinari. Tum quia ex depositionibus testium, de quibus in hoc processu super non cultu, constat, sepulchrum in illo loco constructum fuisse de mandato ipsius Servi Dei tunc adhuc viventis, quum non est verisimile voluisse erigere sibi sepulchrum ad inducendum cultum sui cadaveris; tum denique quia quod cadaver in pariete super terram reperiatur non est argumentum cultus, nam et cadavera illorum qui sine ulla sanctitatis opinione decesserunt, potissimum eorum qui fuerunt in dignitate constituti, plurimos deposuere in locis superterraneis quandoque etiam cum elogiis et monumentis, nec tamen talis depositio de cultu vel veneratione sanctitatis referri consuevit.

Ideo etc.

Laurentius della Rosa

Sacrae Rituum Congregationi

Em.mo et Rev.mo Domino Cardinali Pamphilio

Polocen. Pro causa Martiris Josaphat Cuncevitii.

Memoriale.

(Nota): Ista causa iam erat introducta in Sac. Congregatione et mediantibus consiliis Apostolicae Sedis, ipsi specialiter directis, concessae litterae remissoriales pro fabricandis processibus.

Quorum vigore fuit fabricatus in partibus processus super non cultu de quo agitur.

In alia Congregatione, habita sub die 14 Jan. 1640, fuit dimissus dictus processus e duae venerunt difficultates:

Primum: quod sepulchrum non erat in solo ecclesiae, sed in pariete, ex qua videbatur a lignis eo adhuc separata.

Secundum: quod non apparebat ex processu fuisse paritum decreto S. Inquisitionis ab initio statim atque fuit promulgatum et non

similiter in illis partibus notificatum, sed tantum de praesenti tempore conscriptionis processus de quo agitur.

Pro resolvenda prima difficultate S. Congr. mandavit duo in Urbe examinandi testes a Promotore Fiscali causae, ad probandum in ecclesia ubi dictus Josaphat est sepultus neminem sepeliri in solo, sed in pariete exclusive, propter nimiam humiditatem, et quod Magnates et viri nobiles in toto Regno Poloniae non sepeliuntur in solo, sed in pariete, prout fuerunt examinati duo testes.

Quorum examen existimo nullum nec testes probare assumptum nam quoad nullitatem certum est eandem esse delegatam Congregationi et ideo non posse Cardinalem Vicarium fieri Iudicem Ordinarium nec procedere sine speciali facultate SS.mi. Nec potuit Cardinalis Pamphilius illum subdelegare sine Congregatione, quia ipse a Congregatione electus est ad referendum non ad procedendum sine Congregatione.

Testes vero non probare: primo, quia variant nec sunt concordēs in forma ecclesiae, nam unus illam asserit quadram, alter sublongam, prout de sepulchro Josaphat unus illud asserit prope altare maius, alter proximum altare. Nec excludunt in dicta ecclesia esse sepulchra in solo.

Prout nec minus sufficienter concludunt in Regno Poloniae viros nobiles sepeliri in pariete. Cum unus tantum allegat aliquos ita sepultos, alter vero dicit de nemine recordari.

Ultra quod idemmet qui dictum processum fabricare fecit et promoverit talia et Procuratorem affectat et relatores causae, ita ut reddatur suspectus.

Pro removenda secunda: S. Congr. censuit posse dispensari si SS.mo videbitur. Qui SS.mus, referente RPD Promotore fidei, benigne annuit pro dispensatione, quia interemptus ab infidelibus.

Sed pro ista dispensatione valide obtinenda esse necessaria expeditio Congregationis.

170.

Romae, 1640.

Responsa ad obiectiones promotoris fidei.

ARCHIVUM S. C. RITUUM, *Memoriali* (31.III.1640) (Sectio historica).

POLOCEN.

Emin.me et Rev.me Domine.

Difficultati quam novissime excitavit D. Promotor Fidei in discussione parvi processus fabricati in partibus super non cultu Ven. Servi

Dei Josaphat Concevitii olim Archiepiscopi Polocen. ex eo quod sepulchrum et corpus illius etiam de praesenti reperiatur in loco supra terram et in pariete quod, ut ipse D. Promotor asserebat, videbatur cultum praeseferre, fuit responsum: in Regno Poloniae consuevisse cadavera nobilium, Palatinorum et insignium Praelatorum sepeliri super terram, et ulterius ob maximam humiditatem ecclesiae S. Sophiae et aquae exuberantiam corpora defunctorum ibi non sepeliri in tumbis subterraneis, quia illico in excavatione reperitur aqua, et ideo corpus huius Ven. Martiris fuisse super terram absque ulla re et signo sanctitatem praeseferente reconditum.

Quae omnia et si aliqua ex parte deduci possent ex eodem processu, attamen pro maiori huius veritatis dilucidatione S. Rituum Congregatio mandavit fieri examen testium, cum interventu et assistentia Subpromotoris Fidei, prout fuit factum, et servatis servandis, praevis interrogatoriis a Rev.mo D. Promotore Fidei datis, et articulis in actis exhibitis, coram tribus Rev.mis Episcopis in Curia ab Em.mo D. Cardinale S. Honuphrii Provicario deputatis, nempe Larizza, Archiepiscopo Ragusin., Alterio Camerinen., et Ricciullio Casertan., fuerunt examinati duo testes omni exceptione maiores, nempe Ill.mus D. Ep.pus Samogitiae, et R.P. Gabriel, Monachus S. Basilii, ambo testes de visu, et optime certiorati de huiusmodi facti veritate, qui iuxta interrogatoria optime deposuerunt et probarunt articulata.

Ideo supplicatur declarari, in omnibus et per omnia sufficienter paritum decretis S.D.N. et Sacrae Congregationis super non cultu et mandari aperiri secundum processum iam huic S. Congregationi praesentatum, clausum et sigillatum, super martirio et causa martirii huius martiris, ad effectum tandem terminandi tam piam et dignam causam.

Quare etc.

Laurentius della Rosa

Sacrae Rituum Congregationi

Em.mo et Rev.mo Cardinali Pamphilio Proponente

Polocen. Pro Causa martyrii Josaphat Concevitii Archiepiscopi Polocen.

Responsio ad obiecta D. Promotoris Fidei.

171.

Romae, 1640.

Senatio defectuum in fabricandis processibus, et in specie de non cultu.

POLOCEN.

Beatissime Pater.

Commissa per speciale rescriptum Sanctitatis Vestrae Congregationi Sacr. Rituum causa martyrii Iosaphat Cuncevitii Archiepiscopi Polocen. in Russia, in odium fidei et unitatis S. Romanae Ecclesiae a Scismaticis occisi, fuerunt ab eadem Congregatione relaxatae litterae remissoriales et earum vigore fabricatus processus supra martyrio et causa martyrii eiusdem Archiepiscopi, quo dictae Congregationi exhibito fuit per Promotorem Fidei oppositum de defectu alterius processus ad partes super non cultu eiusdem Iosaphat, qui processus ante omnia construi et in eadem Congregatione exhiberi debebat iuxta dispositionem decretorum Sanctitatis Vestrae, quibus etiam irritantur omnes informationes et processus qui non praemisso huiusmodi processu super non cultu tum in partibus quam in Curia construerentur, et licet ante aperitionem dicti alterius processus fuerit compilatus dictus processus super non cultu et per amotionem tabellarum ac omnium eorum quae cultum praeserferre poterant a sepulchro dicti Servi Dei et aliis locis in omnibus et per omnia praefatis S.V. decretis paritum fuerit, ut in eadem Congregatione demonstratum fuit, quia tamen praedicta non fuerunt adimpleta in principio causae, sed post assumptas informationes et fabricatos processus in causa principali martyrii et alia etiam in curia actitata, nec fuerunt amotae tabellae et omnis cultus sublatus statim post publicata SS.mi Decreta. Propterea ne contingat de illorum validitate iuxta praefatum decretum dispositionem ut supra dubitari, ideo dignetur S.V. ex speciali gratia omnem et quemcumque defectum ac nullitatem in dictis processibus, informationibus et quibuscumque actis tum in Curia quam in partibus ac causis praefatis sanare ac illa omnia quatenus opus sit convalidare, perinde acsi omnia emanassent et facta fuissent post constructum et exhibitum dictum processum super non cultu et fuisset statim paritum in omnibus et per omnia, servata forma praefatorum decretorum, attento praesertim quod non agitur de alicuius praeiudicio et statim habita dictorum decretorum notitia illis cum debita reverentia fuit obtemperatum, prout factum fuisset ab initio si tunc nota fuissent in illis partibus et plurimum conferre potest ad propagandam fidem catholicam et tollendos errores schismaticorum et hereticorum Ruthenorum causam martyrii huius Archiepiscopi quantocitius ad optatum finem perducere, supplendo omnes et quoscumque alios defectus ex causis praemissis, si et quantum in praedictis quomodolibet intervenerint, praemissis nec non constitutionibus et ordinationibus Apostolicis stylo Palatii et Curiae ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque statutis etc. pro plene et sufficienter expressis habendis.

172.

Roma, 31 . III . 1640.

S. C. Rituum declarat, fuisse satisfactum decretis S. Inquisitionis et ad ulteriora procedi iubet.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, v. I, 1592-1654, p. 647-8.

Polocen.

Em.mo Pamphilio referente statum causae q. Josaphat Concevicii, Sac. Congr. stante Commissione SS.mi censuit fuisse satisfactum decreto S. Inquisitionis, et mandavit procedi ad ulteriora, iuxta formam commissionis.

Die 31 Martii 1640.

173.

1640.

De expeditione litterarum et Brevium in favorem Metropolitae Kioviensis post obitum Raphaelis Korsak.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali (Memoriali)*, vol. 401, f. 679rv.

WELIKYJ A. G., *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. I, p. 113, nr. 166.

In Causa Ill.mi D.ni Metropolitae demortui, Raphaelis Korsak.

Literas ad Serenissimum Regem commendando Ecclesiam Ruthenam et Successorem novum subdicando, sed ut sit pius, zelosus et in Urbe educatus.²⁰

Literas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad Episcopos Ruthenos Unitos nomine Sanctissimi, ut in electione Successoris non delectum personae, sed utilitatem Ecclesiae praefigant oculis.

Ab eadem Sacra Congregatione literas ad Dominos Episcopos Ruthenos, ut Seminarii Romani habeant rationem, tum ratione fructus futuri, tum ratione reputationis.

Ad Successorem literas, ut quam primum tertiam partem transmittat ex fructibus defuncto debitis, ex summa quae reposita est apud Do-

²⁰ Electus fuit Antonius Sielava, Archiepiscopus Polocensis (1624-1655), successor Servi Dei Josaphat, qui Metropoliam Kioviensem obtinebat ann. 1641-1655, temporibus difficillimis. Erat educatus in Collegio Graecorum de Urbe ann. 1615-1618 circa.

minum Chodkiewicz, Castelaneum Vilnen., pro alendis duobus in urbe Alumnis, secundum voluntatem testatam, per Patrem Josaphatum, quem ideo obedientia adstringit, et in partes mittit.

Excommunicationem in eos, qui Bona aliquomodo Metropolia rapierint vel quaevis persona praetenso titulo iniuste possideat.

Plenipotentiam ab eadem Sacra Congregatione ad requirenda bona legata pro Collegio Rutenorum in Urbe...

(679v) Literas ab eadem Sacra Congregatione, quod demortuus Metropolitae petitem Serenissimi Regis ad concedendam Synodum cum Schismaticis diligenter promoveret, sed morte praepeditus consequi non potuerit, in bonam spem eundem Serenissimum Regem erigendo.

Petitur, ut S.mo Domino Nostro Sacra Congr. negotium Servi Dei Josaphat exponet, quod non ideo, quod accreverit Russiae nova afflictio ex morte Metropolitae, omnino quiescere debet, quin imo ad sublevationem eorum in pietate promoveri et promotor assignetur.

174.

Roma, 1641.

De validitate processus « de non cultu » ad Urbem transmissi.

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Generali*, vol. 182, fol. 328, 331.
ARCHIVUM S. C. RITUUM, *Positiones* (2.III.1641).

POLOCEN.

Eminentissime et Rn.dme Domine. Fabricato processu in partibus in vim literarum Remissorialium huius Congregationis super Martyrio et causa Martyrii Ven. Servi Dei Josaphat Cuncevitij, olim Polocen. Archiep., eoque ad Urbem delato, cum Procurator causae instetisset pro illius recognitione et aperatione,²¹ D.nus Promotor Fidei opposuit ac protestatus fuit quod non poterat ad aperationem deveniri nec ullo modo in causa ad ulteriora procedi, ex quo non constaret de non cultu praefati Servi Dei, per separatum processum et Decretum Ordinarii, nec de amotione imaginum, tabellarum, luminum ac aliorum cultum et venerationem praeseferebant ab illius sepulchro, iuxta praescriptum Decretorum Sacrae Congregationis et Brevis S.D.N. editi de anno 1634.

²¹ Procurator causae principalis erat Raphaël Korsak, deputatus iam inde ab anno 1635 a Sacra Congr. de Prop. Fide; hic Romae ab alumnis Collegii Graecorum substituebatur. Revera agitur de anno 1638, quo anno munia Procuratoris obibat P. Philippus Borovky. Cfr. supra, nota 9.

Quocirca volens idem Procurator, ut par erat, Decreto et Brevi praefatis obtemperare, posthabitu omnibus ob incommodum et dispendium catholicorum illarum partium afflictionibus et Schismaticorum irrationibus, de mense Augusti anni 1638 impetravit a Sacra Congregatione alias literas Remissoriales, quibus moderno Archiepiscopo Polocen. commissa fuit Inquisitio et cognitio super non cultu et veneratione imaginum sepulchri, et corporis ipsius Servi Dei, tabellarum et aliorum amotione ac dicto Decreto et Brevi omnimoda partitione cum solitis facultatibus et praesertim deputandi in illis partibus Fidei Subpromotorem, qui in unoquoque actu citari deberet, et prout latius in dictis literis, registratis in processu fol. X. a tergo, quarum vigore, Deo benedicente, constructus fuit coram D. Archiepiscopo delegato huiusmodi processus, in quo omnibus rite et recte peractis, iuxta formam praedictorum Decretorum et literarum Sacrae Congregationis, probatum ac declaratum fuit iisdem Decretis sufficienter paritum fuisse, ut in sententia, de qua in processu fol. 30 et successive praefatus Iudex totum processum clausum et obsignatum per fidelem ac iuratum portitorem ad Urbem transmisit. Qui cum de mense Novembris proxime praeteriti Sacrae Congregationi exhibitus ac de illius speciali mandato, citato Domino Fidei Promotore, servatis servandis, recognitus fuit et apertus, hodie supplicatur Sacrae Congregationi, ut dignetur declarare ex eodem processu constare de sufficienti partitione et observatione praedictorum decretorum et mandare aperiri processum remissorialem alias exhibitum in causa principali Martyrii ac in ea ad ulteriora procedi, cui petitioni omnino videre annuendum.

(f. 328v) Siquidem de validitate huius parvi processus iam aperti nulla ratione dubitari posset cum fuerit fabricatus auctoritate Apostolica a praefato Archiepiscopo Polocen. per literas Sacrae Congregationis ad id specialiter delegato, quarum formam exacte observando deputavit imprimis Subpromotorem Fidei D. Heliam Zaorschi, similiter Notarium et Nuncium, pro describendis actis et exequendis citationibus, ut in ipso processu, fol. 1. a tergo, qui postea iurarunt de exercendo fideliter officio, fol. XI. a tergo, et examinatis quatuor testibus iuxta Interrogatoria D. Promotoris Fidei et super Articulis productis per Procuratorem causae, citato semper in quolibet actu praefato Domino Helia, in Subpromotorem Fidei deputato, pronunciato pro praesente vi Decretorum et Brevis, et super haec omnia acta fuerunt instante Domino Nicanore Cotarscio in hac causa Procuratore, qui docuit de legitimo mandato Procuraе, fol. 2do.

Ex iis autem quae deposuerunt quatuor testes in eodem processu examinati partim iuxta 8, 9 et 12 Interrogatorium et super 2° et 3° Articulis concludenter probatum remanet: Lampadem et imaginem cum

luminaribus cereis ac tabellis votivis, quae antea erant appensa ante sepulchrum Servi Dei in ecclesia maiori Polocen. Sanctae Sophiae, prope altare Sanctae Crucis, omnia amota fuisse, ita ut nihil quod illius cultum et ven. praeseferat ibi hodie reperiatur, sed nudi parietes conspiciantur, sicut nec alibi imagines ipsius cum radiis luminibus aut diademate conspiciuntur, prout testes praefati asserunt, reddentes optimam causam scientiae, quia cum prius talia oculis propriis vidissent, postea amplius illa non viderunt, eo quod amota fuissent et in sacristiam ecclesiae translata.

Nec de legitima illarum executione dubitari potest, cum omnes et singuli testes per Subprocuratorem causae prius inducti fuerunt et citati, fol. 14°, et quilibet... citato Domino Fidei Subpromotore in testimonio citatis iuraverit in manibus ipsius Iudicis ad sancta Dei Evangelia de veritate dicenda super articulis et tota causa, fol. 16, et deinde unusquisque fuit, praesente eodem Subpromotore, secreto et singillatim examinatus, primo iuxta interrogatoria, postea super articulis, ut in dicto processu a fol. 19°, et 29°. Et quia ex illis duo deposuerunt idiomate polono, fuerunt horum depositiones, servatis servandis, translatae in idioma latinum, quamvis et aliorum duorum depositiones sufficere potuissent ad L. *Ubi numerus* §. *de testibus*. (f. 331) Absoluto examine testium et prolata sententia super partitione, ut super, de mandato Iudicis eiusdem fuit hic processus ab originali extractus et per Notarium specialiter deputatum ac iuratum coram ipso Iudice collacionatus ac ab illo ac Notariis subscriptus, clausus et obsignatus ac citato semper D. Subpromotore Fidei Portitori fideli ac iurato consignatus, ut a fol. 31 ad finem, et novissime in Sacra Congregatione exhibitus, ac per duos testes in Curia cum Interrogatoriis D. Promotoris Fidei formiter recognitus et praevis eiusdem S. Congregationis Decreto, servatis servandis, apertus, ut in Registro actorum in Curia generali datur ad partes.

Ex quibus cum plene constet de observantia Decretorum et sublata remaneat oppositio alias facta per D. Fidei Promotorem, supplicatur pro aperitione alterius processus iam dudum Sacrae Congregationi exhibiti, ut super, et mandato de procedendo ad ulteriora in causa principali Martyrii, prout ex solita Em.rum et Rev.rum DD. Benignitate speratur.

Laurentius della Rosa

Sacrae Rituum Congregationi. Polocen. (f. 331v)

Pro aperitione processus auctoritate Apostolica ultimo loco fabricati de mandato huius Sacrae Congregationis in Causa Ven. Martyris Josaphat Cuncevicij.

Memoriale facti.

Sacrae Rituum Congregationi - Em.mo ac Rev.mo D. Cardinali Pamphilio.

Polocen: Pro Canonizatione Ven. Martyris Josaphat Cuncevitii Memoriale facti: Super validitate processus denuo fabricati.

(Nota): Processum esse validum et testes rite examinatos. Sed fiat verbum cum SS.mo an velit proponi negotium coram Sanctitate Sua.

Decretum: Sacrae Rituum Congregationi sive Em.mo ac Rev.mo D. Cardinali Pamphilio.

Polocen.: Canonizationis Ven. Martyris Josaphat Cuncevitii Archiepiscopi Polocen.

Dubium: An processus de novo fabricatus in Civitate Polociae validus sit et in forma probanti et testes rite et recte examinati.

Intimetur Ill.mo et Rev.mo D. Antonio Cerro Auditori Concistoriali ac Promotori Fidei a S.mo D. N. specialiter deputato, qualiter Em.mus D. Cardinalis Pamphius huiusmodi causae relator proponet super dubium, ideo citetur idem ad dicendum contra informationem D. Laurentii Rosae super validitate dicti processus pro prima proxima Congregatione Sacrorum Rituum. Ideo citetur idem ad interessendum quatenus interesse intendat, alias videri desuper quodcumque decretum, necessarium et opportunum fieri et interponi, nempe constare de validitate processus et legitimo examine testium. Instante R. P. Philippo Burovio, principali procuratore Causae etc.

Ex adverso: nihil relevans sibi occurrere opponendum super dubio praeinserto. Datum hac die 22 Ianuarii 1641.

Antonius Cerrus, Promotor Fidei (mp.).

175.

Roma, 26 . I . 1641.

Validitas processus quoad omnia approbatur a SS.mo Domino.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, vol. I: 1592-1654, p. 654.

Die Sabbati 26 Jan. 1641, hora 20 cum dimidia, fuit Sac. Rit. Congr. in Palatio Em.mi Card. Pij...

Polocen.

Em.mo Pamphilio referente causam q. Josaphat Concevitii Sacra Congregatio censuit processum, de quo agitur, esse validum et testes esse rite, et recte examinatos, et mandavit fieri verbum cum SS.mo, an SS.tas Sua velit de hoc agi in Congregatione coram Sanctitate Sua, et audita

relatione processus, facta per Em.mum Pamphilium, praesente Em.mo Sacchetto, promotore fidei, et me Secretario, Sanctitas Sua praedicta approbavit absque alia Congregatione.

Die 26 Januarii 1641.

Romae, 2 . III . 1641.

* * *

ARCH. S. C. RITUUM, *Memoriali* (28 . VI . 1642) (Sectio historica).

Copia Decreti Sacrae Congregationis Rituum emanati in huiusmodi causa super validitate processus.

Polocen.

In causa Servi Dei Josaphat Archiepiscopi Polocensis ab haereticis pro fide catholica interfecti in qua SS.mus D.N. iam mandavit quod de ea agi possit in qualibet Congregatione ordinaria. Disputato dubio particulari: An processus de novo fabricatus in civitate Polociae sit validus et in forma probanti et testes sint rite et recte examinati, Sacra Rituum Congregatio ad relationem Em.mi Cardinalis Pamphilij, citato et auditio ac praesente R.P.D. Promotore fidei, censuit processum esse validum et testes esse rite et recte examinatos, et posse, si Sanctissimo videbitur, procedi ad ulteriora.

Et facta relatione S.mo per d. Em.mum Cardinalem Pamphilum de statu huius causae, praesente Em.mo Cardinali Sacchetto nec non R.D.P. Promotore fidei et me Secretario, Sanctitas Sua laudavit sententiam Sacrae Congregationis *et mandavit procedi ad ulteriora in huiusmodi causa absque eo quod expectetur super hoc Congregatio particularis coram Sanctissimo.*

Die 2 Martii 1641.

C. Episcopus Ostien Cardinalis Pius

(Loco + sigilli)

Julius Cintius, Secretarius (mp).

176.

Romae, 28 . VI . 1642.

Instantia Procuratoris, ut ulterius procedatur in causa.

ARCHIVUM S. C. RITUUM, *Memoriali* (28.VI.1642) (Sectio historica).

Ill.mo e Rev.mo Signore.

Il Procuratore della Causa del Venerabile Martyre Iosaphat Cuncevitio Arcivescovo di Polocia dell'Ordine di S. Basilio havendo veduti li decreti usciti alla stampa in materia di Canonizatione, a quali ad amussim si è obedito in questa causa, espone a V. S. Ill.ma come sotto 7 dicembre 1641 fù dall'Em.mo Cardinale Pamfilio Relatore proposto il dubio: An constet de Martirio et causa Martirii, citato et audito in voce et in scriptis Mons. Cerro, Promotore della Fede, sopra di che non fù presa risoluzione, ma detto: Dilata et dentur scripturae Consultoribus, il che è stato con gran spesa eseguito e dato li summarii, informationi et oppositioni con risposta a tutti gli infrascritti: Ill.mo Celso, Confessario SS.mi, Ill.mo Oreggio, Sanctissimi Theologo, Ill.mo Omodeo, Promotore, Ill.mo Merlino, Sacrae Rotae Decano, Ill.mo Sacristae SS.mi, Rev.mo Abbati Hilarioni, Ad. R. P. Lucae Vadingo, Ord. S. Francisci, Adm. R. P. Terentio Alciato, Soc. Jesu.

Et perche l'Em.mo Cardinale Signor Panfilio è sempre pronto a proporre detto dubio per ultimare una volta tanto degna e pia causa, si supplica V. S. Ill.ma degnarsi per la prima Congregatione intimare a tutti gl'Em.mi et a ciascuno di detti Consultori in specie che debbano intervenire nella Sacra Congregatione, essendo di già da Nostro Signore stato dispensato che di questa causa se ne possi parlare in quacumque delle Congregationi ordinarie, sicome appare dall'infrascritto decreto: Polocen. - In causa Servi Dei Josaphat Archiepiscopi Polocen. ab hereticis pro fide catholica interfecti, in qua S.D.N. iam mandavit quod de ea agi possit in qualibet Congregatione ordinaria, disputato dubio particolari: An processus de novo fabricatus in Civitate Polociae sit validus, et in forma probanti et testes sint rite et recte examinati, Sacra Rituum Congregatio ad Relationem Em.mi Cardinalis Pamphillii, citato et audito ac praesente R.P.D. Promotore Fidei, censuit processum esse validum et testes rite et recte examinatos. Et facta relatione Sanctissimo per dictum Em.mum Card. Pamphilium de statu huius causae, praesente Em.mo Cardinali Sacchetto ne non laudavit sententiam Sacrae Congregationis et mandavit procedi ad ulteriora in huiusmodi causa absque eo quod expectetur super hoc Congregatio particularis coram Sanctitate Sua. Die 2 martii 1641.

C. Ep. pus Ostien. Card. Pius

(Loco sigilli)

Julius Cintius, Secretarius

All'Ill.mo e Rev.mo Signore Mons. Paolucci Segretario de Sacri Riti

Polocen.: La causa del Ven. Martire Josaphat Cuncevitio
Archiepiscopo di Polocia

(*Nota*): Die 28 Junii 1642. Polocen.: Ven. Josaphat Cuncevitii
Fiat novus... decretorum ad ratificationem et confirmationem omnium
gestorum...

177.

Romae, 28 . VI . 1642.

Supplicatur pro expeditione causae Josaphat Kuncewycz.

ARCHIVUM S. C. RITUUM, *Memoriali* (28.VI.1642) (Sectio historica).

Emin.mi et Rev.mi Signori.

Li Monaci Ruteni dell'Ordine di S. Basilio²² humilissimi e devotissimi Oratori dell'Em.ze Vostre con ogni dovuta riverenza le supplicano degnarsi di spedire la Causa del Ven. Martire Arcivescovo Josaphat Cuncenitio in conformità dell'istanze fatte più volte dalla Maestà del Re di Polonia, dalli Vescovi, Clero e Nobiltà di tutto quel Regno, che del tutto ne resteranno con perpetuo obbligo all'Eminenze Vostre, oltre di che sarà di gran frutto alla propagazione delle santa fede cattolica etc.

Pamphilio.

Alla Sacra Congregazione de Riti

Per la causa del Ven. Martire Josaphat Arcivescovo di Polocia
(*Nota*): Die 28 Junii 1642. Polocen. S. D. Josaphat Archiepiscopi.
Supplicatur pro expeditione.

178.

Romae, 28 . VI . 1642.

*Propositio quaestionis de martyrio Servi Dei Josaphat, post probatam
validitatem secundi Processus Polocensis an. 1637.*

ARCHIVUM S. CONG. RITUUM. *Memoriali* (28.VI.1642) (mazza); *Positiones*, nr. 270.
(Sectio historica).

²² Revera agitur de alumnis romanis basilianis, et praesertim de Philippo Borovyk, qui tunc Procuratorem negotiorum Ecclesiae et Ordinis in Urbe agebat (1638-1651).

POLOCEN. MARTYRII (f. 91)

DUBIUM: An constet de Martyrio et causa Martyrii Venerabilis Josaphat Archiepiscopi Polocen. in casu, etc.

Em.me et Rev.me Domine.

Vigentibus apud Ruthenos Schismaticorum erroribus, ita ut paucissimi riperirentur in Russiae partibus catholici, qui in unitate fidei S.ae R.E. adhererent, Omnipotens Deus, qui pro sua ineffabili providentia animas sanguine suo redemptas auxiliis non patitur destitui salutaribus, ad succedendos et eradicandos huiusmodi errores de gente ipsa Ruthena suscitavit virum zelo, fide et apostolico spiritu plenum, Josaphat Cuncvezium, qui natus Vladimiriæ de anno 1584 ex catholicis et honestis parentibus, catholico ritu baptizatus, ac ab illis pie educatus, iuxta ea quae deponunt testes summario n.ro primo.

Postquam primos adolescentiae annos Vilnae in servitio Ecclesiae SS.mae Trinitatis, quae est Ecclesia unitorum, orationibus ac divinis officiis assidue vacando religiose transegit, anno 1604, aetatis suae 20, monasticam vitam sub Regula S.ti Basilii ritus graeci catholici in eadem Ecclesia SS.mae Trinitatis amplexus et professus est, Summ.o n.ro 2-o.; qua in Religione brevi tempore virtute adeo et doctrina profecit, ut translato paucos post annos Josepho, illius Ecclesiae Archimandrita, ad totius Russiae Metropolim, ipse in eius locum suffectus, creatus fuerit Archimandrita Vilmensis, quo munere suscepto omnibus omnia factus nedum Archimandritae officium perfecte adimplebat, sed ob penuriam sacerdotum unitorum solus omnia fere ecclesiastica munera obibat; divinis enim officiis assidue intererat, confessiones monachorum, monialium et saecularium audiebat, conciones frequenter habebat, caeteraque charitatis et pietatis officia exacte praestabat, iuxta depositiones testium, de quibus in Summario n. 3-o. Donec defuncto de anno 1619 Gedeone, Archiepiscopo Polocensi, sub quo nullus in illa dioecesi repertus fuit catholicus unitus, ad illum Archiepiscopatum invitatus assumptus fuit, ut per testes, de quibus in Summario n.o 4-o.

Auctus dignitate, quam non ut praeesset, sed ut prodesset accepit, zelo una auctus fuit et charitate, unde lucro et saluti animarum pro suo pastoralis munere eo magis intentus omnes ad confitendum peccata sua (f. 92) hortabatur, et ipse uti privatus sacerdos singulorum confessiones passim, et ubique excipiebat. Conciones frequenter habebat, illudque omni officio, ac pietate curabat, ut pulsa schismaticorum haeresi gregem sibi commissum ad ovile Petri in unitate S.tae Romanae Ecclesiae reduceret, quod Deo bene iuvante feliciter adeo praestitit, ut triennio, quo Archiepiscopatum rexit Polociae, Vitepsci, et Mscislaviae (tribus enim his civitatibus praecipue continetur Archiepiscopatus Polocen.),

quae antea grassabatur schismatis luem pro maiori parte extinxerit, prout de his omnibus bene deponunt testes, Summario n. 5-o.

At vero cum Schismatici a prima die, qua Servus Dei Archiepiscopus administrationem suscepit, eum agnovissent acerrimum Unitatis Ecclesiae propugnatorum, ac Unionis cum Romana Sede Promotorem, eum tam magno odio prosequuti sunt, ut pluries tum Polociae tum alibi facta conspiratione eum ad necem quesierint paratis insidiis, ipsum ac eius familiares male habuerint, donec adinvento quodam Smotricio, Pseudo Archiepiscopo Polocen.,²³ qui submissis Pseudo-monachis, qui populum commoverent, et odium Schismaticorum in Servum Dei magis accenderent, Anno Domini 1623, die 12 Novembris, Vitepsci excitato ex industria tumultu ac impetu facto in aedes episcopales, post eversam domus supellectilem, caesos et undequaque male habitos Archiepiscopi familiares, impium propositum exequendo ipsum e cubiculo egredientem capite securi disiecto crudelissime interfecerunt.

De hac igitur morte, quam praefatus Archiepiscopus passus est a Schismaticis, videndum est an illi ad verum martyrium sit imputanda, ita ut vere constare dicatur de illius martyrio, iuxta dubium propositum ex infrascriptis affirmative resolvendum.

Cum enim perfecta ratio martyrij consistat in duobus videlicet, in poena et causa poenae; In poena non quacumque, sed mortis voluntarie susceptae, neque enim alia ratione homo perfecte testificari potest se pro Deo omnia contemnere, nisi vitam ipsam, quae est inter bona temporalia praecipuum, mortem sustinendo contempserit, iuxta illud Job: pellem pro pelle et cuncta quae homo habet dabit pro anima sua, et docet S. Thomas 2-a 2-ae, quaestione 124, art. 4-o, in corpore (f. 93): in causa quae est veritas fidei vel actus virtutis in Deum relatus, ut scilicet qui mortem patiatur eam sustineat propter fidei veritatem, quam credendo vel bene propter Deum operando praestetur, ut explicat idem S. Doctor, et ibi interpretes communiter, d. q. 124, art. 5-o.

Quod attinet in primis ad poenam mortis, quod Venerabilis hic Archiepiscopus mortem a Schismaticis passus fuerit, adeo notum est, ut

²³ Meletius Smotryckij (1578-1633), polemista anticatholicus inde ab anno 1608; anno 1617 monachus in monasterio Vilnensi S. Spiritus, dein electus et consecratus Archiepiscopus Polocensis (1620) sede plena, quam obtinebat Josaphat Kuncewycz. Post occisionem Servi Dei Josaphat Kuncewycz, ab omnibus ut causa excidii Vitebscensis accusatus, contulit se in Orientem, unde reversus fidem catholicam professus est anno 1627, et in defensionem Unionis quatuor adhuc edidit opera. Accepto anno 1631 Archiepiscopatu titulari Hieropolitano a Papa Urbano VIII, anno 1633 obiit Dermanii in odore sanctitatis. De ipso cfr. biographiam scriptam ab episcopo Chelmensi Jacobo Susza, *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis sanguine Beati Josaphat transformatus sive Meletius Smotriscius Archiepiscopus Hieropolitanus, Archimandrita Dermanensis Ord. S. Basilii M.*, Romae 1666.

nulla fere videatur indigere probatione, sed hoc optime deponunt testes in processu Remissoriali Polocensi, qui dantur in Summario n. 6-o, et praecipue Gregorius Uszacki testis, eiusdem Ven.lis Josaphat familiaris, qui fuit praesens, et ipse quoque vulneratus, et in Processu Compulsoriali, fol. 179, facti seriem sic refert :

Interim, inquit, Schismatici occupata iam per vim tota Curia Archiepiscopali, caesis omnibus famulis totam diripiebant supellectilem; auditis his clamoribus Antistes procedit e Camera, et clausis ipse foribus sacratissimae Crucis formavit effigiem me a sinistra parte (inquit testis) illi adstante, et pro more suo dulcissime hostes allocutus: filioli, quare famulos meos ceditis? Si aliquid contra me habetis, ecce adsum. Tunc ex opposita Camera erupuerunt duo, et ut Archiepiscopum stantem viderunt alter (stringente illo ad modum crucis ad pectus manus) fuste caput petijt, securi divisit alter; prostratum vero quotquot in atrio fuerant omni telorum genere confodiebant, et contundebant; elevata tamen manu inter tot vulnera exclamavit Athleta Christi: o, Deus meus! Audientes hoc sicarij extra atrium illum extrahunt ibique globis sclopetariis caput sacrum traiciunt et iterum fustibus cedunt; cumque corpus vestibus exuissent ac cilicio indutum comperissent, ex hoc suspicati, quod occisus fuisset alius et non Archiepiscopus (meliori enim ac molliori indutio dicebant ille utebatur), totam domum perquirere coeperunt, ut Archiepiscopum invenirent, donec ex teste ipso, quem ad corpus recognoscendum adduxerunt sub iuramento certiores facti fuerunt vere Archiepiscopum ipsum et non alium fuisse occisum, cum qua depositione concordat 2-us testis Romae examinatus, iuxta septimum, de auditu a fratre, qui fuit praesens martyrio, et alii quamplures in utroque Processu Polocen. et Vitepsci, qui omittuntur, cum hoc ex confessionibus eorum, qui scelus tantum patrarunt et ex publico supplicio, quod de illis sumptum fuit, adeo notum sit in illis partibus, ut maiori non indigeat probatione.

Quod vero attinet ad causam mortis in qua praecipue consistit ratio formalis martyrij iuxta illud Augustini: non poena sed causa facit martyrem, quod praefatus Archiepiscopus Josaphat mortem passus fuit a Schismaticis in odium fidei, quia profitebatur unionem Ruthenorum cum S.R.E. totis viribus promovendo. (f. 94)

Probatur in primis ex attestationibus quam plurium testium catholicorum, qui optime noverunt odium, tractatus, insidias et reiteratas conspirationes Schismaticorum contra Servum Dei et ex his ac etiam ex confessione ipsorum sicariorum, qui id expresse, antequam supplicium paterentur, testibus ipsis manifestarunt. Et in specie ex confessione unius illorum, nomine Passora, qui antequam supplicium pateretur conversus fuit ad fidem catholicam, et palam dum esset in carcere pluribus audien-

tibus testatus est se mortem intulisse Archiepiscopo Josaphat ac alios ad eam inferendam induxisse non aliam ob causam, nisi quod se profiteretur unitum et quod Ruthenos traheret ad eandem unionem, quod deponunt quamplures testes, praesertim 4-us in Processu remissoriali interpretato iuxta 18, fol. 4-o, qui subdit se pluries audivisse Schismaticos contra Archiepiscopum clamantes : Cede, occide hunc Papistam Latinum; et alii deponunt solum occisum fuisse, quod Summo Pontifici obediens fuerit, et Primatum Sancti Petri defenderit, et eum toto tempore sui Archiepiscopatus vixisse in periculis propter unionem, et saepius contra illum a Schismaticis fuisse excitatos tumultus, et dum interrogarentur de causa eos palam respondisse quia Archiepiscopus recognoscit Papam, et nos Papistas efficere conatur; quorum testium dicta dantur in Summario n. 6-o, et uberrime omnium testatus est Rev.mus Archiepiscopus totius Russiae Metropolitae,²⁴ qui in sua attestatione in fine de morte huius Archiepiscopi haec habet : « Denique, inquit, virum Dei pro fide catholica, pro Ecclesia eius Sancta, pro explicita, firma et aperta confessione auctoritatis supremae Papae Romani in universalem Ecclesiam Christi esse occisum omnes affirmant, et nullus in hoc amplissimo Regno Poloniae a summo usque ad infimum hucusque repertus est, qui contrarium dicat, cum quibus et ego idem sentio, et affirmo, sic Deus me adiuvet, et eius sacratissima passio »; quibus adstipulantur litterae in forma Brevis S.D.N. ad Regem Poloniae et litterae Episcoporum illarum partium transmissae ad Sacram Congregationem de propaganda fine, quae dantur in Summario, n. 7-o.

2-o : Id ipsum principaliter probatur ex communi omnium (f. 95) reputaione, et publica fama in toto Archiepiscopatu Polocensi, in Provincia Russiae, immo in toto Regno Poloniae, ubi nullus est qui Venerabilem hunc Archiepiscopum non reputaverit et hodie non reputet Sanctum, et verum Christi martyrem utpote occisum propter causam fidei et unionis cum S. Romana Ecclesia, de qua praeter allegatam attestationem Metropolitae deponunt quamplures testes, Summario n. 8-o, asserentes huiusmodi communem reputationem et famam publicam habuisse originem a gravissimis personis.

3-o : Quod Schismatici ad occidendum dictum Archiepiscopum moti fuerint ex eo quod ille causam unionis promoveret aperte colligitur ex actibus praecedentibus factum parricidii. Cum enim ille tam sermone quam opere totus in hanc unionem perficiendam incumberet ac Schisma e sua dioecesi eliminare omnino conaretur, ut deponunt testes Summario

²⁴ Josephus Velamin Rutschyj, Metropolitae Kioviensis (1613-1637); cfr. eius « Attestationem » in vol. I Documentorum pag. 281-249, nr. 77, sub dat. 1628.

n. 9-o, ita ut a Schismaticis ipsis raptator animarum vocaretur, et haberetur; propterea odium quam maximum iidem Schismatici contra eum conceperunt iuxta ea, quae habentur in eodem Summario n. X-o, et nedum illi pluries mortem minati fuerunt, nisi destitisset a promovenda unione, et de auditu minarum deponunt testes in Summario n. 11-o, sed re ipsa saepius Vitepsci in eum facta conspiratione, insidias struxerunt, et occidere tentaverunt, et in specie de anno 1621, die 6 Augusti, in Ecclesia Collegiata Vitepscensi in eum Sacra facturum habitu sacerdotali indutum impetum talem fecissent ut pene occideretur, confessario illius et oeconomio interim fustibus exceptis, prout deponunt testes in Summario n. 12-o. Et iterum de anno 1622, cum in eadem Ecclesia Vitepsci celebraret unum ex illis Diacono ministranti colaphum impigisse et oblata quae deferebat in terram deiecisisset. Similiter eodem anno in festo Pentecostis cum Archiepiscopus processionem absolvisset, ultra plures iniurias, et contemptus latere percutsum fuisse; rursus eosdem Schismaticos eum in flumen deijcere, et submergere attentasse. Item Polociae anno 1622 de mense Aprilis in Praetorio Polocensi, cum lecto Regio privilegio super provisione Archiepiscopatus occasione illius clausulae (quod in unitate permaneret cum Sancta Romana Ecclesia), declarasset se esse unitum, et talem futurum usque ad mortem, et interrogasset Polocenses an ipsi quoque essent uniti, tunc omnes Schismatici (f. 96) unanimi voce clamantes responderent: se non esse unitos, et contra ipsum Archiepiscopum talem excitarunt tumultum, ut non ille tantum, sed etiam Vicepraetor, et caeteri Catholici, qui ei adhaerebant, in maximo vitae discrimine fuerint, donec tumultu pacato, auctoritate Magistratus adhuc Schismatici duas feminas instruxerint, ut quando Josaphat e Praetorio discederet, et scalas descenderet ex insidiis cultris eum confoderent. Sane ex huiusmodi praecedentibus minis, insidiis, et conspirationibus, quos quotidie parabant Schismatici Vitepscenses contra dictum Archiepiscopum eo quod sectam eorum destrueret, de quibus etiam deponunt alii testes in Summario n. 12, insurgit violenta praesumptio quod et eodem animo ad executionem impij et nefandi parricidij pervenerint.

4-o: Quod in eodem animo perseveraverint Schismatici etiam de tempore mortis ipsius Archiepiscopi demonstrarunt ipsimet per actus immediate consequentes, quatenus cognita illius morte quotquot aderant Schismatici in loco Vitepsci, viri, pueri, senes, feminae omnes indeferentes accurrentes corpus exanime pedibus calcabant, barbae et capitis capillos vellebant, in faciem expuebant, aliisque ignominiiis afficiebant, donec a quodam monte in flumen praeceps datum fuit, prout deponunt testes, de quibus in Summario n. 13-o.

5. Quod Deus Optimus Maximus Venerabilem hunc Antistitem martyrii gloria coronare voluerit facilius suadetur ex constanti illa animi fortitudine, qua in hostes fidei, contempto omni vitae periculo, ferebatur, et ex ardenti desiderio, quo flagrabat mortem pro Christo et illius Ecclesiae Sanctae unitate subeundi, ita ut dum saepius ab amicis, et domesticis moneretur, ut caveret ab odio Schismaticorum, quia eum ad necem querebant, et enixe rogaretur ne proficisceretur Vitepscum, non solum non timeret, quae illi manifestabantur Schismaticorum insidiae, sed eo maiori charitate et sollicitudine ubique Sanctae Unionis causam promoveret, illud saepius testatus, se nihil magis optare quam pro Christi fide et unitate Ecclesiae sanguinem fundere; vid. ea quae deponunt testes, qui talia ex ipsius ore audiverunt, Summario n. 14.

Augent denique Martyrii fidem praeter integritatem corporis, quod constat spatio quinque annorum incorruptum, cute ossibus superextensa, conservatum fuisse, ut ex visitatione facta per iudices Remissoriales, Summario n. 15-o, et signa quae post mortem gloriosi martyris immediate apparuerunt, nec non etiam aliqua miracula vel invocatione Venerabilis Josaphat vel tactu reliquiarum ipsius a Deo Optimo Maximo patrata, de quibus infra (f. 97).

Item ab omnibus observatum fuit, quod licet facies ipsius Josaphat post mortem a Schismaticis pedibus conculcata fuisset, ac multis modis deformata, ubi tamen corpus ab aquis extractum fuit apparuit mirum in modum splendida, et corruscans, qualis nunquam visa fuit, dum viveret, ut ex ea nescio quid humani vultus nitorem excedens erumpere videretur, et aspectum, ut testes exprimunt praeseferebat angelicum, ut in dicto Summario n. 15-o.

Visa enim fuit ipsa die mortis nebula quaedam sanguinea super civitate Vitepscen, quae perduravit, donec corpus Archiepiscopi extraheretur ab aquis, in quas illud lapidibus obrutum demerserant Schismatici, et eo extracto non sine magna totius populi admiratione evanuit, ut testantur de visu testes quamplures, Summario n. 16-o.

Sed admirabilis videtur illa conversio calicis, qui dum corpus Servi Dei solemniter deferretur, et prope locum in quo fuerat synagoga Calvinistarum pertransisset, etsi funiculis arctissimis serico feretrali colligatus esset, tamen illis omnino intactis, ubi ad locum Synagogae pervenit sponte conversus est, ut deponunt de visu multi testes in dicto Summario n. 17-o, quasi per hoc mirabiliter manifestare voluerit Deus Optimus Maximus quod in Servo suo etiam defuncto adhuc viveret Domus suae zelus, et quam ipse vivens oderat malignantium hereticorum Ecclesiarum etiam mortuus a communione calicis arceret.

Apparuerunt et lumina super corpus occisi Praesulis, et super flu-

men in quo illud corpus demersum fuerat, ut deponunt de visu testes relati in Summario n. 18-o, qualia legimus saepe visa fuisse circa corpora Sanctorum Martyrum.

Et, quod maximum est, veri martyrii argumentum mors illius multorum haereticorum conversionem operata fuit sicut sanguis eius vel ipsis Schismaticis parricidis profuerit dum fere omnes cum ex corde parricidium detestati fuissent ac publice scelus tantum deplorassent in unione catholica decesserunt, ut ex depositionibus testium, qui dantur in fine eiusdem Summarii n. 19-o. Hoc enim merito martyrii in Ecclesia Dei adscribitur, ut martyr Christi, tanquam granum frumenti cadens in terram, postquam mortuus fuerit multum fructum afferat.

Et quamvis ad probationem martyrii miracula non sint necessaria prout saepius fuit resolutum, et praesertim in Relatione 26 Martyrum Discalceatorum S. ti Francisci de Observantia, qui pro Christi fide in Japonia cum aliis (f. 98) tribus Religiosis Societatis Jesu crucifixi fuerunt et ex praedictis satis constare videatur de martyrio, et causa martyrii huius antistitis, attamen ex abundantia recenseri possunt plura miracula, quae ad ipsius Beatissimi Archiepiscopi intercessionem Deus Optimus Maximus in illis partibus dignatus est operari, quorum aliqua referuntur in Summario n. 20-o.

Ex quibus cum satis probata remanent in hoc Venerabili Archiepiscopo insignis vitae sanctimonia, et clarum pro fide catholica et S. Matris Ecclesiae unitate martyrium, unde fides ipsa mirum in modum in illis partibus propagata, et Schismaticorum magnus numerus ad unitatem reductus fuit. Ideo pro posse Ser.mi Regis aliorumque Procerum, Palatinorum, Archiepiscoporum, Episcoporum ac universi Cleri Regni Poloniae, ac totius Religionis Monachorum S. Basilij, supplicantur Em.mi Domini quatenus dignentur decernere causam esse in tali statu, ut, si Sanctissimo placuerit, possit dictus Archiepiscopus Josaphat in Sanctorum Martyrum numerum referri, et in die passionis eius per universum orbem ab omnibus tam saecularibus quam Regularibus in eorum Ecclesiis officium ac missa de communi unius martyris iuxta Breviarii, ac Missalis Romani rubricas, respective recitari, et celebrari ad maiorem Dei gloriam et Catholicorum fidei propagationem. Ideo etc.

Laurentius della Rosa, Advocatus (mp).

(f. 98v): Sacra Rituum Congregatione

Em.mo et Rev.mo D. Cardinali Pamphilio

POLOCEN.

Pro Declaratione Martyrii Venerabilis Josaphat Cuncevitij,
Archiepiscopi Polocensis. - Facti

P. Terentio Alciati.

179.

*Romae, mense iunio 1642.**Summarium Actorum de Martyrio et causa martyrii Servi Dei Josaphat.*ARCHIVUM S. CONGR. RITUUM, *Positiones*, N. 270, f. 112-136v; *Memoriali* (28 . 6 . 1642).
(Sectio historica).

SUMMARIUM :

POLOCEN. Martyrii Venerabilis Josaphat Cuncevitij, Archiepiscopi
Polocen.

N. 1. - NATIVITAS, BAPTISMUS, ET EDUCATIO

(Proc. remissor. fol. 38)

Primus testis R.P.D. Gennadius ²⁵ annorum 55, citatus et iuratus. Juxta 7-um interrogatorium respondit: Ego cognovi Josaphat Cuncevitium et scio quia natus est anno salutis circiter 1580, Vlodimiriae in Volinia; parentes ipsius fuerunt Gabriel Cuncevycz, Consul Vlodimirien, et Maria, filia unius Consulis eiusdem Civitatis. Orthodoxi illi fuerunt quia eo tempore neque nominabatur Schisma. Fuit baptizatus in Ecclesia Vlodimirien, et fuit vocatus in Baptismo Joannes. Catholice et in Orthodoxa fide postea fuit educatus. Haec omnia scio quia legi testimonium civitatis Vlodimirien., quod asservabatur in Archivo Vilnen. Monasterii SS.mae Trinitatis Monachorum Unitorum Ordinis S.ti Basilii Magni, et nunc scio illud idem advectum esse Polociam ad instantiam Ill.mi D. Archiepiscopi Polocen. Idem etiam scio ex relatione et ore proprio Servi Dei Josaphat, qui saepius coram me et multis aliis praesentibus nomen Patris et Matris recensebat et educationem suam. Imo hoc audivi ex ore

²⁵ In praesenti *Summario Actorum* saepe occurrunt nomina testium, ex Processu Polocensi anni 1637 sumpta; ne inutiliter ea repetamus, ut plurimum agitur de sequentibus nominibus testium:

Primus testis: P. Gennadius Chmelnycykj, OSBM, depositiones in vol. II, pag. 215-230;

Secundus testis: P. Stanislaus Kosinski, S.J., depositiones ibidem, pag. 231-246;

Tertius testis: D. Michaël Tyszkiewicz, Viceiudex Polocensis, dep. ibid., pag. 246-257;

Quartus testis: D. Emanuel Contacusenius, maiordomus olim S. Josaphat, dep., ibid., pag. 257-273;

Quintus testis: D. Joannes Diahilevycz, Notarius Polocensis, dep. ibid., pag. 274-287;

Sextus testis: D. Dorotheus Achramowicz, Proconsul Polocensis, dep. ibid., pag. 287-300;

Septimus testis: D. Joannes Jakowlewicz Chodyka, Consul Polocensis, dep., ibid., pag. 300-322;

Octavus testis: P. Dorotheus Lecikowicz, OSBM, Archididiaconus S. Josaphat, dep. ibid., pag. 312-331.

ipsius Servi Dei Josaphat, quod cum esset parvulus cum parente dictam convenit ecclesiam atque forte fortuna salutiferae Divinae Crucis imaginem in eademque Salvatorem nostrum crucifixum conspiciens quae-siverat ex Parente quidnam sibi illa Crucifixi vellet imago? Respondit parens, esse imaginem Dei et Hominis Christi Jesu D. nostri, qui pro salute nostra descendit atque carne humana assumpta in eadem pro peccatis nostris et salute omnium nostrum mortem pertulit, et ipso (dicebat Josaphat) tempore corporaliter sensi scintillam cuiusdam igneam in interiora illapsam, hoc effectum ut ita mihi suavissimas ecclesiasticas ceremonias reddiderit, quod statim illis addiscendis me devoverim atque per annos fere 30 aetatis meae nunquam recordatus fuerim me amisisse Divinum officium.

(*Proc. interpretato, f. 48 a tergo*)²⁶

8-us testis R.P. Dorotheus, annorum 43, citatus, qui iuravit etc. Juxta 7-um: Natus est Vlodimiriae quod audivi a variis Religiosis fide dignis. Parentes illius quomodo vocati fuerint nescio, fuerunt tamen Orthodoxi, nam illis temporibus in simplicitate vivebant, neque constabat illis de Schismate quidnam esset Schisma.

Ibidem Vlodimiriae fuit baptizatus secundum consuetudinem ecclesiasticam, nam tale homines aetate proveci de illo Vlodimiriae manentes dederant testimonium, et aliqui illorum baptismo aderant, sicuti id ex litteris piaae me. Joachimi, Episcopi Vlodimirien., scriptis ad s.tae memoriae Josephum Metropolitam, hoc anno defunctum, didiceram, etc. Vocabatur autem Joannes, ut ex omnibus intellexeram qui illum antea optime norant, publicae autem semper voces erant eum honeste et pie in pietate educatum vitamque duxisse sanctissimam, etc.

Et super 2 art., dicto processu, fol. 55: Dixit, singuli referunt, qui a teneris annis Josaphatum noverant, eum cum hominibus sapientia praeditis libentissime fuisse conversatum, maxime vero cum R-do P. Valentino Fabritio et P. Joanne e Soc. Jesu, etc. Ecclesiam Schismaticorum nunquam adibat. In officina serviens cuidam Mercatori magis orabat quam se mercimoniis occupabat, etc. Quae omnia et singula fuerunt et sunt vera notoria (f. 113) et manifesta et de his omnibus et singulis in

²⁶ Quoad varias citationes Processuum quod spectat, sequentia notare iuvat:

Processus remissoralis, ut plurimum, refert ad Processum anni 1637, ad illas eiusdem partes, quae inde ab initio in lingua latina exeratae fuerunt;

Processus interpretatus: Agitur de hoc eodem Processu anni 1637, de illis partibus, quae Polociae in lingua polona vel ruthena exarata, dein Romae in linguam latinam translatae fuerunt, et proinde aliam habent foliorum numerationem, ac praecedentia;

Processus Urbis: agitur de depositionibus testium in Processu in Urbe fabricato anno 1632; cfr. vol. I, pag. 42-78, nr. 117, sub dat. 5.III.1632.

particulari erant et sunt publicae voces et talis fama de Josaphat semper erat, etc. Idem deponunt in eodem processu remissoriali 2-us testis super 2-do art., fol. 60, et in interpretatione 4-us testis super super 2-o art., fol. 8, a tergo; 5-us juxta 7 interrogatorium, fol. 16, a tergo, et 6-us, fol. 29, a tergo, iuxta 7.

Testimonium Episcopi Vlodimirien. de Nativitate et Baptismo Josaphat est in proc. fol. 169, a tergo.

N. 2. - INGRESSUS IN RELIGIONEM S. BASILII virtute proficiens omnia pietatis officia implebat.

(*Ex attestazione Metropolitae, proc. remissor. fol. 181*)²⁷

Praecessit hic Vir Dei me ad Religionem S. Patris Nostri Basilii biennio, qua me sollicite, cum magna tamen humilitate ac dexteritate, inducebat; cum enim iunior aetate esset non audebat per se, sed per alios personas id perficiebat, quod procedebat ex humilitate ipsius; ab initio statim nullum Magistrum vitae spiritualis habebat, ipse Spiritu Sancto usus Magistro in vita monastica brevi tempore ita profecit, ut Magister aliorum esse posset.

(*Proc. interpret. fol. 27?*)

5us testis spectabilis D. Joannes, publicus Polocen. Notarius, annorum 53, citatus, qui iuravit etc.

Juxta 8-um respondit: Hoc iam optime scio fuisse Religiosum Ordinis S. ti Basilii, etc. Ego autem illum nosse cepi anno 1611.

Quia cum Polocia Vilnam certis de causis venissem Ecclesiam SS. mae Trinitatis in festo S. ti Petri visitavi, ubi cum caeteris vidimus Josaphatum concionantem et probantem superioratum S. ti Petri et Primatum S. tae Sedis Apostolicae. Nos tum profitentes Schisma fuimus cum Dominis Helia, Paulo, Andrea et Emiliano Consulibus, omnes Schismatici, audita tali concione diximus, quod Duszochwat, hoc est raptor animarum, concionaretur, quem abominati abivimus ex ecclesia.

Et super 4-o art. dicto processu, fol. 22 (?) a tergo. Verum tamen ea depono de quibus communes omnium sunt voces. Quod post ingressum in Religionem et ieiunaverit et in somno parcus fuerit, disciplinas fecerit, ciliciisque indueretur, lectisterniis non sit usus, humi cubaverit, cingulos ferreos portabat, solamque aquam quinquennio biberit, etc.

6-us testis: D. Dorotheus Proconsul Polocen., annorum 43, citatus, qui iuravit etc.

²⁷ « Attestatio » haec invenitur in primo et secundo Processu Polocensi allegata; cfr. in vol. I, pag. 281-249; cfr. vol. II, pag. 337.

(Proc. interpret. fol. 29 a tergo)

Juxta 8-um interrogatorium: Scio igitur eum factum fuisse Religiosum Unitorum Regulae S. ti Basilii anno 1604 nomenque in Baptismo susceptum mutasse et Josaphat appellatum esse.

Et juxta 9-um, fol. 30: Me praesente in Monasterio SS. mae Trinitatis Vilnen., fel. me. Hippatius, Metropolita totius Russiae, contulit ei Ordines Subdiaconatus et Diaconatus et postea Sacerdotij, etc.

Et juxta 8-m: In summa reverentia habebatur Diaconum adhuc agens, insigniter concionabatur cum stupore omnium, ex eo quod licet studiis nunquam attenderit nec latinas litteras didicerit, et tamen adeo prudenter et zelose scripturas interpretaretur. Optime etiam canebat, contemplationi totum se dederat. Ad Religionem quosquos poterat pertrahebat, quod idem et mihi saepius suaserat.

Cum autem felix in hac parte esset, et Juvenes doctrina et exemplo eius in Religionem traheretur, Parentes iuventutis dictae ex odio cognominabant eum loco Josaphat (f. 114) Duszochwat, hoc est raptor animarum.

Et super 3-o art. proc., fol. 33: Scio eum fuisse Religiosum, etc. In monasterio factus est plane eremita non modo Religiosus perfectus. Quicumque eum conveniebant propter consolationem spiritualem, hoc in eo notaverunt quod fugeret hominum conversationem includendo se in capella S. ti Lucae Evangelistae, ubi integra die vel orabat vel libros legebat, quae omnia et singula fuerunt et sunt vera, etc.

Et supra 4-um: Tota civitas Vilnen repleta fuerat tali fama, quod pro eo tempore nullus Vilnae perfectior Religiosorum Josaphato Ordinis Divi Basilii reperiretur; ille Asceta, ille Acemites, hoc est secundum nostrum vulgare: sine somno, vigil, ille nunquam indusio praeter cilicium usus, neque lecto praeter culcitram coriaceam, saepissime autem humi dormiebat, aliquot annorum spatio aquam solummodo bibit; fertur autem id eum fecisse quinquennio, disciplinas diu noctuque faciebat ad ultimum usque punctum suae vitae, ob nullum respectum humanum haec pia opera negligendo, licet conspectum hominum fugeret quando talia exercitia agebat. Quae omnia et singula fuerunt et sunt vera, etc.

Et super 5-o: Id quoque Vilnae saepenumero audiui quod quis ardentissimus amator animarum hominum ad confessionem sanctam omnes petitione et eleemosina pertrahebat? S. Josaphat, cum Vilnae omnes Uniti confessi sunt sub illud tempus; quis zelosus concionator fuit Vilnae eo tempore Schisma evertebat et ad Unionem S. adducebat? S. Josaphat, ex cuius ore nihil prodiit nisi Papa; quis Schismaticos tam potenter confundebat? S. Josaphat.

Quapropter Catholici vocabant illum flagellum Schismaticorum;

quis denique plures animas eo tempore Domino Deo et Unioni S. adauxit? S. Josaphat. Ideoque Schismatici cognominarunt eum Duszochwat, hoc est raptor animarum. Quae omnia et singula, etc.

Item et alia plura deponunt: Primus testis in proc. remissor. iuxta 8-um interrogatorium, fol. 38, et juxta 9 et X-um, fol. 39, et super 3-o et 4-o articulis, fol. 44; 2-us iuxta 8-um, fol. 54, et super 3-o et 4-o art., fol. 60; 3-us testis iuxta 7-um, fol. 70; 4-us iuxta 8-um, 9-um et 10-um in proc. interpret., fol. 1, 2, et 3-o et super art. 3-o, 4-o, et 5-o, fol. 9; et 7-us testis super 2-o art., fol. 48, et 8-us super 7-o, 8-o, et 9-o et 10-o interrog., fol. 48 et 49, et super art. 2-o, 3-o, et 4-o, fol. 56 et in amplissima relatione Metropolitanae Russiae, proc. Remissor., fol. 181, quam plurima recensentur de sanctitate, vita et heroicis virtutibus huius Servi Dei in informatione D. mei Rosae enarrata.

N. 3. - CREATUR ARCHIMANDRITA sive ABBAS.

(*Proc. interpret. fol. 2-o*)

4-us testis: D. Emanuel Cantacusenus, annorum 48, citatus, qui iuravit, etc.

Juxta 11 interrogatorium: Scio me enim praesente factum est Vilnae quod cum praedictus fe. me. Josephus Archimandrita meus Dominus factus esset Metropolita, B. Josaphat successorem sibi in Archimandritam subrogavit anno 1614; eo plane tempore Monasterium SS. mae Trinitatis Vilnen crescere caeperat laboribus Josephi et Josaphati primorum ibi Religiosorum, etc. Idem deponit super 5-o art., fol. 9, a tergo.

(*Proc. interpret. fol. 30*)

6-us testis: D. Dorotheus, Proconsul Vilnen, annorum 48, citatus, qui iuravit, etc.

Juxta 11: Id quoque me praesente et spectante factum est quod cum fel. me. Josephus Metropolita Archimandritiam Vilnen. Beato Josaphato resignasset circa annum 1614, commisso ei Monasterio quod tum primum in bonum ordinem reduci inceperat, datis sub curam eius aliquot Decadibus juvenum Religiosorum. Hoc autem ea de causa Josephus Metropolita fecit, quia nimirum maximam morum gravitatem et pietatem (f. 115) in Josaphato animadverterat; aliquot enim annis vitam Religiosam in Monasterio sibi convivendo duxerant. Constitus interim Josaphat in Archimandritam quae non fecit? Redditus habens tenuissimos nihilominus aliquot decades Religiosos alebat, Monasterium aedificabat, amplissimas eleemosynas elargiebatur, sola providentia Dei et eleemosynis ipse vivens. Quod autem attinet ad eius labores, idem simul et Archimandritam egit et concionatorem et omnium confessorium, quin imo ipsorum

carceratorum qui dum ad supplicia ducerentur amore animarum ductus eis assistebat, etc.

Idem deponunt in proc. remissor. primus testis iuxta 11, fol. 39, a tergo, et super 6-o art., fol. 42; 2-us super interrog. 10-o, fol. 54 et super 6-o art., fol. 61, et in proc. interpretato 5us testis iuxta 11, fol. 17 et super 6, fol. 22, a tergo, et 8-us testis iuxta 11, fol. 49, a tergo, et super 6 art., fol. 57.

N. 4. - INVITUS CREATUR ARCHIEPISCOPUS POLOCENSIS.

(Proc. remissor. fol. 53 a tergo)

2-us testis: R.P. Stanislaus, Soc. Jesu, annorum 51, citatus, qui iuravit, etc.

Juxta 7 respondit: Ego Josaphat Martyrem optime noveram quia fui praesens Polociae dum voluntate Superiorum tunc Praefectum Scholarum agerem, quando Coadiutor adhuc Gedeonis Archiepiscopi Polocensis solemnem possessionem Cathedrae huius adibat. Quem ego una cum selectissimo et frequentissimo Nobilium et Civium populi que promiscui turba cum omnibus nostris musarum Polocen. Alumnis processionaliter excepi, et sequentibus diebus Dialogo et Orationibus tam saluatoriis quam gratulatoriis ut gratissimum hospitem et tantum Antistitem honorare procuravi, aedificatus etiam sum mire, et alios plerosque circumstantes aedificatos adverti eius in illo primo ingressu magna modestia, humilitate, comitate, affabilitate pietateque et potissimum quando ad altaria ad hoc praeparata de industria, devotissime orabat; ibi enim quisque poterat notare in eo ex externa corporis internam mentis compositionem collectionemque sensuum ac orationis fervorem. Quem etiam adverti alias sequentibus annis dum vel oranti vel celebranti Missam adessem.

Et juxta 13, dicto proc., fol. 55, respondit: Ego scio optime se gessisse in Archiepiscopatu Josaphat existimoque vitae integritatem et sanctimoniam ac Pastoralem vigilantiam Josaphat Cuncevitij Martyris fuisse simillimam et conformissimam vitae et virtutibus aliorum Sanctorum Episcoporum, Martyrum et Confessorum, Eremitarum et Religiosorum perfectorum, omnesque actiones, locutiones cum Dei voluntate perfectissime conformasse; existimo item in gradu perfectissimo contemplativum et activum simul vitae genus assecutum et in mea aliorumque opinione, dum adhuc esset in vivis, omnibus gratiis et donis ac virtutibus plane heroicis a Deo ornatum et cumulatum fuisse eo fine ut omni hominum statui et potissimum Religiosorum, Episcoporum speculum omnium virtutum, ac vitae peragenda norma esset. Quod attinet ad odium schismatis, verissime in zelo et spiritu Eliae procedebat. Unde in concionibus, disceptationibus, colloquiis illud acerrime insectabatur. Jure

etiam Regio Unionem Sacrosanctam in libertatem fidei catholicae vindicare conabatur, et vindicabat.

Idem et alia plura dicit iuxta 17, fol. 57, a tergo, et super 4-o art., fol. 60, et super 7-o, fol. 61, a tergo.

Prout etiam primus testis in dicto Remissoriali iuxta 12, fol. 40 et super 4-o et 7-o art., fol. 45 et 46; 3-us iuxta 12 et 13 interrog., fol. 70, et super 2-o et 3-o art., fol. 74; 4-us testis in processu interpretato iuxta 12 interrog., fol. 2, et super 5-o art., fol. 9; 6-us iuxta 12, fol. 30, et super 7-o, fol. 34; 7-us (f. 116) iuxta 12, fol. 3, et super 7-o, fol. 43; 8-us iuxta 12, fol. 50 et super 4-o et 7-o art., fol. 56 et 57, a ter.

(*Ex processu Romae fabricato, fol. 9-o*)

Primus testis: Illmus Baptista Lancellottus, Episcopus Nolanus, annorum 57, qui fuit Nuntius Apostolicus apud Ser.mum Regem Poloniae.

Juxta 7-um: Io credo come ho inteso che habbia fatto gran progresso nell'Unione con l'esempio della sua vita e con le prediche perchè questo sempre è stato tenuto ferventissimo et zelosissimo della nostra Religione Católica, et così l'ho tenuto ancor io et l'ho inteso dire universalmente da tutti et particolarmente dal Signor Leone Zapia,²⁸ Palatino di Vilna, dalli Padri Jesuiti e dall'istessi Ruteni, appresso a quali questo prelado era in gran veneratione, e l'ho inteso mentre sono stato Nuntio Apostolico in Polonia dell'anno 1623 sino al 27 in circa, in Varsavia, dove risedevo appresso Sua Maestà.

Idem dicit secundus testis, iuxta 7, dicto processu, fol. 11, et in processu Remissoriali idem dicit Ill.mus D. Metropolitae totius Russiae in sua longa attestatione, fol. 181 et seq.

**N. 5. - IN PASTORALI MUNERE TOTUS SEMPER FUIT INTENTUS
SALUTI ANIMARUM OMNIUM CONFESSIONES EXCIPIENDO
ET AD ILLARUM FREQUENTIAM HORTANDO, INFIDELES
ET SCHISMATICOS CONVERTENDO.**

(*Proc. Interpret. fol. 39 a tergo*)

7-us testis: D. Joannes, Proconsul Polocensis, annorum 40, citatus, qui iuravit, etc.

Juxta... Hoc certo scio quod agens munus Archiepiscopale nihil aliud fecit nisi nos ad Unionem Sanctam alliciebat, conversando nobiscum

²⁸ Agitur de Leone Sapieha, Magno Cancellario Lithuaniae temporibus Josaphat, dein vero Palatino Vilnensi; hic anno 1622 Josaphat dedit litteras hortatorias, quibus plura exaggravavit, ob rationes politicas Regni; cfr. hanc epistolam in vol. I, pag. 246-255, nr. 74, sub dat. 17.III.1622.

lente et mansuete, ad prandia sua invitabat, et nobis idem ac idem, Unionem scilicet Sanctam saepius rememorando, colloquebatur, me ipsum aliquando apprehensa manu in ecclesia, et quidem resistentem a se dimittere noluit, exhortando ut Schisma abiicerem. Amavit igitur nos Schismaticos, volens nos Unioni Sanctae associare, verum Schisma odio habuit, nos tamen non detestabatur neque persequabatur.

Et iuxta 14 : Increpabat quidem nos in Concionibus et arguebat et literas Regias contra nos expediebat, citabat nos, id tamen totum faciebat nobiscum, quia Sanctissimo Papae tanquam Capiti subesse nolebamus, et fidem catholicam Romanam spernebamus.

(Proc. interpret. fol. 50 a tergo).

8-us testis : R.P.D. Dorotheus, Ordinis S.ti Basilii, annorum 43, citatus, qui iuravit, etc.

Juxta 13 respondit : Ego penes S. Josaphatum fueram pro Archidiacono ab anno 1621, etc.; referam quae per duos annos et medium, quibus illi convivebam, sum expertus. Totum se dederat lucrandis hominum animabus et exemplum sanctae vitae praebendo et ardentem concionando et sapienter disputando et pro Schismaticis orando et flagellis aliisque cruciatibus propter amorem illorum non parcendo, etc. Nulla dies praeteribat qua non haberet pauperem ad propriam mensam lateri suo assidentem, caeteris vero pauperibus vel in hypocausto aliquo vel in culina cibum dare iubebat posteaque sua propria manu eleemosynam pecuniarum singulis distribuebat. Ut primum certior factus de infirmitate alicuius Polociae Uniti, illico ipse, nullo respectu habito dignitatis Archiepiscopalis, adibat infirmum (f. 117) confessionemque excipiebat.

Et idem testis iuxta 15, fol. 51 et super 5-o plura deponit de pastoralis munere et salute animarum, prout etiam primus testis in processu Remissoriali iuxta 13, fol. 40 et super art. 5-o et 7-o, fol. 45 et 46; 2-us iuxta 15, fol. 56, a tergo, et iuxta 16, fol. 57, et super 7-o et X-o art., fol. 61 et 63; 3-us iuxta 13 et 15, fol. 70 et super 7-o art., fol. 74; 4-us proc. interpretato iuxta 13, 15, et 17, fol. 2, et 3-o et super 5-o art., fol. 9; 5-us iuxta 13, 15, et 17, fol. 18 et 19, et super 5-o art., fol. 22, a tergo; 6-us iuxta 13 et 15, fol. 30 et 31.

N. 6. - FACTUM ET CAUSA MORTIS IN ODIUM FIDEI ET UNIONIS CUM SANCTA ROMANA ECCLESIA

(Ex depositione compulsata in proc. remissor. fol. 179).²⁹

Generosus D. Gregorius Uszacki, familiaris olim Servi Dei Josaphat,

²⁹ Agitur de extracto ex primo Processu Polocensi an. 1628; cfr. vol. I, pag. 213-4, testis 108.

vir sexagenarius, etc. iuramento praestito, etc. lachrymis uberrime profusis dixit, etc. Interim Schismatici occupata iam per vim Curia Archiepiscopali, caesis omnibus famulis, totam diripiebant supellectilem. Audiens his clamantibus Antistes procedit e Camera et clausis ipse foribus sacratissimae Crucis formavit effigiem me a sinistra parte illi adstante et pro more suo dulcissime hostes allocutus. Filioli, quare famulos meos caeditis, si aliquid contra me habetis, ecce adsum. Nullus ex audientibus in illum manum movit donec ex opposita camera erupuerunt duo et Servum Dei stantem viderunt, quorum alter Servo Dei stringente in modum Crucis ad pectus manus fuste caput petiit, securi divisit alter, prostratum vero quotquot fuerant in atrio omni telorum genere confodebant et contundebant, elevata tamen Servus Dei manu inter media verbera exclamavit: o, Deus meus: forte dicturus: non imputes peccatum hostibus. Audientes hoc sicarii extra atrium in aream extrahunt Martyrem, ibique globis sclopetariis sacrum caput traiciunt, et iterum fustibus caedunt. Tandem vestibus Servum Dei exuentes corpus illius cilicio tectum inveniunt, putantes ergo non fuisse Archiepiscopum occisum, meliori, inquietes, et molliori utebatur indusio, totam domum evertunt, pavimentum, eundem inquirentes. Dictum etiam D. Gregorium adducunt ad corpus et an fuerit Archiepiscopus occisus quaerunt, qui sub iuramento illum esse affirmans, gaudium illorum complevit.

(*Proc. interpretato fol. 44*).

7-us testis: D. Joannes, Consul Polocensis, annorum 40, citatus, qui iuravit, etc.

Super 9-o art.-o dixit: Haec omnia quae Suae Dominationes mihi legunt uno verbo concludere debeo, scilicet: Josaphatum vixisse singulari Providentia Dei, et nisi Deus ipse opituleretur et Angelus Custos adiunctus ei custodiret, iam dudum Vir Dei vel Polociae vel Vitepsci vel Mscislaviae vel Orsae vel Mohiloviae e vivis sublatus fuisset, nam per omnia haec loca libri Smotricii disseminati fuerunt, qui tam omnium seditionum quam etiam mortis Josaphati origo fuerunt. Hinc factum quod etiam Polociae et Vitepsci Josaphat et famuli eius omnesque Uniti vitam suam simul in fide Josaphati Catholica secundum Deum, ut in unico filo iuxta mundum suspenderent. Non potuit Josaphat in Pretorio Polociae et Vitepsci, in Processionibus in ecclesia comparere ubi aliquem despectum a nobis Schismaticis non experiretur, omnibus ex locis vel obiurgatus vel caesus ipse aut famuli eius abibant. Ipsemet ego compassione ductus supra talem Pastoris persecutionem sub tempus seditionum nostrarum schismaticarum Polociae in Praetorio emisi et eduxi ultra portam Praetorii Patrem Nicephorum, Praesbyterum nostrum Polocensem Cathedralem, ne misere occumberet ab insana plebe, licet ego

tum temporis Schismaticus fuerim. Hoc totum scio, totum (f. 118) enim id oculis meis vidi et haec omnia verissima sunt et manifesta.

Et super 15, fol. 45, a tergo, dixit: Mors Josaphat hoc est ultima poena infelicium Provinciarum nostrarum sanguineis lachrymis semper irrigans clamat ante Divinam Maiestatem contra odium Schismaticorum quod habent adversus fidem Sanctam Catholicam Romanam, Un. Ecclesiae et Primatum Pontificis, ob quod (uno verbo) totum Josaphat occubuit, et hoc unicum vitium Schismatici ei obiciebant, quod fuerit Papista. Ego Schismaticus fui omniaque impia sensa animorum Schismaticorum novi. Conspirationes illorum hisce oculis meis vidi et coniurationes adversus innocentem Josaphat. Ac proinde si Schismatici inimici Josaphati habuissent aliquam aliam occasionem et accessum ego optime instructus de omnibus rebus et cogitationibus Schismaticorum scirem fideliter et totaliter. Haec autem omnia sunt manifesta vera et nota, etc.

8-us testis: R. Pater Dorotheus, annorum 43, citatus, qui iuravit, etc.

(Processu interpretato fol. 61).

Super 15 dixit: Quod Schismatici interfecerunt Josaphatum pro Fide, Unione, Papa, quae omnia ille ad ultimum suae vitae spiritum mordicus tuebatur. Hoc ipsi parricidae fatebantur; nunquam etiam alium ad Josaphatum accessum habuerunt. Nam si aliquam aliam adferrent Schismatici causam, scirem utique ego, cum optime sciverim omnia consilia, odia, intenta aliosque modos quibus utebantur ad tollendum Josaphatum, etc.

(Ex attestatione Metropolitae in proc. remisor. fol. 181 et seq.)

Denique Virum Dei pro fide Catholica, pro Ecclesia eius Sancta, pro explicita firma et aperta confessione autoritatis supremae Papae Romani in universalem Ecclesiam Christi esse occisum omnes affirmant et nullus in hoc amplissimo Regno Poloniae, a summo usque ad infimum hucusque repertus est, qui contrarium dicat, cum quibus et ego idem sentio et affirmo, sic me Deus adiuvet et eius sacratissima passio, etc.

(Proc. Urbis, fol. 9 a tergo).

Primus testis: Ill. mus Lancellottus, Nuntius Apostolicus Poloniae, iuxta 7-um dixit: Successe la sua morte et il successo per quanto ho inteso fu dell'infrascritta maniera, della quale essendone io stato avvisato dalli Ruteni uniti et in particolare del Metropolita istesso, perchè intesi esser successo questo caso per causa della Religione Cattolica. Io come Nuntio Apostolico feci istanza al Re che si castigassero i delinquenti, li quali intesi che erano molti et questo mi fu avvisato per molte lettere di sudetti Rutheni e detto Metropolita, et il successo della morte mi fu riferito che fosse tumultuosamente per impeto di Scismatici contro di

lui come Promotore dell'Unione e come fu cospicuo e zelante della Fede Catholica, e stante la mia istanza Sua Maestà mandò la commissione al Signor Leone Sapieha, Palatino di Vilna, et ad altri a formar li processi et castigar li delinquenti, come successe, perche fatto il processo li commissarii diedero la sentenza, e fecero decapitare molti, privarono quella Città delli Privileggi e delle campane, le quali si hanno in grand'honore appresso i Ruteni; di tutto questo havendone dato parte a Sua Santità, si compiaque Sua Santità di render gratie a Sua Maestà con un Breve della buona giustitia presentato da me, etc.

2-us testis: Romae examinatus: Super 13 fol. 17.: Io so che detto Arcivescovo Josaphat è morto veramente Martyre per la fede cattolica et Unione de Ruteni, perchè io assieme con l'Archidiacono Polocense et altri familiari del presente Arcivescovo fummo a vedere un tale chiamato Passora, non sapendo l'suo nome, che stava prigioniero in (f. 119) Polocia, per essere uno di quelli che intervenne all'omicidio et era uno di quelli congiurati, il quale disse in presenza mia e degl'altri sudetti che erano meco, che havevano amazzato il sudetto Arcivescovo solamente per causa della fede cattolica et Unione de Ruteni con quella et non per altro il quale poi si convertì e si confessò da un Sacerdote Cattolico e fu poi giustitiato.

N. 7. - LITTERAE IN FORMA BREVIS SS.mi D.N.ri ad REGEM POLONIAE CUM ALIIS LITTERIS EPISCOPORUM AD CONGREGATIONEM DE PROPAGANDA FIDE SUPER MARTYRIO VENERABILIS JOSAPHAT.

(Originalia in praesenti numero descripta cum aliis pluribus literis Regis Poloniae, et Reginae, et Vladislai Principis aliorumque Episcoporum et Procerum, quae brevitatis causa hic non describuntur sunt in manibus Em.mi Cardinalis Pamphilij).³⁰

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

URBANUS Papa VIII. Charissime in Christo fili, salutem etc. Quis dabit oculis nostris fontem lachrymarum... Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X-a Februarij 1624. Pontificatus nostri anno primo. (L. Sigilli). Joannes Ciampolus.

³⁰ Notare iuvat litteras has nondum invenimus; forsán remanserunt in Archivo familiae Pamphilij, quae sane tunc temporis Pontificem edidit Romanum, Innocentium X, scil. nostrum Joannem Pamphilij (1644-1655).

Ex infra citatis, omnia inveniuntur in vol. I nostrae collectionis, et facile inveniri valent.

Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae et Sueciae Regi Illustri.

URBANUS ETC. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Malle-mus equidem rationibus quam vulneribus medicabilia esse haereticorum ingenia... (f. 120)...

indignationem promereatur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XI Maji 1624. Anno Pontificatus nostri p-o.

(Locus - Sigilli)

Joannes Ciampolus

(*Litterae Metropolitanae Chiovien cum aliis sex Episco-pis ad Congreg. de prop. fide*)

Ill.mi et Rev.mi Domini et Antistites S.ae Congregationis de pro-paganda fide.

Occasio tam funestae atque vix unquam audita caedis Deo dilecti fratris... Datum Novogrodeci 30 Januarii 1624.

Ill.marum et Rev.marum Dominationum Vestrarum humiles ser-vitores Josephus Velamin Rutski, Metropolita Chiovien totiusque

Russiae (mp)

... (alii Episcopi)

/et in fine/ Concordat cum Originali existente in Archivo Sacrae Con-gregationis de propaganda fide, in tomo primo literarum anni 1624, pag. 436.

Franciscus Ingolus Secretarius.

N. 8. - DE CAUSA MORTIS ET COMMUNI OPINIONE ET REPU-TATIONE OMNIUM QUI VENERABILEM JOSAPHAT TAN-QUAM SANCTUM MARTYREM VENERANTUR.

(*Proc. Urbis, fol...*)

Primus testis : Ill.mus D. Lancellottus, Nuntius Poloniae, etc.

Juxta 17 respondit : Io non sono stato per tutto il Regno di Polonia ne in tutte le Città sue, ma ho riseduto appresso la Maestà del Re di Polonia, ma posso ben dire che quello che si dice in Varsavia e nella Corte di Sua Maestà, massime in tempo di Dieta, si dice e si tenga per tutto il Regno, perchè in tempo principalmente di Dieta vi concorrono tutti li Senatori e principali Signori di quel Regno e tutti li successi e nove importanti si riferiscono e sanno nella Corte di Sua Maestà anche fuor di Dieta e nella sudetta Corte ho inteso parlare della morte del sudetto Arcivescovo Giosafat esser successa per difesa e promotione dell'Unione e particolarmente dalli Signori Palatini di Vilna principali Com-misarii di questa causa et che detto Arcivescovo era stato tenuto di vita esemplare e santa e se non fusse stato egli tale e la causa della morte

non fusse stata per la Religione non si sarebbe fatto così grande e publico risentimento, con privar la Città delli suoi privilegi e delle campane e decapitar tante persone, et questo l'ho sentito dire più volte quando è occorso trattar di questo fatto.

Et juxta 19, eodem fol., a tergo: lo tengo che la fama sia quella che si dice pubblicamente fra il Popolo e maggior parte di esso, e quella fama della santità e morte del sudetto Giosafat Arcivescovo Polocense per causa della fede fu et era in quel tempo ch'io era la in quella Nuntiatura non solo appresso li Ruteni Uniti ma anche appresso li Vescovi, regolari e secolari latini e nella Corte di Sua Maestà, e questa fama è nata per le cause di sopra espresse e non per vano rumore del Popolo e l'origine di detta fama credo che sia della verità istessa del fatto e non che sia nata da persone sospette o interessate ma da persone gravi e degne di fede, la quale fama è stata costante e ha durato per tutto quel tempo della mia Nuntiatura, ne ho inteso mai cosa in contrario e questa fama è stata et era non solo nel luoco dove fu ammazzato ma anco in Varsavia dove io risedevo come Nuntio.

(*Proc. remissoriali, fol. 42 a tergo*).

Primus testis: R.D. Gennadius, annorum 55, citatus, qui iuravit.

Juxta 23: Ego scio Josaphatum ita interfectum Vitepsci ut publica vox et fama perhibet in nostris partibus et in toto Regno Poloniae reputari pro Martyre et Sancto ab omnibus Christi fidelibus nemine contradicente, etc. Morbidi auxilium Servi Dei Josaphat inclamant, in periculo constituti eundem appellant, moribundi ad eundem confugiunt, uno verbo, omnes et singuli utriusque ritus Catholici et ut Sanctum venerantur et ut Sancti orationem (f. 122) et intercessionem implorant, eius vestes et reliquias habent. Haec autem omnia et singula scio ut testis de auditu quotidiano a diversis personis absque omni exceptione fide dignis; imo, ipse distribuebam reliquias quas habebam vestium diversis personis Catholicis utriusque ritus, qui omnes tanquam Sancti Martyris reliquias venerabantur, etc.

Et juxta 25, fol. 43, a tergo: Ego scio quid sit fama publica; in illo enim consistit fama publica ut alicuius fama non lateat domi et inter parietes domesticos, sed Civitates, et Regiones et Regna percurrat. Talis autem fama de Servo Dei Josaphat et Martyre viguit in toto Regno Poloniae atque hucusque viget. Imo traxit originem a personis gravissimis et fide dignissimis. Eadem fama fuit semper constans et perpetua semperque duravit neque contra eandem unquam aliquid dictum, factum vel auditum est in contrarium. Neque vero illa sparsa est duntaxat in Civitate Polociae et Vitepsci, sed in toto etiam Regno Poloniae. Hoc scio et depono tamquam auritus quotidie testis, a primo Martyrii Josaphat

anno usque in hanc horam. Imo, ipsi Schismatici Sanctum eundem appellant et innocenter eundem occisum dicunt. Sic scio et depono, etc.

Et super art. 18, fol. 50, a tergo: Hic tantum addo quod a nullo unquam homine audiverim contrarium quidquam sanctitati Josaphat. Quia ille in toto hoc Poloniae Regno ab omnibus habitus hucusque fuit et reputatus et habetur et reputatur etiam nunc verus Martyr, tanquam qui pro fide catholica et Sede Apostolica occisus fuerit. Omnes etiam illum ut talem venerantur. Vestium et cilicii frustra exquirunt et devote servant.

Idem et alia plura deponunt in eodem Processu Remissoriali: 2-us iuxta 23, fol. 58, iuxta 25, fol. 60, et super 18 et 20 art., fol. 65 et 66; et 3-us testis iuxta 18, 23 et 25, fol. 72 et 74, et super art. 10 et 15, 18, et 20, fol. 76, 77, et 78, a tergo.

Et in Processu interpretato 4-us testis iuxta 23 et 25, fol. 7, et 8, et super art. 15, 18, et 20, fol. 13 et 15; et 5-us testis iuxta 23, 24, et 25, fol. 20 et 21, et super 10, 12, 18, et 20, fol. 25, 26, et 27. Et 6-us testis iuxta 23 et 25, fol. 41 et 42, et super art. 10, 18, et 20, fol. 41, 42, et 44, a tergo, et 47. Et 8-us testis super art. 18 et 20, fol. 62.

N. 9. - FUIT ACERRIMUS PROMOTOR UNIONIS ET SCHISMATIS PERSEQUUTOR ET HAC DE CAUSA FUIT INTERFECTUS

(*Proc. Urbis, fol. 17 a tergo*).

2-us testis, Romae examinatus, super 13: Et io so et ho veduto parimente che esso Arcivescovo Polocense era continuamente intento nella propagatione della fede catholica et Unione de Rutheni con la Santa Chiesa Romana, perche io vedevo che egli predicava, essortava e confessava et andava visitando li luoghi de Schismatici et fece un opera di Catechismo et un trattato dell'Unione sudetta, quali io l'ho veduti et letti.

(*Proc. Remissoriali, fol. 40 a tergo*).

Primus testis: R.D. Gennadius, annorum 55, citatus, qui iuravit. Juxta 15: Ego scio quod Josaphatus in reducendis Schismaticis ad S. Unionem nunquam usus est minis, contumeliis, iniuriis, aut persecutionibus, sed quam blandissimis verbis, monitionibus, et adhortationibus id obtinere curabat. In quo opere felicissimus fuit, ut raro cum Schismaticis de unione agens non triumpharet; (f. 123) in particulari autem scio ab illo conversos esse ex Schismate ad Unionem bo.me. gravissimos Regni Senatores Theodorum Skumin Palatinum Novogroden, Joannem Meleszko Castellanum Smolescen, Michaellem Sokolinski Palatinum Polocen ex haeresi Calviniana, Nobilem Soroka sic dictum cum tribus filiabus intra unam horam, ita ut ipsi eidem Josaphat confessi

omnes fuerint. Fui etiam praesens quando iam agonizantem Nobilem haereticum convertit non longe distantem Novogrodeco, sed nominis illius non recorder, ad quem ex professo venit ut aegrum visitaret, convenit statim, fidem catholicam persuasit, confessionem excepit et hoc elogium a moriente audivit: nunc cognovi quod Deus Angelum suum miserit ad me, etc.

Et iuxta 17, fol. 42: A nullo autem hominum audivi quod a Josaphato aliquam iniuriam verbis, vel factis Schismatici receperint, quin imo ut pater conscientiae illius dico, neque cogitatione quidquam mali voluit Schismaticis, nisi ut converterentur et viverent. Denique hoc ex ore ipsius Josaphat excepi: si Smotricius, inquit, Pseudo Archiepiscopus Polocen vellet obedientiam reddere Summo Pontifici Romano, ipsi caederem Archiepiscopatum, ipse autem redirem ad Cellam meam religiosam pristinam, etc.

(*Proc. Remissor. fol. 55 a tergo*)

2-us testis: R. P. Stanislaus, Soc. Jesu, annorum 51, citatus, qui iuravit...

Juxta 15 respondit: Scio modos mille a Josaphat adhibitos et inventos ut Schismaticos et Haereticos ad Unionem sanctam veramque fidem reduceret, blandis ille verbis, monitionibus, et adhortationibus omnibus id persuadere curabat et revera felicissimus fuit in lucro animarum, etc. Curavit clara voce legi Privilegium sibi a Sacra Regia Maiestate pro Archiepiscopatu Polocen datum, quo lecto protestatus fuit in praesentia omnium se fuisse, esse et fore imposterum usque ad extremum vitae spiritum iuxta privilegii tenorem et exigentiam, S. Unionis Ecclesiaeque Catholicae non tantum fidelissimum cultorem, sed etiam strenuissimum promotorem et propagatorem. Quo dicto quaesivit ex omnibus qui graeci ritus erant: An et ipsi vere uniti sint et esse imposterum vellent? Vix haec verba finivit et ecce inconditi clamores, et absurda responsa data a Schismaticis: nequaquam, inquit, uniti sumus nec esse imposterum volumus et ideo te pro Pastore nostro non agnoscimus, etc., subito post talem eius declarationem ex Praetorio erumpens etiam in promiscuo populo ortus est tumultus.

Idem deponunt 3-us testis iuxta 14, fol. 70, a tergo, et in processu interpretaeto 4-us testis iuxta 15, fol. 2-o; 5-us iuxta 14, fol. 18; 6-us iuxta 14, fol. 31, et 8-us iuxta 14, fol. 51.

N. X. - ODIUM ILLUM HABUERUNT SCHISMATICI.

(*Proc. interpret. f. 44 a tergo*).

7-us testis: D. Joannes, Consul Polocensis, annorum 40, qui cit. iur. Super X-o: Confiteor igitur quod tale contra Josaphat odium et

malus affectus a nobis antea Schismaticis (ipse testis fuit Schismaticus, nunc autem Catholicus) exinde solum proveniebat quia nos ad Unionem Sanctam cum Ecclesia Romana perducebat et ad obedientiam sanctam Papae Romano trahebat, etc.; talis igitur obedientia Pontificis occidit Josaphatum, nam ego tunc temporis Schismatis sectator, si quae alia (f. 124) causa contra Josaphatum pro tunc esset debuisssem scire, tanquam strictissimus illorum frater.

(Dicto processu, fol. 58, a tergo)

8-us testis: R. D. Dorotheus, annorum 43, cit., qui iuravit, etc.

Supra 9-o dixit: Tergum meum proprium haec omnia expertum est, quae Vitepsci agebantur, quod scilicet perpetuo Servum Dei Josaphatum et nos omnes suos familiares odio prosequerentur, insidias contra eum struentes, sive quando iret per plateas sive cum civitatem ingrederetur sive cum processiones faceret.

Et super 8-o, fol. 59: Totum se Josaphat cum defensione Unionis cum S. Romana Ecclesia devovens omnesque desiderans ad obedientiam Summi Pontificis trahere Schismaque funditus evellere cupiens, summum contraxerat apud Schismaticos odium, ex quo omnes iniuriae et conspirationes caeperunt, quibus Josaphat nullam, minimam etiam, excepta Unione Sancta, sicuti dixi, prae buerat ansam, etc.

Idem deponunt in Remissoriali: primus testis iuxta 16, fol. 41 et super art. X-o, fol. 43; 2-us super 8-o et X-o, fol. 62 et 63; 3-us iuxta 17, fol. 72, et 4-us in proc. interpret. iuxta 14, fol. 3-o, et super X-o, fol. 11; 6-us super X-o et 15, fol. 35 et 45, a tergo.

N. 11. - MINAE SCHISMATICORUM CONTRA VENERABILEM JOSAPHAT UT ILLUM DIVERTERENT AB UNIONE PROMOVENDA.

(Proc. Urbis, fol. 17, a tergo)

2-us testis, Romae examinatus, super 13: Et mentre visse cioè per quel tempo che fui in quelli luochi et andai seco nella visita accompagnandolo con mio fratello, come ho detto di sopra, in gran pericolo della vita per la suddetta conspiratione de Schismatici, havendo inteso da medesimi Schismatici più volte dire pubblicamente queste parole: Leviamoci d'avanti questo Papista et ammazziamolo che guasta la nostra fede. Si come credo saria succeduto molti anni inanzi per prima se non fusse stato per il timor che havevano di Ministri Regii e questo fu nella città d'Orsa et Dubrovna, dove erano li sudetti Ministri, e poi successe in Vitepsco, doi o tre anni incirca dopo, mentre non vi erano li Ministri Regii.

(*Proc. Remissor. fol. 41*)

Primus testis : R. D. Gennadius, annorum 55, citatus qui iuravit...

Juxta 16 respondit : Ego audivi saepius quod Schismatici pessime semper vellent Josaphato, praesertim vero Vitepscen., sed et hic Polocenses in Praetorio Civitatis, dum Josaphat consistens fecit legi Privilegium suum pro Archiepiscopatu, in quo erant clausulae, quod semper deberet esse in Unione Josaphatus, quo audito per tumultum motus magnus factus in populo ita, ut tunc vix non occideretur pro Sancta Unione Josaphat. Vitepsci etiam fui praesens cum Josaphat quando dixerunt illi Schismatici, videntes quod ille ecclesiam in novam formam redigeret et ornaret, quia si in antiquo statu ecclesiam non relinqueris peribis. Eundemque volebant de ponte detrudere, me praesente. Familiares etiam Josaphati odio habebant, iniuriis, contumeliis ac etiam verberibus afficiebant, etc.

(*Dicto processu, fol. 62, a tergo*)

2-us testis : R. P. Stanislaus, Soc. Jesu, annorum 51, citatus, qui iur.

Supra 9-o articulo dixit : Scio ex variorum fide dignorum relationibus, cum quibus quotidie ferme conversabar, Schismaticos comminatos ei mortem ex odio maximo erga Unionem, et insidias saepius struxisse Viro omni ex parte innocenti tum Polociae tum Vitepsci (f. 125) variis temporibus ac variis in locis, praesertim in processionibus, quas tam Polociae quam Vitepsci instituebat ad varias ecclesias, sic etiam in Praetorio Polocensi et in aula propria et ex ore Servi Dei quadam vice propriis auribus accepi in quadam concione ferventer ac zelose ab illo facta in ecclesia Parochiali Polocensi Nativitati Jesu Christi dedicata, in qua palam profitebatur se non latere varias sibi insidias a Schismaticis strui et necem parari. Sed scitote, inquit, me mortem pro Christo et pro Sancta Unione et pro Summo Capite Ecclesiae, Pontifice Romano, unice expetere, etc.

Audivi etiam ante ultimum discessum Vitepscum publice in ecclesia Polocensi Cathedrali ante altare consistentem Josaphatum iuramento apposito asseverasse se scire de coniurationibus Schismaticorum contra se, maxime Vitepsci, et ideo se ad certam mortem pro Christo obeundam Vitepscum libenter ire affirmavit.

Quae omnia ideo optime scio quia ex amore Servi Dei diligenter quaecumque ad ipsius commendationem et aliorum aedificationem pertinebant inquirebam, et notabam et sunt publica et notoria, etc.

Idem deponunt et alia plura in Proc. Interpretato : 4-us testis iuxta 18 interrog., fol. 3, a tergo, et super 9^o art., fol. 11.

N. 12. - CONSPIRATIONES SCHISMATICORUM IN NECEM ARCHIEPISCOPI.

(Proc. interpret. fol. 31, a tergo).

6-us testis: D. Dorotheus, Proconsul Polocensis, annorum 48, citatus, qui iuravit, etc.

Juxta 17 dixit: Fui ipsemet in Praetorio Polociae tum quando Schismatici parum abfuit quin Sanctum Josaphat occidissent et nos cum illo Unitos, sed hoc homicidii peccatum Dominus Deus transtulit Polociae Vitepscum. Audivimus etiam quod et Vitepsci similiter in Praetorio vix non fuerit occisus.

Et super 8-o art., fol. 34, a tergo: Pseudo Patriarcha Graecus ordinans in Archiepiscopum Polocensem literas circulares scripsit ad totam Dioecesim Polocensem, iisdem Pseudomonachos suos misit, falso persuadens Josaphatum non esse legitimum Pastorem quin imo Papistam, et Haereticum ac proinde ut Meletio obedientes sint tanquam legitimo Pastori; tantopere igitur totam Polociam commovit, maxime autem Vitepscum, ita ut redux factus Varsavia Sanctus Josaphat maiorem partem Polociae a se avulsam Schismatique adscriptam invenisset, zelo ductus hinc inde pro sua Pastoralis vigilantia per domos avidus lucri animarum cursitans, in plateis quoque obvios amplectebatur Schismaticos ad Unionemque Sanctam reducebat. Effecit quidem aliquid Polociae, Vitepsci tamen nihil profecit, ubi tuguriis constructis in despectum Pastoris sic omnia pro libitu suo faciebant. Hic autem Polociae, me praesente, in Praetorio excitato motu vix e medio non sustulerunt Schismatici S. Josaphatum. Quae omnia fuerunt et sunt vera, publica, etc.

Et super art. 9-o, fol. 35, dixit: Repeto et dico Josaphatum tota vita sua nihili aliud fuisse nisi metam omnium Schismaticorum odii, comminationum, obtrectionum, iniuriarum, persecutionum, coniurationum, insidiarum; Sacrum saepissime celebrabat, ideoque Praesbyteri concelebrantes illi in ecclesia cedebantur. Processiones ex una ecclesia in aliam saepenumero lubens faciebat cui Schismatici viam impediabant, lapidum beneficio obsistentes. In Praetorio Polociae et Vitepsci parum abfuit quin vitam eripuissent, cuius periculi ego me quoque participem fuisse fateor. Quae omnia, etc.

(Dicto proc. Interpret. fol. 39, a t.)

7-us testis: D. Joannes, Consul Polocensis, annorum 40, citatus, qui iuravit, etc.

Juxta 16 respondit: Me praesente in Praetorio Polociae fuit in maximo periculo Josaphat et D. Palatinus Polocensis caeterique Nobiles et Officiales, qui pro tunc erant cum Josaphato, et Uniti huius loci

Polocen gravi in terrore agitabantur dum eos totus plebis circumsonaret clamor: Cede, occide Unitos. Hoc autem inde ortum duxit quod Josaphat publice responderit omnibus se esse verum Unitum; hinc subsequutum est quod Schismatici in Sanguinem Josaphat coniuraverint, etc. Maxime igitur invidia persequiebantur illum et iniuriosa verba in eum et alios omnes Unitos coniiciebant etc.

(*Proc. Interpret. fol. 52*)

8-us testis: R. P. Dorotheus, Ordinis S. Basilii, annorum 43, cit. qui iuravit, etc.

Juxta 16 interrog.: Quae me praesente peragebantur Vitepsci, Polociae haec expono. Fueraam tum temporis penes Virum Dei Polociae, quando ille expeditis literis Sacrae Regiae Maiestatis ad Cives contra Smotricium, Pseudo Archiepiscopum Polocen., a Pseudo Episcopo quodam Graeco Theophane dicto, qui Patriarchae Hierosolymitani nomen sibi usurpabat, consecratum, ut illum Polocenses neque pro Archiepiscopo agnoscerent, neque civitatem intromitterent; his, inquam, literis expeditis, S. Josaphat adiit Praetorium stipatus corona Virorum clarissimorum cum Domino Palatino Polocensi, cum toto Magistratu, ubi talem Schismatici tumultum concitarunt contra Josaphatum tanquam unitum, ut parum abesset quin omnes Catholicos interfecissent una cum Magistratu etc. Et super art. 8-o, fol. 58 ipse testis alia multa de insidiis, conspirationibus et tumultibus deponit.

Prout etiam alii infrascripti testes in Proc. Remissoriali: Primus iuxta 8-um interrog., fol. 38 et super 9-o art., fol. 47, a tergo; 2-us iuxta 16, fol. 57 et super 8-o, fol. 52; 3-us iuxta 16, fol. 71, a tergo, et super 8-o et 9-o, fol. 75. Et 4-us testis in proc. interpretato iuxta 16, fol. 3-o, a tergo, et super 8-o et 9-o art., fol. 10 et 11; 5-us iuxta 16, fol. 19 et super 8-o et 9-o art., fol. 23, a tergo, et 24.

N. 13. - INIURIAE ET CONTEMPTUS SCHISMATICORUM ERGA CORPUS VENERABILIS JOSAPHAT POST MARTYRIUM.

(*Proc. interpretato, fol. 5-o*)

4-us testis: D. Emanuel Cantacusenens, annorum 48, cit., qui iuravit...

Iuxta 18 interrog. respondit: Tandem iterum exclamarunt: Cede, occide hunc Papistam, Latinum. Tum demum quo quis potuit tam diu ceciderunt donec saevissime trucidarent, quibus autem vulneribus, quibus armis, in quibus partibus corporis et quot replicerint vulnera, quidque Josaphat dixerit dum esset sauciatus soli Deo notum et iis qui postea corpus crudeliter occisum viderunt; et hi sunt partim Haeretici, partim Judaei, partim Schismatici, a nullo autem audiivi Josaphatum lamentatum

fuisse contra suos homicidas, aut aliquod verbum acrius protulisse. Hoc solum scio quod ex vulneribus tum inflictis sibi mortuus fuerit, etc.

Item audiui a custode domus Archiepiscopalis, qui tum intererat, quod Josaphatum ex atrio extraxerint et canem, qui Dominum occisum defendebat, supra corpus Viri Dei dissecuerint, ibidemque eum vulnerabant, pungebant, conculcabant et caetera patrabant quae ipse Infernus illis suggerebat etc.

Et iuxta 20, fol. 6-o, a tergo, respondit: Audiui ab iis omnibus qui nos infirmos iacentes visitabant, quomodo morte illata corpus Archiepiscopi diversimode (f. 127) cederent et tunderent, capillos tum in ipsa aula quam corpore extracto ex aula vellerent, super faciem et corpus saltarent et calcarent et alias plurimas immanitates exosas super ipsius corpus sanctum agerent, quos eloqui non sinit pudor; caput ei non est abscissum, sed dissectum, quod ego post biennium vidi. Pedibus deinde et collo alligatus trahebatur in summitatem montis, penes aulam Archiepiscopalem siti, et in flumen Duna proiectus est cum insultatione ac acclamationibus: Firma te, Episcopo, firma te. Ibidemque navi impositus ad quartam partem leucae adverso fluvio provecti in eundem fluvium demerserunt, repleto lapidibus cilicio, quod Vir Dei portare solitus fuit, idem collo alligarunt, praesertim vero pedibus magno appenso lapide, ne hoc modo corpus unquam supernatare posset. Haec omnia scio propterea quia tum adfui Vitepsci et ab omnibus qui nos visitandi causa veniebant singulis diebus audiui. Et super 13 art., fol. 13, supradicta recantat. Prout longa serie idem et alia plura dicunt 8-us testis super 13 art., fol. 60, a tergo, et alii testes praeteritae Inquisitionis defuncti, extracti et compulsati in processu Remissoriali, fol. 180, a tergo, qui brevitatibus causa hic non rescribuntur, etc.

N. 14. - DE CONSTANTII ILLIUS PRAEPARATIONE ANIMI AD MARTYRIUM AC DESIDERIO MORIENDI PRO SALUTE ANIMARUM ET SANCTA UNIONE AC CATHEDRA BEATI PETRI EXALTATIONE.

(*Proc. Urbis fol. 17, a tergo*)

2-us testis, Romae examinatus, etc.: Super 13: Et io so che egli prima di morire mentre io fui in sua compagnia desiderava il Martyrio perche sempre che era avisato delle conspirationi che si facevano contro di lui dalli Schismatici egli rispondeva che piacesse a Dio che quella sua terra sterile si facesse più fruttuosa con il mezzo del suo sangue et in questo proposito diceva molte altre parole simili, dalle quali si vedeva che egli desiderava il Martyrio; in questo desiderio mostrò perseverare mentre vi fui, sicome ancho intesi da molti degni di fede et in particolare

dai Padri Gesuiti con li quali soleva egli praticare frequentemente; e così credo che in tal desiderio habbia perseverato sino alla sua morte.

(*Proc. interpretato, fol. 31, a tergo*).

6-us testis : D. Dorotheus, Proconsul Polocensis, annorum 45, citatus, qui iuravit, etc.

Juxta 17 respondit : Nullus unquam hominum audivit Josaphatum facto vel verbo vindictam de Schismaticis presumpsisse vel eam intendisse, quin imo saepius eis dicebat : Vos me persequimini et mortem machinamini, ego autem vos toto cordis affectu diligo et pro vobis animam meam ponere desidero, quae omnia mihi constant, quia me praesente facta sunt et a plurimis aliis audivi.

Et super 11 art., fol. 75, dixit : Id nobis admirationi fuit nullum unquam hominum eo modo desiderare posse vitam ut Josaphat mortem expetiisset. De quo concionatus est? De morte. De quo collocutus est ad mensam? De morte. De quo colloquia nobiscum habita? De morte. Id unicum ex ore Josaphati audiebatur : Utinam dignus essem pro Christo, Deo, Unione, et pro Summo Capite Ecclesiae, Pontifice Romano, mortem obire. Haec autem cum maxima laetitia proferebat tam sanctum affectum lachrymis contestatus, et nos aliquando ad lachrymas provocabat. Id etiam scio, multos nobiles voluisse eum Vitepscum comitari ultima vice ante mortem, ut eo tutius iis stipatus inibi vivere posset. At ille talia ne sentire quidem volens renuebat dicens : si quid tale inibi contigerit, mihi non alteri contiget; utinam autem tam felix essem, ut vitam pro (f. 128) vera Ecclesia Dei et Unione Sancta cum Romana Ecclesia profundere possem. Haec dico tanquam is qui singulis ferme diebus audivi dum essem Polociae ad latus Josaphat, etc.

(*Proc. interpretato, fol. 59*).

8-us testis : R. P. Dorotheus, annorum 43, citatus, qui iuravit, etc.

Super art. 11 : Nusquam iucundiora colloquia fuerunt S. Josaphat quam de morte, etc. Nihil se magis optare quam mortem pro fide catholica, Unitate Ecclesiae nec non primatu Sedis Apostolicae.

Cumque iam ultimo Polocia Vitepscum versus Martyr Sanctus proficisceretur venit ad eum Ill.mus D. Michael, Vicedux Polocen., hic de tumultibus Vitepscensibus praemonebat, atque ne tunc Vitepscum pergeret persuadebat, sed ut potius sanitatem suam pro ulteriori Ecclesiae commodo reservaret, etc. Verum haec persuasio nihil apud Virum S. effecit. Zelosa etenim sanctitas nec non singularis custodia ovium a Deo sibi commissarum perditionem vitae omniaque sibi imminetia pericula superabant. Ipse ergo Viceiudex eidem Servo Dei in comitem itineris sese offerebat, volens et vitam illius tueri. Ac Vir Sanctissimus illum talibus alloquitur : Ill.me Domine, pro hoc catholico affectu maximas ago gra-

tias, etc. Ego neque corona amicorum numerosa neque catervis indigeo famulorum. Cum meis cantoribus, qui glorificant Deum, proficiscar. Quod vero meum concernit periculum ego illud non curo. Addiditque: Faxit Deus, ut dignus sim pro fide sancta et obedientia Sedis Apostolicae sanguinem effundere meum. Proptereaue etiam iam sepulchrum mihi iussi extrui, etc. Una ante mortem septimana Vitepsci in praesentia mea habuit concionem supra illa verba Evangelii S. Joannis: Veniet hora quod quicumque vos occiderit putabit se hostiam offerre Deo et dicebat: Vos, inquit, Vitepscenses me ad necem quaeritis, insidias mihi struitis in fluviis, in pontibus, in viis, in civitatibus, et ego ecce in mea persona ad vos veni, et scitote me vestrum esse Pastorem; concedant superi ut animam meam ponam pro vobis, et Primatu S. Petri et successoribus eius, Pontificibus Romanis. Haec ipsemet audiui, etc.

Idem et alia plura deponunt in Proc. Remissor. super art. 11, fol. 48, et super 16, fol. 54, a tergo; 2-us super 9-o et 11-o, fol. 62 et 63; 3-us super 11, fol. 76 et in Proc. interpretato 4-us super 11, fol. 11, a tergo et 12; 5-us super 11, fol. 24, a tergo, et alii plures.

N. 15. - DE INTEGRITATE CORPORIS VENERABILIS JOSAPHAT ILLIUSQUE VIVIDO AC PULCHERRIMO ASPECTU. QUAMVIS A SCHISMATICIS MULTIS MODIS DEFORMATUM FUISSET.

(Proc. Remissor., fol. 72).

3-us testis: Ill.mus D. Michael, Vicedux Palatinatus Polocensis, annorum 54, citatus, qui iuravit, etc.

Juxta 18: Vidi his oculis meis corpus in Polociam advectum et populo ad videndum expositum, et adverti pulcherrimam oris et totius faciei compositionem acsi viveret; quia imo longe pulchrior mihi et aliis visus tunc est Josaphat quam dum viveret praeterquam ictus fustis livorem fronti et naso superinduxisset. Tum etiam vidi sanguinem ex vulnere capitis profluentem, quod dissectum fuerat. Vidi etiam hieme, Februarii 15 anno 1624, cum magna frigora dominantur, ex eodem vulnere sanguinem manasse. Neque unquam quisquam de morte et Martyrio Servi Dei (f. 129) Josaphat dubitavit, etc.

Et super art. 12, fol. 76, a tergo: Vidi eundem mortuum quem novi vivum, indubitatis cognosci signis sanguinem ex vulnere profluentem vidi livorem vultus notavi pulchriorem fuisse post mortem quam fuerit in vita admiratus sum cum pluribus aliis oculatis testibus. Quippe cum aliquot post mortem mensibus absque ulla corruptione permanserit, etc.

(*Proc. Interpretato, fol. 6.*).

4-us testis: D. Emanuel Cantacusenus, annorum 48, citatus, qui iuravit, etc.

Juxta 19: Visitantes retulerunt corpus Martyris Dei extractum ex aqua adeo pulchrum fuisse acsi viveret et licet sex diebus submersum in aquis quaereretur et uncis ferreis extraheretur, illaesum ab omni vulnere extitit, quae facile a dictis uncis ferreis in aquis infligi poterant. Hoc corpus sanctum non prius vidi nisi post duo ferme annos Polociae repositum, summopere exercuiatum, nihilominus agnovi talem qualem in vita cognoscebam.

In nullo mutatum, praeterquam quod frontis livore obducta esset. Et super 14 art., fol. 13: Hoc etiam est verum Vicepalatinum Vitepscen, etc. praecepisse piscatoribus inquiri corpus S. Martyris, prout etiam feria sexta, die sexta post occisionem, ex aqua extractum fuit, repertusque est aspectu pulcherrimum cum summa confusione Schismaticorum, Catholicorum autem consolatione, etc.

Vidi quoque ipse post biennium corpus sanctum immutatum depositum Cathedrali Polocen., in quo vulnere ictus solum apparebant. Haec omnia scio ut testis de visu, etc.

Et super 17, fol. 14: Id autem certum est apud omnes, passim referentibus illis qui Servum Dei ex aquis extractum viderant, illud adeo pulchrum ac venustum fuisse ut in pulchritudine vivum superasset, licet antea a Schismaticis immaniter deformatus fuerit.

Idem deponunt primus testis in Proc. Remissoriali super 14, fol. 48, a tergo, et super 17, fol. 50; 2-us super 12 et 17, fol. 63, a tergo et 64, a tergo, et 5-us testis in Intrepretato iuxta 18, fol. 19, a tergo, et super 14 et 17, fol. 25 et 26; 6-us iuxta 18, fol. 31 et super 14, fol. 36; 7-us iuxta 18, fol. 41, et super 13, 14 et 17, fol. 45 et 46; 8-us iuxta 18, fol. 54, et super 14, fol. 61.

N. 16. - IN DIE MARTYRII VENERABILIS JOSAPHAT APPARUIT DENSISIMA NEBULA SANGUINEA QUAE TOTUM VITEPSCUM CINUXIT.

(*Proc. Remissor. fol. 64 a tergo*)

2-us testis: R.P. Stanislaus, Soc. Jesu, annorum 51, citatus, qui iuravit, etc.

Super 17: Audivi ex quibusdam oculatis testibus quod die mortis Josaphat nebula densissima Vitepscum cinxisset.

5-us testis: D. Joannes, Notarius Polocensis, annorum 53, citatus, qui iuravit, etc.

(Proc. Interpretato, fol. 26, a tergo)

Super 17 : Item asseruit quod tenebrae quaedam aegyptianae post occisionem Vitepscum cinxerint ac perduraverint quoad usque extractum est corpus ex aqua. Quin imo, cum nos Vitepscum corpus sanctum recuperaturi iremus, densissimae nebulae super fluvium videbantur, ut autem revertebamur cum corpore, serenum gratissimumque semper extitit.

(Dicto processu, fol. 37)

6-us testis : D. Dororotheus, Proconsul Polocensis, annorum 48, citatus, qui iuravit, etc.

Super 17 : Omnium itaque constans vox fuit et nebulam insolitam totam fere septimanam, donec corpus ex aqua extractum esset, durasse.

(Dicto processu, fol. 46)

7-us testis : D. Joannes, Consul Polocensis, annorum 40, cit. q. iur.

Super 17 : Profecto plurima Vitepsci recensebantur miracula (f. 130) post obitum Viri Dei, omnes dies illos per quos Josaphatus in aqua iacuit lugubres fuisse, quod ego in me expertus sum his diebus quibus iter faciebam Polocia Vitepscum tantam intemperiem caeli et effusum imbrem, etc.

N. 17. - DUM CORPUS VENERABILIS JOSAPHAT DEFEREBATUR PROPE SYNAGOGAM CALVINISTARUM SPONTE CALIX INVERSUS EST.

(Extractum ex libris Praetorii Civitatis Polocensis, Proc. interpret. fol. 91)

Coram me Joanne Praetore Polocensi, etc. Comparentes personaliter, etc. 12 novembris 1623. Cum, inquit, iam Pater noster carissimus et Pastor defecisset per mortem illatam ab hominibus impiis, post cuius necem iidem homines malefici invaserunt ecclesiam Cathedralem S. Mariae non longe ab aula Archiepiscopali in civitate Vitepscensi sitam, in qua erat cista apparatus cum omnibus apparamentis ad Liturgiam Sanctam spectantibus, quam cistam variis inquit clavibus ferramentis aperiebant et perrumpebant, nullo tamen pacto aperire poterant, in eademque ecclesia Cathedrali infecto opere relinquerunt. Post horam vespertinam circiter Magistratus Castrensis Vitepscensis, etc. visa imprimis aula, in qua trucidatus est Vir Dei Josaphat, iverunt ad ecclesiam supranominatam, animadvertens autem inibi Cistam quaesierunt quaenam esset illa cista; dixerunt in ea repositos fuisse apparatus omnes ad Liturgiam Sanctam Archiepiscopi spectantes, quam cistam Dominus Vice Palatinus iussit satellitibus suis propter maiorem securitatem ad arcem deportare. Interea cum iam portaretur, ex improvise inciderunt in sanguinem

S. Martyris, mox cista sponte sua aperta res omnes quas in se continebat eiecit.

Calix autem parumper volutatus latere constitit in sanguine S. Martyris, non aliter ac solent Praesbyteri ponere in altari cum Liturgiam Sanctam persolvunt, quod miraculum pro tunc novum tam Iudices Castrenses Vitepscen., Haeretici, quam etiam maxima multitudo hominum, quae sub illud tempus interfuit admirata gloriam Deo reddiderunt, etc.

(*Proc. Remissor., fol. 65*)

2-us testis: R. P. Stanislaus, Soc. Jesu, annorum 51, citatus, qui iur. Super 17: Quod calix ex cista sponte exciderit et rectus in loco sanguinis effusi a Josaphato steterit. Quod denique idem calix, feretro iam impositus, dum corpus ad navigium deferretur, alias serico feretrali assutus, inversus fuerit versus Synagogam Calvinistarum. Haec, inquam, omnia scio optime, quia a fide dignissimis et quidem oculatis testibus omnia audiui, quae omnia et singula fuerunt vera, etc.

(*Dicto Processu, fol. 77, a tergo*)

3-us testis: D. Michael, Vicedux Palatinatus, annorum 54, citatus, qui iuravit, etc.

Super 17: Audiui calicem sponte sua ex cista clausa excidisse et in sanguine Martyris stetisse. Quae omnia et singula fuerunt et sunt vera, publica et notoria et de illis omnibus et singulis fuit et est publica vox et fama, etc.

Idem deponunt: Primus testis in dicto Remissor. super 17, fol. 50; 4-us testis in interpretatione super 17, fol. 14; 5-us testis super 17, fol. 14; 6-us testis super 14 et 17, fol. 36 et 37, et 8-us testis iuxta 22, fol. 54 et super 17, fol. 62. (f. 131)

N. 18. - SUPER CORPUS INTERFECTI MARTYRIS ET SUPER FLUMINE, UBI FUIT DEMERSUM, LUMEN DE CAELO DESCENDIT OCULOS ASPICIENTIUM PERSTRINGENS.

(*Proc. Urbis, fol. 10 et 11*)

Primus testis, Romae examinatus: Ill.mus Dominus Lancellottus, Nuntius Poloniae Apostolicus, etc.

Juxta 14: E del corpo fui avisato che fu trovato nel fiume sudetto sopra il quale si vedeva una face accesa.

Et super 12: Io so come ho detto che doppo che fu ammazzato il sudetto Giosafat, Arcivescovo Polocen., fu buttato il suo corpo nel fiume dove fu vista una luce, ma io non mi ricordo il giorno et di questa luce apparsa lo so per la notitia che ne ho havuta da molti et in particolare da Padri Gesuiti e dal sudetto Metropolita, etc.

Idem deponit 2-us testis, Romae, iuxta 14, fol. 14 a tergo.

(*Proc. Interpretato, fol. 37*)

6-us testis: D. Dorotheus, Proconsul Polocensis, annorum 48, citatus, qui iuravit, etc.

Super 17: Omnium itaque constans vox fuit lumina visa tam super corpus iam occisi quam super locum fluminis Duna, ubi fuerat demersus, etc.

(*Dicto Proc., fol. 46*)

7-us testis: D. Joannes, Consul Polocensis, annorum 40, citatus qui iuravit etc.

Super 17: Hoc etiam audiui ut publicum, visam fuisse lucem supra fluvium et corpus, quod ego non aliter factum puto quoniam in tanta profunditate submersus Josaphatus quanta fortasse in tota Duna maior non reperiretur, difficillimum fuit absque speciali revelatione Dei invenire, etc.

(*Proc. Interpretato, fol. 61 a tergo*)

8-us testis: R. P. Dorotheus, annorum 43, citatus, qui iuravit, etc.

Super 17: Domina Theodora, uxor Proconsulis Vitepscensis, optimae vitae, fidei, virtutis, zeli Unionis foemina dixit se vidisse lumen de caelo super corpus Sancti Josaphat, dum extraxtum post occisionem ex aula Archiepiscopali in caemeterio iaceret. Item visum fuisse lumen de flumine Duna ex illo loco in quo submersus erat Josaphatus, etc.

Idem deponunt in Processu Remissoriali: Primus testis super 17, fol. 50; 2-us super 17, fol. 64 a tergo; 3-us super 17, fol. 77 et in Processu interpretato 4-us iuxta 22, fol. 7, a tergo et super 17, fol. 14, a tergo, et 5-us super 17, fol. 26, a tergo.

N. 19. - SANGUINE MARTYRIS INNUMERUS HAERETICORUM ORDO FUIT ERADICATUS ET CONVERSI FUERUNT IPSIMET PARRICIDAE ET EOS FACTI POENITUIT.

(*Proc. Remissor. fol. 48, a tergo*)

Primus testis: R. P. Gennadius, annorum 55, citatus, iuratus, etc.

Super 14: Ipse etiam fui comes quando per flumen Duna maximo comitatu omnis conditionis nominum Polociam advectum fuit, Unitis glorioso Martyri applaudentibus et Schismate solo gemente, et poenas Caelo super parricidas ipsos invocabant passim omnes, me audiente; plurimi cum lachrymis et fletibus illius precibus se commendabant. Parricidae ipsi peccatum suum confitebantur ac deflebant. Quin imo Minister Calvinistarum Vitepscensium lachrymis deducens corpus (f. 132) Servi Dei ad navigium cum suis asseclis ad feretrum ferendum properavit dicens: Infelices Innocentem occiderunt. Verum tandem cum Sacro cor-

pore venimus Polociam in comitatu tam Spiritualium quam saecularium, etc.

Et super 16, fol. 59, a tergo: Ut omnium Martyrum mors semen est christianorum, ita et mors Josaphat granum frumenti in terram cadens, et mortuum centuplum animarum fructum afferens esse videtur. Hinc parricidae etiam ad gladium carnificis per Regiam Commissionem destinati Unitis sacerdotibus confessi sunt.

Quod attinet ad Meletium, Pseudo Archiepiscopum Polocensem, in mea conscientia non aliter sentio quam quod Josaphat Meletio idem fuerit quod Stephanus Saulo, cuius nempe Meletii gloriosam conversionem miraculo etiam Deus gloriosus confirmare voluit. Huius, inquam, Meletii conversio Servo Dei Josaphat omnino adscribi debet, quia revera tam durum Schismaticum si sanguis Martyris non emolliret, omnino usque ad mortem amore Sacrosanctae Unionis non informaretur.

(*Proc. Remissor., fol. 64*)

2-us testis: R. P. Stanislaus, Soc. Jesu, annorum 51, citatus, etc.

Super 16 dicit: Quia scio, praesens tum Vitepsci anno 1623. In inquisitione Apostolica quando Cives Vitepscenses Parricidae Josaphat tota civitate in Curiam Ill.mi D. Archiepiscopi Polocensis moderni confluerunt et coram Commisariis Apostolicis publice peccatum suum parricidii sunt confessi, veniam petierunt, et confessarios sibi dari rogarunt, qui illos absolverent, cum maxima omnium Catholicorum consolatione, qui illam obstinatorum conversionem sanguini Martyris adscripserunt, etc. Item Meletius, qui prima necis causa fuerat, sit conversus ad fidem catholicam per sanguinem, merita et orationes Servi Dei Josaphat.

(*Proc. Remissor., fol. 77*)

3-us testis: D. Michael, Vicedux, Palatinus, annorum 54, citat., etc.

Super 16 dixit: Scio et indubitate ita credo quod Meletius, olim Pseudo Archiepiscopus Polocensis, etc. per sanguinem Josaphati ad fidem catholicam esse conversum, etc., quia ex tali persecutore, qui verbo et scripto Ecclesiam Catholicam persecutus est, factus est Russiae talis Apostolus, ut illam verbo et opere defendere et sciverit et potuerit, etc.

(*Proc. interpret., fol. 3, a tergo*)

6-us testis: D. Dorotheus, Proconsul Polocensis, annorum 48, citatus, iuravit, etc.

Super 18: Optime vidimus faciem dicti Martyris adeo fuisse venustam, ut ne in vita quidem tantae fuerit pulchritudinis. Hoc ipsum viderunt Schismatici, Haeretici atque Judaei maximopere admirati pro evidentissimo miraculo reputarunt, neque ullus repertus est qui dubitaret corpus illud non fuisse Josaphati Archiepiscopi, sanguinem impetuose profluentem, ex capite securi clinata dissecto, indignis meis ma-

nibus abstergebam iisdem meis manibus cum caeteris tumbae illud imposui et ad navim ex ecclesia portavimus, verum portare illud nequam permissi sumus; Schismatici etenim retrusis nobis ipsi super suos humeros tulerunt; in hac processione homicidae flentes scelus tam enorme patratum detestabantur (f. 133), et de infortunio totius civitatis Vitepscensis lamentabantur. Quae omnia oculis meis vidi, et auribus audivi, etc.

Et super 14, fol. 36: In primis, cum corpus versus Dunam ferebamus, plebs omnis Vitepscen, currebat ad portandum corpus, flebat, obiurgabat, maledicebat homicidis, a Domino Deo remissionem implorabat, etc. Et quod maius est Haeretici ipsi Calvinistae et Judaei mirum in modum flebant, innocentem Sanctum Josaphat proclamantes. Et super 16, fol. 34: Ipsi quoque parricidae morti adiudicati, ante ipsam mortem conversi, Patribus Societatis confessi sunt. Cui igitur haec conversio adscribenda nisi sanguini Martyris?

Idem deponunt in Processu Interpretato: 4-us testis iuxta 19 et 20, fol. 5 et 7-o; 5-us iuxta 18, fol. 20, et super 14 et 16, fol. 25 et 26; 7-us iuxta 15 et 18, fol. 29, a tergo, et 31 et super art. 12, et 16, fol. 35, et 8-us testis super art. 16, fol. 41.

N. 20. - TESTES DEPONENTES DE MIRACULIS DIVERSIS SE- CUTIS AD INVOCATIONEM ET INTERCESSIONEM MAR- TYRIS.

Et Primo.

(*Proc. Remissor., fol. 43*)

Primus testis: R. D. Gennadius, annorum 55, citatus, qui iuravit, etc.

Juxta 24: Ego quidem scio plures personas in suis necessitatibus et infirmitatibus Servo Dei Josaphat se commendasse et eius intercessionem plures gratias recepisse, et plura miracula per Servum Dei operata fuisse. Item scio et vidi hisce oculis meis Spectabilem Petrum, Proconsulem Polocensem, insignem Catholicum Ritus Latini visu fuisse privatum et voto ad catacumbas Servi Dei facto in traslatione corporis Vitepsci Polociam cilicioque eiusdem Martyris tacto visum recuperasse.

(*Dicto Processu, fol. 78*)

2-us testis: R. P. Stanislaus, Soc. Jesu, annorum 51, cit., iur., etc.

Super 19: Scio tamen de visu quia Petrus, Proconsul Polocensis, votum fecit ad Servum Dei, visu iam plane destitutus, et gratiam et visum oculorum accepit; vidi illum et caecutientem a pluribus annis et optime postmodum videntem. Hanc ille gratiam coram omnibus et coram

me ipso saepius publice fatebatur se recepissee meritis et intercessione Servi Dei Josaphat.

Idem deponunt in processu interpretato : 4-us testis super 19, fol. 15; 5-us testis iuxta 24, fol. 21; et super 19, fol. 27; 6-us iuxta 24, fol. 32 et super 19, fol. 37; 7-us iuxta 24, fol. 42 et 8-us iuxta 24, fol. 54, a tergo, et super 19, fol. 62, a t.

MULIER SPATIO 14 ANNORUM CONTRACTA SEPULCHRO MARTYRIS PRAESENTATA STATIM SANATUR ET RECTA INCEDIT.

(*Proc. Remissor., fol. 59*)

2-us testis : R. P. Stanislaus Societatis Jesu, annorum 51, cit. etc.

Juxta 24 : Ego scio plurimas personas in suis necessitatibus Servi Dei Josaphat opem implorasse eiusque intercessione plurimas gratias recepissee et a variis morbis liberatas fuisse. (f.134) In particulari, me Rectore Polociae existente, fuit in xenodochio quod nostrum Collegium alit et sustentat quaedam ex pauperibus femina Marina nomine per quatuordecim annos prorsus omni usu pedum destituta, quae postquam ex voto facto ante sepulchrum Martyris Josaphat praesentata et subito ei usus perfectus pedum restitutus est adeo, ut quae aliorum adminiculo et manibus ad sepulchrum adducta et asportata est, illa eadem absque ullius ope ac scipionis fulcimento propriis viribus ac pedibus de altissimo monte descenderit et post aliquod tempus maritum duxerit, et cum eo aliquot annis vivens perfecto et expedito gressu pedum usa fuerit. Quam sicut antea debilem et omni pedum usu destitutam ita postmodum perfecte sanam et expedite ambulantem non ego solus, sed etiam tota civitas et vicinia Polocensia propriis oculis notavit. Quod ego prorsus miraculum per servum Dei Josaphat factum arbitror, neque id potuit processisse ex medicamentis adhibitis, vel alia causa naturali, propter defectum adeo tam gravem et quia inveteratus fuerat insanabilem.

(*Proc. Interpretato, fol. 7-o, a tergo*)

4-us testis : Communiter fertur omnes incolas Palatinatus Polocensis in omnibus suis necessitatibus et infirmitatibus ad S. Martyrem confugere et iuvamen experiri; pluribus mihi hic agendum esset, sed defatigatus prorsus desistere debeo. Hoc unicum praeterire non possum : cognovi foeminam quandam in xenodochio Patrum Jesuitarum Polociae decumbentem, usu manuum pedumque destitutam; haec voto ad sepulchrum S. Martyris concepto et ope aliorum deportata convaluit propriisque viribus domum rediit et postmodum maritum duxit.

Idem deponunt : 5-us iuxta 24, fol. 21 (?); 6-us iuxta 24, fol. 32 et super 19, fol. 37; 7-us iuxta 24, fol. 42, et super 19, fol. 62.

PARALITICUS VOTO CONCEPTO SANATUR.

(*Proc. Remissor., fol. 43, a tergo*)

Primus testis: R. D. Gennadius, annorum 55, cit. q. iur.

Juxta 24: Denique lachrymis meis testor gratitudinem meam erga Sanctum Servum Dei me ipsum morbo Paralyseos extremo conflictatum, aliquoties paroxismos gravissimos patientem Servus Dei voto concepto liberavit. Quod depono et iuro tanquam ille qui alias pedibus destitutus nunc meritis Servi Dei et valeo et ambulo et hoc pro veritate depono.

(*Extractum ex libris Praetorii Civitatis Polocensis, Proc. Interpret, fol. 93*)

1627. 13 Septembris. Venerabilis Pater Gennadius Igumenus Polocensis praesentavit scriptum coram nobis Judicibus tale: Ego Gennadius, etc. fateor quod cum essem Paralysis morbo affectus anno 1626, etc. tanto fui affectus dolore ut ultimam fere in ipso pertulerim afflictionem vitaeque periculum subire videbar. In quo dolore meo supranominato sub mediam noctem commendavi me precibus S.ti Martyris Josaphat et concepi votum ad sepulchrum ipsius taliter mecum colloquens: quodsi habuero aliquod levamen et videro me aptum, adibo pedes sepulchrum S.ti Martyris et Sacrum ad Sepulchrum ipsius dicam. Post tale meum votum subito obdormivi; expergefactus autem adeo notabile sensi levamen ut absque ulla mora commodissime ad sepulchrum S.ti Martyris me contulerim, etc. Hoc totum gratiae Divinae per intercessionem S.ti Martyris Josaphat adscribo.

ALEXANDER DUX ET PALATINUS CHIOVIEN.
DOLORE PODAGRAE VEXATUS VOTO CONCEPTO
RELIQUIIS MARTYRIS COLLO APPENSIS SANATUR.

(*Proc. Remissor., fol. 65, a tergo*)

2-us testis: R. P. Stanislaus, Societatis Jesu, annorum 51, cit. iur.

Super 10 art.: Vidi Excell.mum autem Ducem Alexandrum olim Palatinum Chioviensem podagrae dolore extreme vexatum,³¹ voto ad Servum Dei concepto et reliquiis eiusdem collo appensis convaluisse et in memoriam martyris purpura se vestivisse ex hominibus omni exceptione fide dignis accepi.

(*Ex attestatione de cultu et miraculis Martyris, Proc. Remissor. fol. 192*)

Ill.mus Dux Alexander qualiter in sua aegritudine Podagrae convaluit ad invocationem Viri Dei, dictum est in Inquisitione; ego istud

³¹ Agitur de Alexandro principe Zaslavskyj, Palatino Kioviensi, qui obiit anno 1629.

addo quod ex ore ipsius audivi. Nervum in pede ipsius fuisse contractum et sic non potuisse eum, etiam dum liber erat a podagra, incedere sine sustentatione duorum baculorum; nunc autem rectus suismet viribus sine adminiculo ullius ambulare potest, etc. Hoc totum tribuens intercessioni S.ti Martyris Josaphat.

**MULIER AGONIZANS APPENSA RELIQUIA MARTYRIS
AD COLLUM REVIVISCIT ET SANATUR.**

(*Proc. Remissor., fol. 73*)

3-us testis: D. Michael, Vicedux et Palatinus Polocensis, annorum 54, citatus, iuratus, etc.

Juxta 24: Praeterea domi mea id accidit, quaedam foemina e familia mea, nomine Sophia, uxor Adami, morbo praevalente iam in agone constituta fuit et iam a 24 horis usum loquelaе amisit. Illam ego cum uxore mea conveni, eandemque iam tanquam morientem in terram depositam vidi, dolore commotus propter tres pupillos, etc. dixi uxori meae: faciamus votum sistendi illam ad sepulchrum Martyris ut intercessione Servi Dei Josaphat vita huic miserae restituatur. Annuit illa et simul mecum votum fecit. Ego autem particulam ex veste Servi Dei quam mecum tum habebam per manus mariti praedicti iussi collo illius alligari, et ecce vix id factum, me vidente et audiente, ex tunc oculos aperuit et dixit marito suo: Adame, rogo non perdas id quod Dominus iussit collo meo appendere statimque convaleuit et modo sanissima vivit cum eodem marito. Hoc quoque in mea sententia miraculum reputo propter (f. 136) subitanam convalescentiam in tam gravi casu, quod medicamenta operari non poterant, etc.

Multa alia miracula addi possent quae ad evitandam prolixitatem et uti minime necessaria omittuntur.

(f. 136) — **SACRAE RITUUM CONGREGATIONI**

Em.mo et Rev.mo Domino Cardinali Pamphilio.

POLOCEN: Pro Declaratione Martyrii Venerabilis

Josaphat Cuncevitij, Archiepiscopi Polocen.

SUMMARIUM DE MARTYRIO ET CAUSA MARTYRII.

(*infra*: P. Alciati...); Em.mo Caetano.

ARCHIVUM S. CONGR. RITUUM, *Positiones*, nr. 270; *Memoriali* (28.VI.1642). (Sectio historica).

POLOCEN. — PRAETENSI MARTYRIJ (f. 99).

Em.me et Rev.me Domine.

Non videtur constare de Martyrio bo.me. Archiepiscopi Josaphat, quia cum ad eum effectum praeter mortem requiratur etiam causa quod mortem patiatur propter Christum vel fidei veritatem, ut docet S. Thomas 2.2., quaest. 124, art. 4, in corpore.

Mors dicti Archiepiscopi non videtur successisse ex causa fidei, sed quia mane talis occisionis Praesbyteri et familia illius, communicato consilio cum eodem Archiepiscopo, apprehenderunt et in coquina Palatii Archiepiscopalis carceribus manciparunt quendam Sacerdotem schismaticum, qui dictam familiam iniuriis afficiebat, cui facto rusticus quidam praesens tumultum in populo etiam pulsando campanas excitavit. Unde aliquot millia Schismaticorum statim in unum coacti, Palatium cum armis invaserunt, et cum familia Archiepiscopi, quae se defendebat concertare coeperunt, et licet de eo admonitus Archiepiscopus mandavit carceratum dimitti, et Schismatici videntes carceratum dimissum aliquantulum resipuerunt... Postea tamen resumpto animo renovarunt invasionem contra familiam, aliquos illorum vulnerando et male tractando donec Archiepiscopus, strepitu audito, e Camera exivit in atrium, et manibus ad formam crucis compositis hostes ita fuit allocutus: filii, quod vobis est iniuriae? Quid fecit vobis familia mea? Si quid contra me habetis, ecce adsum; familiam autem sinatis neque occidatis. Quibus auditis, licet e Schismaticis ibi adstantibus nullus sit ausus manus in Praesulem iniicere, duo tamen ex opposita Camera irrupuerunt, ac statim ac viderunt Archiepiscopum eorum unus fuste caput petiit, alter securi divisit, prostratum vero quotquot in Atrio fuerant cedere, confodere, et male tractare non destiterunt, donec illum mortuum viderunt, nec mortuo etiam pepercerunt, quia post varias contumelias corpus illius ab alto monte in flumen praecipitarunt, ut latius factum istud recensent tres ipsius Archiepiscopi famuli, praesentes, et simul cum eo tunc vulnerati, qui sunt 4-us testis iuxta 18, eodem processu, fol. 52, in fine, et 53, et alter testis prioris informationis in hac posteriori compulsatus in processu remiss., fol. 180.

Nam stante facto, ut supra narrato, licet Schismatici odium **magnum** haberent contra ipsum Archiepiscopum ex causa fidei et **Unionis**, **quam** Archiepiscopus defendebat cum Sancta Romana Ecclesia, eademque de causa varios tumultus diversis temporibus contra illum excitaverint eidemque saepius mortem fuerint cominati, tamen cum magis proxime ad mortem successerit d. factum incarcerationis in personam Sacerdotis

Schismatici, propter quod tumultus fuit concitatus, et in eo dicta mors sequuta sit, videtur quod talis mors non sit tribuenda defensionis fidei, sed dictae carcerationi ad iniuriam sibi revocatae per Schismaticos, qui propterea in illius vindictam sumptis armis familiam Archiepiscopi male (f. 100) tractarunt, et ipsum Archiepiscopum trucidarunt, cum semper actus tribuatur causae proximae et non remotae; C. Socium qui § 1. St. pro soc. 1. pen. H. de cond. ob turp. caus. Pam.ris cons. 127 n.o 4, lib. 1; Soccen. Jun. cons. 128 n. 66, lib. 1.; Aym. cons. 8, n. 24, et cons. 163, n. 4. Et ubi causa immediata concurrit cum mediata, tunc immediata attendatur, quia potentius afficit. Bald. in lib. ex placito. q-e 1, C.de rerum permutatione. Natt. cons. 600, n. 25. Surd. cons. 64, n. 6, et 7. Quare etc.

Antonius Cerrus, Promotor fidei (mp).

(f. 100v). Sacrae Ritum Congregationi

Em.mo et Rev.mo D. Cardinali Pamphilio

POLOCEN. — praetensi Martyrii.

Pro Sanctae Fidei Promotore.

Oppositiones super Dubio: An constet de Martyrio et causa martyrii Venerabilis Josaphat Cuncevitij, Archiepiscopi Polocensis.

181.

Romae, 28 . VI . 1642.

Responsiones ad obiecta Promotoris Fidei de martyrio Servi Dei Josaphat.

ARCHIVUM S. CONGR. RITUUM, *Memoriali* (28 . VI . 1642); *Positiones*, nr. 270.
(Sectio historica).

POLOCEN. (Responsio ad obiecta D. Promotoris fidei) (f. 1040)

Em.me et Rev.me Domine.

Venerabilem Archiepiscopum Josaphat Concevitium interfectum fuisse a Schismaticis in odium fidei Catholicae, Unionis scilicet cum S. Romana Ecclesia, quam ille maximo zelo promovebat satis superque probatum fuit in informatione tam ex his quae praecesserunt, concomitata et subsequuta fuerunt factum parricidii, quam ex confessionibus ipsorum sicariorum et ex attestationibus Ser.mi Regis Poloniae et Rev.mi Metropolitae, ac aliorum gravissimorum virorum.

Quibus non obstat quod Schismatici moti fuisse videantur ad illum occidendum propter carcerationem cuiusdam Presbyteri, illius scitu paulo

ante mortem Archiepiscopi de illius mandato subsequutam, iuxta seriem facti, quod referunt tres testes ex adverso ponderati.

Quoniam verius et carcerationem illius Presbyteri non fuisse veram causam occisionis, sed solum occasionem accidentalem, quae praebuit Schismaticis opportunitatem exequendi impium propositum, in quo ante et postea semper perseveraverunt, quod satis ex eo patet, quia postquam dicta carceratio cessavit, et Presbyter de mandato eiusdem Archiepiscopi absque aliqua offensione dimissus fuit, adhuc magis in illum Schismatici saevierunt et mortem illi intulerunt, prout deponunt testes ex adverso adducti, et praesertim 4-us, iuxta 14, fol. 5, et 8-us iuxta 8, fol. 53. In hoc enim potissimum differt vera causa ab occasione accidentali, quod hac cessante non cessat effectus sicut cessare solet cessante causa. S. ult. de resand. vend. Bald. in capite solito de maior. et obed. Late Tiraquell in tract. cessant. caus. etc. limit. 23, n. primo, ubi etiam n. 7-o, post alios tradit occasionem dici qua accidentaliter contingit etc. Surd. cons. 140, n. 79, ubi quod causa odii illa iudicatur, qua cessante cessat odium. Et ideo licet excitato tumultu propter illam carcerationem Schismatici opportunam occasionem habuerint occidendi Archiepiscopum, vera tamen et originalis causa occisionis fuit odium praeexistens propter Unionem cum Ecclesia Romana, quo semper persecuti illum fuerunt ante et post carcerationem, et huic propterea attribui debet occisio. S. Tutor datus cum ibi not. H. de fideiuss. Aym. cons. 144 n. 2; Surd. cons. 164, n. 29, 196 n. 2; Rot. decis. 227, n. 4, par. 3, recent. cum similibus.

Tanto magis, quia et carceratio ipsa processit ex iniuriis et offensionibus, quas familiares Archiepiscopi quotidie patiebantur ab illo Presbytero schismatico in odium dictae Unionis, prout deponunt testes ex adverso allegati. Unde quatenus carceratio praedicta praeberet causam morti, adhuc vera causa iudicari deberet saepedictum odium Unionis ex regula, quod causa causae est etiam causa causati; l. manumissiones N. et Just. et Jur. l. 1-o, § deiecisit Il. de vi et vi armat. cum vulgat. Et quando causa immediata est subordinata ac dependens a causa mediata et utraque influit in eundem effectum attenditur causa magis mediata uti principalis et originalis quam immediata ut per Bald. in capite Impenalem §. illud quoque praecipimus col. prima, et de prohib. alien. feud. et foeder. Toraquell. (f. 102) dicto tract. limit. 19 n. 15, et 21, et Gregor. decis. 502, n. 2; Neque in iudicando Martyrio attendi consuevit causa immediata occasionalis, sed causa primaeva originalis odii vel religionis vel fidei vel alicuius virtutis, ut in martyrio S. Joannis Baptistae, cui ideo illata non adscribitur vel cessata promissioni factae per Herodem vel convivio, vel saltationi puellae, a quibus occasionaliter processa sit, sed odio ex veritatis praedicatione contra illum a Rege et

Herodiade concepto. Nec mortis S. Thomae Cantuarensis vera causa fuit intentio quam habuerunt sicarii conciliandi sibi gratiam et benevolentiam Regis Angliae, licet haec fuerit occasio immediata in mente sicariorum, sed veram causam mortis illius Ecclesia iudicavit odium Regis in Sanctum Antistitem, eo quod ecclesiasticam immunitatem defenderet, quod et aliorum Martyrum exemplis demonstrari posset, in quibus sicut et in caeteris actibus semper attenditur causa primaeva et originalis, non autem occasio accidentalis. Sed in casu nostro cessat omnis difficultas ex declaratione quam fecerunt ipsimet occisores in oraculo mortis, ac in ipso actu occisionis, dum, quando impetum fecerunt in Archiepiscopum, tunc enim clamabant: « Cede, occide hunc Papistam Latinum », ut deponit 4-us testis iuxta 14, fol. 5-o, allegatus in oppositionibus, sicuti et 8-us iuxta 18, fol. 13 pariter ex adverso allegatus deponit, quod paulo ante factum occisionis, et nondum sequuta supradicta carceratione fuit ipsemet Archiepiscopus praemonitus a Consule Vitepsensi, quod sibi Schismatici iam decreverunt illa hebdomada mortem illi inferre. Ex quibus omnibus simul iunctis liquido constat veram causam mortis huius Venerabilis Praesulis fuisse odium quo illum Schismatici prosequuti fuerint propter Unionem cum Romana Ecclesia.

Ideo etc.

Laurentius della Rosa (mp).

(f. 104v.) Sacrae Rituum Congregationi sive

Em.mo et Rev.mo D. Cardinali Pamphilio, Proponente.

POLOCEN.

Pro Declaratione martyrii Venerabilis Josaphat Cuncevitij, Archiepiscopi Polocen.

Responsio ad obiecta D. Promotoris fidei.

182.

Roma, 9 . VIII . 1642.

Nova Congregatio in Causa Josaphat.

ARCHIVUM S. C. RITUM, *Positiones*, N. 270. (fasc.), f. 77r, 78v; - *Memoriali* (28.VI.1642) (Sectio historica).

POLOCEN. - Declarationis Martyrii.

Ill.me et Rev.me Domine.

Dignetur ex solita benignitate reassumere summarium et informationes una cum responsione ad obiecta Rev.mi D. Promotoris fidei iam

datas super dubio proponendo in prima proxima Congregatione Sacrorum Rituum, quae erit die Sabati 9-a praesentis mensis Augusti, ab Em.mo D. Cardinali Pamphilio huius causae Relatore, nempe: An constet de Martyrio et causa Martyrii Venerabilis Josaphat Cuncevitij Archiepiscopi Polocen. ac capere favorabilem resolutionem prout speratur ex deductis in informationibus.

Quare...

Laurentius della Rosa (mp).

78v: Sacrae Rituum Congregationi. Em.mo et Rev.mo D. Cardinali Pamphilio. - Polocen.

Pro Declaratione Martyrii venerabilis Josaphat Cuncevitij Archiepiscopi Polocen. Memoriale.

nota: Die Sabbati 9 huius hora XI in Palatio Em.mi Sacchetti erit Congregatio S. Rituum.

183.

Roma, 9 . VIII . 1642.

Dubium: an constet de martyrio et causa martyrii - resolvitur.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, v. I: 1592-1654, p. 676.

Polocen.

Ven. S. Dei Josaphat Archiep.

Ex privilegio peculiari SS.mi D.N. quod de hac causa agi possit in omnibus Congregationibus etiam non destinatis coram Sanctitate Sua vel coram Em.mis DD. Cardinalibus pro causis Sanctorum, et quod procedi possit in ea non obstante decreto de lapsu quinquaginta annorum, prout in registro Decretorum sub diebus 27 januarii 1629, et 2 martii 1641, propositum fuit dubium, referente Em.mo et Rev.mo D. Card. Pamphilio: An constet de martyrio, et causa martyrii.

Et S. Congregatio censuit constare de martyrio et causa martyrii.

Die 9 Augusti 1642.

184.

Roma, 19 . VIII . 1642.

Quaestio: de necessitate miraculorum in causa martyrii resolvitur, ut quaestio tractetur in abstracto, et quoad S. D. Josaphat pars tutior eligenda, scil. ut examinentur miracula.

ARCH. S. C. RITUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, vol. I: 1592-1654, p. 677.

Polocen.

Servi Dei Josaphat Archiepiscopi.

Cum ad instantiam mei Secretarii excitatum fuisset dubium: An in declarandis Martyribus esset a S. Congregatione praeter examen Martyrii, et causam martyrii, inquirendum etiam de miraculis, non quidem tanquam necessariis ad faciendum martyrem iuxta communioem opinionem Theologorum, et Sacrae Rotae, sed tanquam probationes certiores, et illustriores ipsius causae martyrii et praesertim actus interni finalis in martyre, iuxta praxim alias sequutam ab eadem Sacra Congregatione in Japponen. viginti sex Martyrum 3 julii 1627, factum fuit de hoc verbum per Em.mum D. Cardinalem Pamphilium, Ponentem.

Et S. Congregatio mandavit disputari dubium in abstracto et interim in hac causa videre etiam de miraculis.

Die 19 augusti 1642.

185.

Vilna, 6 . IX . 1642.

Urbano VIII de diversis negotiis: ut Unio protegatur, de beatificatione Servi Dei Josaphat et hospitio SS. Sergii et Bacchi.

APF, *Scritt. rif. nelle Congreg. gen.*, vol. 61, fol. 106-107.

WELKYJ A. G., *Epistolae Metropolitanarum Kiovensium*, vol. II, p. 188, nr. 9.

Sanctissime et Beatissime Pater,
Domine Colendissime.

Accepta Archiepiscopatus Metropolitanani totius Russiae cum retentione Polocen. gratuita de mandato S.T. benignissima provisione, ad pedes S.T. provolutus, eosdem humillime exosculor et gratias gratus beneficii et affectus Patris Clementissimi refero immortales. Preces etiam votivas cum toto grege mihi commisso et Religione pro felici et longaevo Sanctitatis Vestrae regimine additurus. Supplex tamen quatenus favore, quo coepit, ultra etiam pro sua clementia et affectu schismatis persequutionem, domesticorum etiam confratrum invidiam et iniurias propulsando, Unioni Sanctae et Familiae Basilianae, diversimode laceratae, consulendo assistere dignetur. Sed vel maxime pro Ven. Josaphato cum tota Russia instantissime supplico, Sanctum nobis concedere velit, ut tanto facilius Schisma S.V. et Romanum Pontificem verum Pastorem totius Orbis re-

cognoscat, Unio confirmetur. Caeterum Fratres meos pauperes ad Ecclesiam SS. Sergii et Bacchi ab Em.mo Cardinali S. Onuphrii Nationi Ruthenae collatam commorantes, et utilissimam conversioni Schismaticorum erectionem Collegii expectantes, ac diversis negotiis Unionis Sanctae promovendae attendentes, benigna protectione et auxilio promovente complecti, mihi vero ac universae Russiae benedictionem Pastoralem et Apostolicam humillima cum submissione imploranti dignetur impertiri.

Vilna, 6 septembris, An. D. 1642.

S.D.N. Servus humillimus Antonius, Metropolita Kioviensis (mp.).

fol. 107v: Sanctissimo et Beatissimo Patri

Divina Providentia Urbano Papae VIII.

Domino et Pastori Clementissimo. Roma.

186.

Roma, 13 . IX . 1642.

Disputatio et decisio de martyrio deque necessitate miraculorum ad martyrium probandum.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, vol. I: 1592-1654, p. 686-7.

De martyrio.

Disputatum fuit in genere pro Causis martyrum quae solent in Sacra Congregatione examinari. Utrum pro declarando martyre a Sede Apostolica requirenda sint miracula, et aliquis scil. P. Lucas, P. Alcinius licet hic ambigue, Rev.mi Albicius, Phisilerius, Dunozet, et Homodeus fuerunt in voto, quod non sint requirenda ex eo quod martyrium ad instar Baptismi operatur in instanti remissionem peccatorum, et confert gratiam, et ex eo quod innumerabiles martyres colantur in Ecclesia de quorum miraculis non constat, nec Ecclesia de illis mentionem facit. Alii fuerunt in voto, quod requirantur, scil. Rev.mus Oregius, Sacrista, Magister S. Palatii, Episcopus Civitatis Plebis, Promotor fidei, si non constet de actu interno, et Ego, ex eo, quod ad consummandum martyrium requiratur voluntas probata patiendi pro fide vel iustitia, et permansio in charitate usque ad finem, quae veritas cum resideat in corde, cuius tantum Deus scrutator est, et pendeat ab actu interno finali, non potest probari, nisi per signum a Deo, quod est miraculum, sive mirabile, sed videbantur concordari istae opiniones ex supplicatione, quod nimirum, dato vero martyrio, miracula non sint necessaria, ad hoc vero,

ut in individuo hoc, et hoc martyrium probetur verum, miracula requirenda esse.

Die 13 septembris 1642.

187.

Roma, 13 . IX . 1642.

S. C. Rituum statuit, ut in causa martyrii Josaphat procedatur via tutiori, per miracula scilicet.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, vol. I: 1592-1654, p. 688.

Polocen.

Servi Dei Josaphat Archiepiscopi.

Proposito per Em.mum D. Card. Pamphilium: An stante discrepantia praedicta opinionum, quid agendum esset in causa S. Dei Josaphat Archiepiscopi Polocensis. An procedendum ad ulteriora non cognito de miraculis, an vero de miraculis cognoscendum?

Sacra Congregatio nihil in tam ardua quaestione declarare volens, transivit cum opinione tutiore et validiore, cum agatur de summa re, in qua Sedes Apostolica accuratissime procedere debet, et iuxta antiquam praxim unanimi consensu mandavit examinari miracula.

Die 13 septembris 1642.

188.

Romae, mense Septembri 1642.

Probatio miraculorum a Servo Dei Josaphat post mortem patratorum.

ARCHIVUM S. C. RITUUM, *Positiones*, nr. 270, fol. 105-110v; *Memoriali* (28 . VI . 1642). (Sectio historica).

POLOCEN: Facti et iuris super miraculis (f. 105)

Em.me et Rev.me Domine.

Licet ex hactenus deductis satis superque constare videatur de Martyrio et causa Martyrii Venerabilis Archiepiscopi Polocensis Josaphat Cuncevitij, ad uberiores tamen eiusdem martyrii probationem placuit Sacrae Congregationi, ut etiam de miraculis, quae Deus Opt. Max. ad illius intercessionem operari dignatus est ageretur.

Et quidem de miraculis in genere, quod scilicet ad invocationem illius quamplures ab infirmitatibus miraculose liberati fuerint, uno ore deponunt testes omnes examinati in novo processu remissoriali iuxta 23, et 24 interrogatorium, et super 19 articulo reddentes optimam rationem ex pluribus miraculis in specie et ex communi hominum reputatione, et publica voce et fama, quae sufficiunt ad probandam operationem miraculosam in genere, ad trad. per Castelli de Canoniz., q. e 7, § 5-o: opponitur, etc. et fuit dictum in relatione S.ti Isidori, titulo: de miraculis in genere et saepe in aliis.

Sed et in specie ex eodemque processu probantur quinque sequentia miracula, post dicti Venerabilis Archiepiscopi mortem ad illius intercessionem a Deo operata.

PRIMUM MIRACULUM.

Coecus per contactum cilicij Ven. Archiepiscopi illuminatur.

In primis ergo pro insigni miraculo illud proponitur quod contigit in persona Proconsulis Polocensis Petri Danchovicij, qui cum visu omnino destitutus esset et dum corpus Archiepiscopi ad Ecclesiam S. Sophiae transferretur iussit famulo suo, a quo caecus deducebatur, ut illum deduceret prope cilicium quod lapidibus plenum iam collo ipsius Archiepiscopi, tunc autem columnae Ecclesiae fuerat appensum, cui cum accessisset, et oculos tersisset se precibus Beati Josaphat enixe commendando, statim visum recuperavit, ita ut bene videret, et omnibus admirantibus nemine amplius illi ducatum praebente domum reversus est.

Factum ut supra narratum plene probatur tam ex depositione iurata ipsiusmet Petri, de qua in dicto processu remissoriali interpretato, fol. 105 a tergo, quam ex depositionibus quatuor testium, qui in eodemque processu fuerunt legitime examinati et deponunt de visu, asserentes se vidisse d. Petrum prius caecum et dum cilicio oculos abstergeret a caecitate liberatum, et ex his tres sunt sacerdotes religiosi, et unus Notarius, et dantur illorum depositiones per extensum, Summario n. 1-o.

Huiusmodi autem illuminationem miraculosam fuisse inde satis constat, quod nec solis naturae viribus coeco lumen restitui potest, nec in proposito facto ullum adhibitum fuit medicamentum nec solus cilicii aut lapidum contactus naturaliter potest a caecitate aliquem liberare. Quinimo hoc inter praecipua miracula Christus Dominus iussit S. Joanni Baptistae renunciari ab illius discipulis, Matthaei XI: Ite et renunciate (f. 106) Joanni quae vidistis et audistis, caeci vident etc. et tradunt communiter DD. in capitulo primo de Reliq. et Ven. Sanctorum Joan. Monach. Joan. Andr. et Gemin. in cap. primo de confess. in 6; S. Thom. prima parte, quaest. 105, art. 8 in corpore et saepius in causis Canonici-

sationum huiusmodi caecorum illuminationes ad contactum sepulchri aut reliquiarum fuerunt pro miraculis habitae et approbatae, ut in relationibus S. ti Caroli, S. Reginae Elisabeth et passim in aliis.

SECUNDUM MIRACULUM.

Sanatio mulieris attractae a 14 annis.

Mulier nomine Marina, quae pedibus attracta a 14 annis, ita ut nonnisi reptando ad instar vermis incedere posset, delata ad sepulchrum Venerabilis Archiepiscopi voto facto statim ita convaluit, ut absque ullo adiutorio ab Ecclesia suis pedibus recte incedendo domum redierit, et post aliquot dies nupserit.

Facti huius veritas concludentissime probatur ex depositionibus fere omnium testium, qui uno ore in novo processu remissoriali, iuxta 24 et super 19, illud tanquam celebre miraculum extollunt et de illo de visu in specie deponunt: primus iuxta 24 fol. 43,2-us fol. 59, quartus in processu interpretato fol. 2 a tergo, 5-us, super 19, fol. 27, in eodem processu, 7-us fol. 42, et 8-us fol. 55, Summario n. 2-o.

Nec dubitari potest quin hoc ad miraculum referri debeat, attenta diuturnitate et qualitate infirmitatis, et instantanea liberatione, statim ac votum fecit et sepulchrum appropinquavit quod etiam Christus Dominus noster inter admirabilia enumeravit Ioanni renuncianda: claudi ambulant etc., et videtur valde simile miraculo quod operatus est Princeps Apostolorum in persona illius claudi, qui quotidie ponebatur ad portam speciosam templi, et cuius bases et plantae statim, Beato Petro iubente, consolidatae fuerunt, ut habetur Actorum 3, tanto magis cum nullo artis adminiculo nec factum fuerit nec fieri potuit talis subitanea nervorum consolidatio.

TERTIUM MIRACULUM.

Alterius claudi sanatio.

Michael, Vicedux Polocensis, pedum usum ita amiserat, ut nonnisi fulchris innixus incedere possit; cum autem voto concepto sepulchrum Venerabilis Archiepiscopi visitasset statim convaluit, ibique fulchris relictis absque ullo adiutorio domum rediit, et postea semper bene ambulavit.

Hoc ita sibi contigisse deponit ipsemet Michael, qui est 3-us testis in novo processu remissoriali, iuxta 24, fol. 72, cui uti de facto proprio deponente, etsi alias unicus testis non probet, debetur plena fides iuxta doct. Castr. in 1. quicumque, C. de Serv. fugit. et aliorum, quos refert Gabr. de testibus concl. prima, n. 18 in tertia limit. Nam quidquid sit: An miracula sufficienter probentur per testes singulares, de quo late

Castellari de Canonizatione in 7-a questione (f. 107) princ., quando testis deponit de miraculo quod ipse in propria persona expertus est et est persona gravis, et fide digna, et concurrunt adminicula et constat de aliis miraculis ab illo, de cuius Canonizatione agitur, operatis, tunc illius depositio habetur pro sufficienti probatione etiam si sit unicus, per ea quae late tradit Farinac, de testibus quaestione 63, n. 221, et Caes. de Gross. decis. 3, n. 6-o, de probation., et optimis argumentis firmatum fuit per Cardin. Simonett. in Relatione S.ti Francisci de Paula, ubi pluribus exemplis demonstratur Sedem Apostolicam in causis Canonizationum facto ipso hanc sententiam approbasse, quam etiam sequuti sunt tres insignes tunc Rotae Auditores, Seraphinus, Blanchettus et Penia in Relatione S.ti Hiacinthi fol. inibi 52 et 53, et saepius fuit resolutum in aliis relationibus, et alios referunt moderni in tract. de Canonizatione, c. 15, n. 17-o.

In proposito autem qui deposuit de miraculo quod ipse in se fuit expertus persona gravis et dignitate conspicua, et ulterius de eodem miraculo deponit alter testis, nempe 5-us in processu interpretato, fol. 27, Summario n. 2-o, et costat de aliis duobus miraculis plenissime probatis, ut propterea hoc quoque ex supradictis sufficienter probatum censi debet.

QUARTUM MIRACULUM.

Paraliticus voto concepto sanatur.

Iisdem rationibus et fundamentis sustinetur probatio alterius miraculi, quod contigit in Persona Patris Gennadii Chmelnicki, Sacerdotis professi et Igumeni, seu Prioris Monasterii Novogroden. Ordinis S.ti Basilii, qui cum gravi morbo paralysis laboraret ita, ut tribus annis continuis pedes incedere non posset et quandoque extremos paroxysmos pateretur, quadam nocte, anno 1626, tanto dolore affectus, ut sibi vitae periculum subire videretur, precibus Venerabilis huius Archiepiscopi, voto concepto visitandi illius sepulchrum, se commendavit, et statim convaleuit, et mane absque ulla mora commodissime pedester sepulchrum visitavit et ibi Sacrum celebravit et postea semper visus est ab omnibus sanus et liber.

Ita sane deponit ipsemet Pater Gennadius in processu remissoriali iuxta 24, et super 19 et in processu interpretato, fol. 93, cuius depositioni iuxta deducta in praecedenti miraculo debetur plena fides, etiam si unicus sit, tanquam de facto proprio deponentis, cum sit Sacerdos et Religiosus et ulterius quoad votum, et invocationem Servi Dei concurrat difficultas probationis, dum asserit id factum fuisse media nocte, quo tempore verisimile est eum fuisse solum, nec habuisse testes aliquos

praesentes, qui de hoc testari potuerint, ad nor. per Doctor. in L. 1, §. fin. sc. de verb. oblig.; Gabr. de testib. concl. prima, n. 25; Farinac. dicta quaestione 63, n. 38, et in specie fuit ponderatum in Relatione S. Franciscæ Romanæ parte 3-a, miraculo 8-o, §. Quamvis unica, et in aliis (f. 108) congestis per modern. de Canonisatione cap. 18, n. 38. Similis autem liberatio a Paralysi pro miraculo habita fuit in Relatione B. Thomæ de Villanova impress. per dd. modernos post tract. de Canonizat. fol. 690.

QUINTUM MIRACULUM.

Liberatio a Podagra.

Nec videtur omittendum aliud miraculum, quod contigit in persona D. Filiannæ, Sororis Episcopi Vilmensis, quæ dum podagra laboraret et quam maximis doloribus cruciaretur, contactu reliquiarum Ven. Archiepiscopi statim convaluit, etc.

Factum enim ita successisse probatur per duos testes, videlicet 2-us super 19, in processu remissoriali, fol. 65 a tergo, et 4-us in eodem processu interpret. fol. 16, Summario n. 5. Quoniam uterque absolute tam de infirmitate quam de sanitate recuperata ad contactum reliquiarum deponit, et quamvis unus tantum videatur deponere de visu, ex quo tamen uterque deponit de publica voce et fama per verbum est, et fuit simul iuncti miraculum sufficienter probare videntur ad trad. per Doct. in cap. veniens in primo de appell. glos. in cap. primo, in verb. fama, et ibi Bald. n. 3; Abb. n. 8-o; Dec. n. 64, de appell. et fuit dictum in relatione S. ti Francisci de Paula, fol. mihi 45 et in Relatione S. ti Hiacinthi prope fin. versiculo: superioribus annis, et saepe in aliis.

Demum admirabilis et plane ad miraculum referenda videtur illa corporis integritas et pulchritudo aspectus cum colore rubicundo in labiis, et continua effusio sanguinis ab vulnere capitis a Schismaticis inflicto, quæ ab omnibus visa fuerunt nedum quando corpus e flumine fuit extractum, sed per plures dies quibus mansit publice expositum in Ecclesia S. ti Michaelis, imo et per aliquot menses, ut deponunt quamplures testes de visu super 14 articulo et in specie primus, fol. 49, 3-us fol. 76 a tergo, et 6-us super 14 in processu interpretato, fol. 65, cum aliis de quibus in Summario n. 6-o.

Et ulterius quod post quatuordecim annos a die obitus nempe de anno 1637 in visitatione corporis facta per Dominos Iudices remissoriales corpus, licet toto illo tempore humatum manserit in loco valde humido, inventum fuerit integrum, cute scilicet, et carne super ossibus adhuc extensa, et incorrupta tam in capite, tunc adhuc collo coniuncto, quam in manibus et pedibus, naso, et auribus testantur iidem Iudices in Rela-

tione suae visitationis in processu remissoriali, fol. 157, et seq. in Summario n. 6-o.

Cum enim corpus humanum post animae separationem non solum in poenam peccati iuxta illud: pulvis es, et in pulverem reverteris, verum etiam ex naturali sua complexione, tum ab intrinseco propter mixturam 4-uor elementorum et pugnantium qualitatum, quam ab extrinseco calido ambiente, humidum et calidum intrinsecum educente, sit prorsus defectibile et corruptibile nec ideo naturaliter fieri possit, ut cadaver hominis longo tempore tenetur incorruptum, merito huiusmodi corporum diuturna integritas post mortem ad miraculum referri consuevit, ut per Doct. in cap. primo de reliq. et vener. Sanct. fuit dictum in Relationibus S. Isidori, et S. Theresiae et S. Reginae Elisabeth et saepe in aliis.

Idque tanto magis in corpore huius Venerabilis Archiepiscopi miraculosum apparet, in quo tot circumstantiae, ex quibus iuxta naturalem corporum resolutionem citius et facilius corrumpi debuit, dum per sex dies demersum in profundo loco fluminis, postea publice expositum per plures menses mansit et demum in loco satis humido humatum, quae omnia etiam excludunt omnem suspicionem, quod arte aliqua vel aromatibus potuerit servari incorruptum et pernecesse concludunt tam ipsam corporis integritatem, quam aspectus eximiam pulchritudinem tribuendam esse soli Divinae Omnipotentiae, quae ad demonstrandam Servi sui sanctitatem non dedit illum videre corruptionem.

Concurrunt etiam signa coelestium luminum, quae apparuerunt tam super locum fluminis, ubi corpus demersum fuit et super corpus ipsum, prout deponunt omnes testes super 17 in novo processu remissoriali, ut Summario n. 7-o; et quamvis de his dubitari possit: An rite, et recte fuerint examinati, deservire tamen possunt pro adminiculis ita, ut concurrentibus quampluribus testibus rite examinatis, et bene deponentibus de publica voce et fama et concordi omnium opinione in loco Vitepsci, ubi Beatus Archiepiscopus occisus fuit, sufficiens probatio resultare videtur ad glos. in cap. primo in verbo: famam, et ibi Bald. n. 3-o, Abb. n. 8-o, de appel., et fuit ponderatum in Relatione S. Hiacinthy prope fin. vers.: superioribus annis.

Sane huiusmodi lumina apparuisse super fragmentis corporis S. ti Stanislai Episcopi Cracovien. et super corporibus aliorum martyrum, de quibus in martyrologio Romano die 3 Octobris, ut scil. ita iudicaret Deus ubi essent, et cuius meriti essent. Ideo etc.

Laurentius della Rosa, etc. (mp).

(fol. 110v): Sacrae Rituum Congregationi

Em.mo et Rev.mo D. Cardinali Pamphilio

Polocen : Pro Declaratione Martyrii Venerabilis Josaphat Cuncevitij Archiepiscopi Polocensis.

Facti et Juris super miraculis.

P. Alciati.

189.

Romae, mense Septembri 1642.

Summarium actorum in declaratione Martyrii Servi Dei Josaphat.

ARCH. S. C. RITUUM, *Positiones*, nr. 270, f. 81r; *Memoriali* (28 . VI . 1642).
(Sectio historica).

SUMMARIUM N.I. — POLOCEN. — Declarationis Martyrii.

(*Ex Proc. compul. interpretato*, f. 105, a tergo).³²

N. 1. — PETRUS DANCHOVIVS, PROCONSUL POLOCEN., VISU PRIVATUS, IN TRANSLATIONE CORPORIS MARTYRIS TACTU EIUS CILICIJ STATIM VISUM RECUPERAT.

Ego Petrus Danchovius, Consul Polocen., profiteor hac attestatione mea mihi optime fuisse notam sanctimoniam vitae Venerabilis in Deo Josaphat Cuncevitij, Archiepiscopi Polocen., etc. Dumque tempore quodam tantopere ex oculis laborassem ita, ut nequaquam homines ex facie dignoscerem, cumque iam huc Polociam occisum advexissent et in ripa fluminis exposuissent, iussi famulum meum ut me ad lithus deduceret; visu etenim omnino eram destitutus. Audiebam interim hisce auribus meis lamentationes lugubres sexus utriusque dicentium: Dolendum praefato supra Archiepiscopo interfecto, vir — inquiebant — fuit optimus et vitae piissimae, nulli occasionem dederat mali; conquerebantur itaque contra parricidas illos; cumque iam in processione Corpus eius deferebatur, mihi fuerat nuntiatum cilicium eius proprium, quo ipse in vita utebatur, repletum lapidibus deferri et ubi ad Ecclesiam Sanctae Sophiae Corpus eius deductum esset et lapides cum cilicio ad unam dextram partis Columnam depositi essent, iussi famulum meum me illi cilicio et lapidibus admoveri. Cumque aegre pertigissem, flexis genibus indignas persolvebam preces meas Domino Deo et recommendando me orationibus Sancti, armatus quoque scudo fidei et spei petii auxi-

³² Cfr. volumen II Documentorum, pag. 355.

lium et intercessionem suam, ut proprium visum recuperare et cum prima tangerem vice cilicium oculos abstergendo murmurabant sectarij sexus utriusque dicendo: Insanas, lapides adorando, nihil proderit tibi. Ego cum fiducia perseverando secunda et tertia vice abstersebam oculos. Interea subito oculi mihi aperti et iam homines recognoscere poteram, illi qui iam viderant me a nullo ductum ex Ecclesia exivisse; sequenti etiam die iterum vota reddebam mea et melius caeperam videre et legere. Pro quo beneficio et nunc Dominum Deum benedico referens eius sancto amori gratias, quod mihi pristinam restituerit sanitatem et hoc sub iuramento affirmo, etc.

(*Proc. remiss. primus*, fol. 43).³³

Primus testis: R. D. Gennadius, annorum 55 cit. qui etc.

Iuxta 24. Ego quidem scio plures personas in suis necessitatibus et infirmitatibus Servo Dei Josaphat se commendasse et eius intercessione plures gratias recepisse et plura miracula per Servum Dei operata fuisse, etc. Ita scio, et vidi hisce oculis meis spectabilem Petrum, Proconsulem Polocensem, insignem Catholicum Ritus latini, visu fuisse (ff. 82) privatum et voto ad catacumbas Servi Dei facto in translatione Corporis Vitepsco Polociam cilicioque eiusdem Martyris tacto visum recuperasse.

(*Dicto processu*, fol. 78).

2-us testis: R. Pater Stanislaus, Societatis Jesu, ann. 51 etc.

Super 19. Scio tamen de visu, quia Petrus, Proconsul Polocen., votum fecit ad Servum Dei visu iam plane destitutus et gratiam et usum oculorum accepit, vidi illum et cecutientem a pluribus annis et optime postmodum videntem, etc. Hanc ille gratiam coram omnibus et coram me ipso saepius publicabat se recepisse meritis et intercessione Servi Dei Josaphat.

5-us testis: D. Joannes, Notarius Polocen., annorum 53 citatus, qui juravit etc.

Juxta 24. respondit. Iam huc usum invaluisse animadverto et quotidie experior quod is solum ad S. Josaphat non accurrit in infirmitatibus suis et ille nullam gratiam experitur, qui vel infidelis est vel nihil in hoc mundo contrarii habet. Nos profecto foelices, quibus Dominus Deus talem defensorem et auxiliatorem in afflictionibus et necessitatibus nostris concedere dignatus est. Felices oculi nostri qui haec vident, quae Antecessores nostri nec videre digni erant. Meismet oculis vidi cum D. Petrus, Consul noster Polocensis, tantopere laborasset oculis,

³³ Testes, de quibus infra, inveniuntur in volumine II Documentorum, a pag. 215 usque ad pag. 330; cfr. etiam notam 25 et 26.

ut nihil prorsus videre posset; caecus itaque deductus fuit ad Ecclesiam Cathedralem Polocensem sub tempus conductionis Corporis Josaphat Vitepsco Polociam, et cum ob maximam multitudinem populi ad tumbam Sancti Martyris accedere non valeret, petiit ut ad cilicium Sancti Martyris deduceretur; adductus itaque absternit cilicio oculos, visum recuperavit et videns Domum rediit.

8-us testis: R. Pater Dorotheus Lecicovicius, annorum 43, citatus, qui iuravit etc...

Juxta 24: Vidi etiam D. Petrum, Consulem Polocensem, caecum qui tacto cilicio Josaphat eoque oculos abstergens visum recuperavit et optime videns mecum saepe loquebatur cum adhuc manerem Polociae, fungens officio Archidiaconatus, etc. Haec autem omnia adeo miracula reputare debemus, ut nobis videatur quod nullo naturaliter modo tales morbi curari potuissent, uti graves et inveterati, etc.

Idem deposuit in dicto Processu Interpretato 4-us super 19, fol. 15; 6-us juxta 24, fol. 32; 7-us iuxta 24, fol. 42.

N. 2. — MULIER, MARINA NOMINE, SPATIO 14 ANNORUM CONTRACTA SEPULCHRO MARTYRIS PRAESENTATA STATIM SANATUR ET RECTA INCEDIT.

Primus testis: R. D. Gennadius, Igumenus, annorum 55 etc.

Juxta 24: Scio et vidi Marinam nomine, Civem Polocensem, 14 continuis annis membris contractis in xenodochio (f. 83) Patrum Societatis Jesu Polocen. mansisse; voto ad sepulchrum Servi Dei concepto et raeptans idem visitando cum adiumento aliorum ita ex nunc convalescere, ut meis hisce oculis viderim illam per se subsistere et tandem post duas hebdomadas nupsisse, quod ego pro expresse reputo miraculo, et puto quod non potuit ex medicamentis adhibitis vel aliqua alia causa naturali processisse eo quod tales morbi inveterati nulli opi medicinali nisi soli operationi Divinae subiaceant.

2-us testis: R.P. Stanislaus, Societatis Jesu, annorum 51 etc.

Juxta 24: Ego scio plurimas personas in suis necessitatibus Servi Dei Josaphat opem implorasse eiusque intercessione plurimas gratias recepisse et a variis morbis liberatas fuisse. In particulari autem, me Rectore Polociae existente, fuit in xenodochio, quod nostrum Collegium alit et sustentat, quaedam ex pauperibus foemina, Marina nomine, per 14 annos prorsus omni usu pedum destituta, quae postquam ex voto facto ante sepulchrum Martyris Josaphat praesentata est subito ei usus perfectus pedum restitutus est adeo, ut quae aliorum adminiculo ac manibus ad sepulchrum adducta et asportata est, illa eadem absque ullius ope ac scipionis fulcimento propriis viribus ac pedibus de altissimo monte

descenderit et post aliquod tempus maritum duxerit et cum eo aliquot annis vivens perfecto et expedito gressu pedum usa fuit, quam sicut antea debilem et omni pedum usu destitutam ita postmodum perfecte sanam et expedite ambulantem *non ego solus, sed et tota civitas* et vicinia Polocen. propriis oculis notavit. Quod ego prorsus miraculum per Servum Dei Josaphat factum arbitror neque id potuit processisse ex medicamentis adhibitis vel alia causa naturali, propter defectum adeo tam gravem et quia inveteratus fuerat incurabilem.

4-us testis: D. Emanuel Cantacusenus, annorum 48, etc.

Juxta 24: Communiter fertur omnes incolas Palatinatus Polocen. in quibusvis suis necessitatibus et infirmitatibus ad S. Martyrem confugere et iuvamen experiri; pluribus mihi hic agendum esset, sed defatigatus prorsus desistere debeo. Hoc unicum praeterire non possum: cognovi foeminam quamdam in xenodochio Patrum Jesuitarum Polociae decumbentem usu manuum pedumque destitutam. Haec voto ad sepulchrum Sancti Martyris concepto et ope aliorum deportata convaluit propriisque viribus Domum rediit et postmodum maritum duxit.

5-us Testis: D. Joannes, Civis Polocensis, Notarius, annorum 53, etc. (f. 84).

(*Dicto Processu interpretato*, fol. 27, a tergo).

Super 19: Hisce oculis vidi foeminam pedum usu ac manuum destitutam ad instar vermis 14 annis per terram raepstantem, in xenodochio Patrum Jesuitarum Polocen. habitasse, quae emissio voto ad sepulchrum Servi Dei illucque delata exinde sanitatem recuperavit viribusque suis domum rediit et paulo post nupsit, etc. Haec omnia tum illi ipsi qui gratiam Dei experti sunt, tum nos qui haec vidimus ut vera miracula intercessionem Viri Dei contra cursum naturae facta esse firmiter asseruimus, nunc quoque idem asserimus ea esse vera et evidentia et de illis fuisse et esse publicas voces.

7-us testis: D. Joannes, Consul Polocensis, annorum 40, etc.

(*Proces. interpretato*, f. 42).

Juxta 24 respondit: Oratio Sancti Martyris certo ineffabiliter omnibus in miseriis et afflictionibus auxiliatur. Hisce ego oculis vidi foeminam integris 14 annis omnibus plene destitutam manuum pedumque viribus naturalibus manibus solum pedibusque reptantem, manebat illa hic Polociae in hospitali Patrum Societatis, quae cum impetrasset ab aliis foeminis se portari ad sepulchrum Viri Dei, quo portata inibi statim sic convaluit ut etiam propriis viribus ex ecclesia exierit maritalique vinculo paulo post se constrinxit; hoc autem tantum miraculum existimo, quod omnia medicamenta omniaque alia media humana nihili sint

si tam gravi et inveterato morbo oratio S. ti Martyris non praefuisset.

8-us testis: R. P. Dorotheus Lecicovicius, ann. 43 etc.

(*Proc. interpretato*, fol. 55).

Juxta 24: Verum post mortem qualia miracula fiant id iam non est meum eloqui. Hoc solum dicam. Vidi optimeque novi mulierem quamdam quatuordecim annis per terram vermis ad instar cuiusdam reptantem manuum prorsus pedumque usu destitutam; haec ubi votum ad sepulchrum S. Josaphat conceperat eo deportata illico sanitati est restituta maritumque duxit etc.

Idem deponit 6-us testis juxta 24, fol. 32, dicto processu interpretato.

N. 3. — MICHAEL, VICEDUX POLOCENSIS,³⁴ DEPERDITO PEDUM USU FULCHRIS INNIXUS INCEDEBAT, VOTO CONCEPTO SEPULCHRUM VEN. JOSAPHAT VISITAVIT, STATIM CONVALUIT ET RELICTIS FULCHRIS SANUS ABSQUE ULLO ADIUTORIO DOMUM REDIIT.

(*Proc. remiss.*, fol. 72).

3-us testis: Michael, Vicedux Palatinus, annorum 54, etc.

Juxta 24: Scio de quotidiana apud nos experientia et de mea propria quia in nostris necessitatibus praedicto martyri nos omnes Catholici passim commendamus et eius intercessione gratias ab ipso accipimus et per Servum Dei miracula operata agnoscimus. Ego etiam ipse extremo podagrae (f. 85) laborans morbo, duobus baculis innixus vix sepulchrum Servi Dei convenire potui, ubi me Servo Dei commendans baculis in ecclesia abiectis sanus domum rediit, etc.

5-us testis: D. Joannes, Notarius Polocensis, ann. 53 etc.

(*Processu remissoriali interpretato*, fol. 27).

Super 19: Ill. mus D. Michael, Vicedux Polocensis, ob podagram deperdito pedum usu adeo, ut fulchris baculorum innixus difficile incedere poterat: hic ex voto ut sepulchrum visitavit exinde domum sanus suismet viribus, fulchris apud sepulchrum abiectis rediit, etc.

N. 4. — PARALITICUS VOTO CONCEPTO SANATUR.

(*Proc. remissor.*, f. 43, a tergo).

Primus testis: R. D. Gennadius, annorum 55, citatus etc.

Juxta 24: Denique lachrymis meis testor gratitudinem meam erga S. Servum Dei me ipsum morbo paraliseos extremo conflictatum aliquo-

³⁴ Revera agitur non de viceduce sed de *vice iudice* Polocensi Michaële Tyszkiewicz; cfr. eius depositiones in vol. I, in pag. 124, testis 9, et in vol. II, pag. 246-257.

ties paroxismos gravissimos patientem Servus Dei voto ad se concepto liberavit. Quod depono et iuro tamquam ille, qui alias pedibus destitutus nunc meritis Servi Dei et valeo et ambulo et hoc pro veritate depono.

(*Ib.* fol. 47).

Et super 19: Ab aliis vero nihil aliud auditur, nisi quod vel febribus vel podagrae vel paralisi aliisque morbis graviter laborantes varii homines et boni catholici Servi Dei gratiam Dei et sanitatem consequantur.

(*Extractum ex libris Praetorii civitatis Polocensis, Proc. interpretato compuls., f. 93*).

1627, 13 septembris. Ven. Pater Gennadius, Igumenus Polocensis, praesentavit scriptum coram probis Iudicibus tale. Ego Gennadius etc. fateor quod cum essem paralisis morbo affectus anno 1626 etc. tanto fui affectus dolore, ut ultimam fere in ipso pertulerim afflictionem vitaeque periculum subire videbar. In quo dolore meo supranominato, sub mediam noctem commendavi me precibus S.ti Martyris Josaphat et concepi votum ad sepulchrum ipsius taliter mecum colloquens: quod si habuero aliquod levamen et videro me aptum adibo pedes Sepulchrum S.ti Martyris et Sacrum ad Sepulchrum ipsius dicam; post tale meum votum subito obdormivi; expergefactus autem adeo notabile sensi levamen, ut absque ulla mora commodissime ad Sepulchrum Sancti Martyris me contulerim, etc. Et hoc totum gratiae divinae per intercessionem S.ti Martyris Josaphat ascribo.

N. 5. — SOROR EPISCOPI VILNENSIS DUM PODAGRA GRAVITER LABORARET ET QUAM MAXIMIS DOLORIBUS CRUCIARETUR CONTACTU RELIQUIARUM STATIM SANATA FUIT.

(*Proc. remiss., fol. 58, a tergo*).

2-us testis: R. P. Stanislaus, Soc. Jesu, annorum 51, etc.

Juxta 23: Nemini etiam dum essem praesens Vilnae pia me. Ill.mum et Rev.mum Episcopum Vilnensem Eustachium eiusdem de Sanctitate et martyrio Servi Dei Josaphat opinionis fuisse ac sorori suae germanae Filiannae, Gubernatoris Loxensis uxori, persuasisse, ut in morbo suo certo eius auxilium imploraret commendasse, suppeditato ei frustolo telae sanguine Servi Dei imbutae, ut invocata eius ope parti corporis affectae applicaret, quod ut fecit a gravi et diuturno morbo podagrae sanata fuit. Haec autem omnia scio ut oculatus et auritus omnium quae dixi testis.

(*Dicto Processu, fol. 65, a tergo*).

Super 19 dixit: Germanam sororem piaie me. Ill.mi et Rev.mi Eustachij Volovicz Vilnen. vidi podagrae dolore extreme vexatam; voto ad Servum Dei concepto et reliquiis eiusdem collo appensis convaluisse et in memoriam martyris purpura se vestivisse ex hominibus sine exceptione fidedignis accepi.

4-us testis: D. Emanuel Cantacusenens, annorum 48, etc.

(*Proc. remiss. interpretato.*, fol. 15).

Super 19: Scio quia quotidie audio quod quilibet ex incolis huius loci in omnibus suis necessitatibus et angustiis ad S. Martyrem confugiant et maxima beneficia a Domino Deo ipsius intercessione recipiant et multa miracula propter illum Deus Optimus Maximus operatur. Ill.ma Domina Filianna Volovicia, germana piaie me. Ill.mi D. Eustachii Volovicij Episcopi Vilnensis, podagra graviter oppressa applicuit reliquias B. Josaphat ad partem maximis doloribus infertam, exinde sanata est, etc. Hanc Dominam optime noveram, etc. et haec beneficia Dei tam illi, qui in se experti sunt, quam alii, quibus illa nota fuerant tenuerunt omnes et modo tenent pro veris miraculis per S. Martyrem Josaphat operatis et sunt vera, publica et notoria et de illis omnibus fuit et est vera vox, etc.

N. 6. — DE INTEGRITATE CORPORIS VEN. JOSAPHAT ILLIUSQUE VIVIDO AC PULCHERRIMO ASPECTU, QUAMVIS A SCHISMATICIS MULTIS MODIS DEFORMATUM FUISSET.

(*Proces. remiss.*, fol. 48, a tergo).

Primus Testis: R. D. Gennadius, Igumenus Novogroden., annorum 55, etc.

Super 14 dixit: Ego veni Polocia Vitepscum, ad deferendum corpus Servi Dei Polociam, 15 diebus post felicem martyrium et inveni corpus in Ecclesia Arcis Vitepscensis, S.ti Michaelis dicta, iam collocatum postquam ex aquis extractum fuisset. Corpus vero visu pulcherrimum fuerat (f. 87) immo pulchrius longe quam quando vixerat apparebat, etc.

Omnibus per aliquot menses ad videndum publice exposuimus donec tandem gloriosae sepulturae mandaretur per Ill.mum D. Archiepiscopum Polocensem modernum; toto autem tempore illo, quo expositum fuerat corpus, nulla mutatio neque corruptio in eodem apparebat. Ita depono, quia scio, quia vidi et actu omnibus fui praesens, etc.

3-us testis: Ill.ris D. Michael, Vicedux Palatinus Polocensis, annorum 54, etc.

(*Proc. remiss.*, fol. 72).

Juxta 18: Vidi his oculis meis corpus iam Polociam advectum et populo ad videndum expositum et adverti pulcherrimam oris et totius faciei compositionem, acsi viveret, quia immo longe pulchrior mihi et

aliis visus tunc est Josaphat, quam dum viveret; praeterquam ictus fustis livorem fronti et naso superinduxisset. Tum etiam vidi sanguinem ex vulnere capitis profluentem, quod dissectum fuerat; vidi etiam hieme februarii 15, anno 1624, cum magna frigora dominantur, ex eodem vulnere sanguinem manasse. Neque unquam quisquis de morte et martyrio Servi Dei Josaphat dubitavit.

(fol. 76, a tergo).

Et super articulo 12: Vidi eundem mortuum quem novi vivum. Indubitatis cognovi signis sanguinem ex vulnere profluentem; vidi livorem vultus, notavi pulchriorem fuisse post mortem quam fuerit in vita, admiratus sum cum pluribus aliis oculatis testibus, quippe cum aliquot post mortem mensibus absque ulla corruptione permanserit, etc.

5-us testis: D. Joannes Diahilevicius, annorum 53, etc.

(*Proc. interpret.*, fol. 19, a tergo).

Juxta 18: Ego non fui Vitepsci anno 1623, Novembris 12, quando fuit occisus Vir Dei, sed post mortem duabus fere septimanis veni cum pluribus incolis Polocen. pro recuperando Viri Dei corpore, ubi in Ecclesia S. Michaelis in Arce sita sine tumba iacente, vestitum pontificalibus, cum reperimus oculisque meis vidi et mecum magistratus castrensis civitatis Polocensis vultum Josaphat quasi angelicum, iucundiorum et graviorum quam dum viveret (licet semper gratus et iucundus fuerat), non aliter ac si ex corde eius emicaret gaudium ob martyrii coronam susceptam, etc.

(*Dicto processu*, fol. 40).

7-us testis: D. Joannes Chodika, Consul Polocensis, annorum 40, etc.

Juxta 18: Non fui praesens Vitepsci dum occisus esset Beatus Josaphat. Ego tamen primus ex Polocensibus vidi corpus Martyris Dei etc. Feria 5-a ex Comm.ne Arcensi proclamabatur per plateas centum florenos accepturum quicumque Corpus Josaphat in aqua inveniret. Mox prorumperent piscatores ad querendum, prout etiam invenerunt; naraverunt autem in tali profunditate ab homicidis fuisse submersum, ut fere 20 cubitorum profunditas excederet. Feria sexta mane quasi circa octavam ante meridiem significatum est corpus fuisse inventum; exivi sine mora e civitate versus Dunam, quasi ad quartam partem leucae, ubi inveni duas cimbas ad lithus stantes, martyrem autem adhuc in aqua iacentem, pedibus versus lithus, collo fune alligatum cilicium eius lapidibus impletum, pedi autem uno (non bene recordor dextero ne an sinistro) lapis maximus modo eodem fune alligatus. In cimba una erat tapex et pulvinus ex una parte panno viridi et altera semiserico scutulato nigro obtectus, etc.

Vidi inquam quod habuerit vulnus maximum in capite, sine dubio securi falcata inflictum, ex quo sanguis profluebat; facies eius tam pulchra fuit, ut nunquam pulchrior dum viveret. Ipse enim subniger erat et graecae complexionis a nativitate; eo autem tempore albus fuit; labia ipsius erant rubicunda, non aliter ac corallum, oculi clausi ac si aliquis eos ex professo ocllusisset. In illis locis, ubi baculorum ictus impressi erant, nihil livoris sed solummodo rubedo comparebat. Caput non fuit abscissum, nam sicuti dixi lapides collo alligati erant. Haec visio oculata S. Pastoris hunc effectum in me indigno produxit, quod subito talem trucidationem deploraverim et Schisma abiecerim atque post reditum meum Polociam, una septimana post hanc visionem, confessus sum et sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum sumpsi in Ecclesia Cathedrali S. Sophiae; nunc quoque gratia Dei vita mea paratus sum Unionem Sanctam obsigillare, salutem autem meam innocenti sanguini Sancti Josaphat adscribo.

(*Proc. interpretato*, fol. 36).

6-us testis: D. Dorotheus, Proconsul Polocensis, annorum 48, etc.

Super 14-o: Quod corpus Sanctum universo populo in Ecclesia expositum aliquot mensium spatio ad videndum concessum, donec Ill.mus D. Archiepiscopus Polocensis modernus venisset ad sepulturam tam nobilem, quae fuit anno 1624, in Januario, id est post martyrium ultra duos menses (licet postea quoque unicuique licitum fuit illum videre). Hoc itaque toto tempore incorruptum fuisse corpus nec vultum immutatum, omnes non aliter ac Angelum Dei intuebantur.

(*Ex visitatione corporis facta per iudices, Proc. remiss.*, f. 158).³⁵

Funiculis itaque sigillorum ruptis ad aperiendam tumbam ventum est, qua aperta et tumba intus serico vestita inventa et toto corpore cum timore exvestito, propter maiorem fidem, invenimus corpus Servi Dei vestitum habitu episcopali, qui tamen habitus totus ferme in pulveres abiit vel in minutas particulas propter (f. 89) corruptionem loci humidioris, in quo Ecclesia Cathedralis Polocensis S.tae Sophiae sita est. Proinde ex necessitate, iudicio Ill.morum et Rev.morum DD. Judicum, ita visum est, ut vestes putridae abijcerentur et novae imponerentur, nihil addendo, quod posset quempiam offendere vel novum cultum inducere, sed dumtaxat decentiae tanti Martyris providendo. Idque sine omni tumultu et concursu populi. Invenimus itaque corpus benedictum ita compositum: capiti superimposita fuit Mitra episcopalis ex serico rubro simpliciter confecta, qua remota inventi sunt omnes capilli capitis cecidisse et in pulveres abiisse, ita tamen ut caput ipsum cute et carni-

³⁵ Cfr. in vol. II, pag. 331-335.

bus fuerit vestitum, quod tactu manuum Ill.morum DD. Judicum est probatum. Caput cervicali sericio rubro superiacens collo connexum visum est. In capite vulnus visum est laetale, in fronte ictus notatus, in facie et in naso signa vulnerum. Nasus tamen et aures integerrimae, barba cute dumtaxat et carne vestita, sed sine pilis; ad sinistram manum plurimae inventae sunt cartulae, in quibus nomina illorum continebantur, qui sub tempus inquisitionis apostolicae primae Servum Dei in patronum sibi scriptis literis eligebant, etc.

N. 7. — SUPER CORPUS INTERFECTI MARTYRIS ET SUPER FLUMEN, UBI FUIT DEMERSUM, LUMEN DE CAELO DESCENDIT, OCULOS AUSPICIENTIUM PERSTRINGENS.

(*Proc. Urbis*, fol. X et XI).

Primus testis Romae examinatus: Ill.mus D. Lancellottus, Nuntius Poloniae Apostolicus, etc.

Juxta 14: E del corpo fui avvisato che fu trovato nel fiume suddetto, sopra il quale si vedeva una face accesa.

Et super 12: Io so come ho detto che doppo che fu ammazzato il sudetto Giosafat, Arcivescovo Polocense, fu buttato il suo corpo nel fiume dove fu vista una luce, ma io non mi ricordo il giorno et di questa luce apparsa lo so per la notitia che ne ho havuta da molti et in particolare da Padri Giesuiti et dal sudetto Metropolita.

(*Proc. remiss. interpret.*, fol. 37).

Idem deposuit 2-us testis, Romae, juxta 14, fol. 14, a tergo.

6-us testis: D. Dorotheus, Proconsul Polocensis, annorum 48, etc.

Super 17: Omnium itaque constans vox fuit lumina visa tam super corpus iam occisi quam super locum fluminis Duna, ubi fuerat demersus etc.

7-us testis: D. Joannes, Consul Polocensis, annorum 40, etc.

Super 17: Hoc etiam audivi ut publicum, visam fuisse lucem supra fluvium et corpus quod ego non aliter factum puto, quoniam in tanta profunditate submersus Josaphat, quanta fortasse in toto Duna maior non reperiretur, difficillimum fuit absque speciali revelatione Dei invenire, etc. (f. 90).

(*Proc. interpret.*, fol. 61, a tergo).

8-us testis: R. P. Dorotheus, annorum 43, etc.

Super 17: D. Theodora, uxor Proconsulis Vitepsensis, optimae fidei, virtutis, zeli unionis foemina dixit se vidisse lumen de coelo supra corpus S. Josaphat dum extractus post occissionem ex aula Archiepiscopali in caemeterio iaceret. Item visum fuisse lumen de fluvio Duna ex illo loco in quo submersus erat Josaphat.

Idem deponunt in processu Remissoriali primus Testis, super 17, fol. 50; 2-us super 17, fol. 64 a tergo; 3-us super 17, fol. 77, et in processu interpretato 4-us, juxta 22, fol. 7 a tergo, et super 17, fol. 14 a tergo, et 5-us super 17, fol. 26 a tergo.

(*Primo processu remiss.*, fol. 75).³⁶

91 testis etc. sed et aliud etc. quadam vice dixit mihi se lumen quoddam subinde videre aliquot noctibus super locum fluvii, in quo corpus Servi Dei submersum fuerat. Cumque non adeo Schismatico crederem, ipse quadam nocte egressus ad dictum lumen videndum et ecce hisce oculis meis aliquoties flammam quandam e flumine progredientem notavi, accidit vere hoc ipsum iam corpore ex aquis extracto, etc.

(*Dicto Processu*, fol. 76).

93 testis etc. et ecce lumen ingens de coelo lapsum supra corpus Servi Dei descendebat dumque ipsi appropinquaret corpori in modum plenae contractum est lunae et supra ipsum constitit caput, tantaque oculos meos perstrinxit luce, ut amplius spectare non possem.

(*Dicto Processu*, fol. 77, a tergo).

95 testis etc. In particulari testatus est se dum Servi Dei corpus extra Curiam extractum iaceret vidisse columnas lucidas directam faciem illius insistentem etc.

(ff. 90v). Sac. Rituum Congregationi

Em.mo et Rev.mo D. Cardinali Pamphilio. — POLOCEN :
Pro Declaratione Martyrii Ven. Josaphat Cuncevitij, Archiepiscopi Polocen.

Summarium miraculorum.

190.

Romae, mense Septembri 1642.

Sententia Promotors Fidei de miraculis Servi Dei Josaphat.

ARCHIVUM S. C. RITUUM, *Positiones*, nr. 270, fol. 1-4v. (Sectio historica).

POLOCEN. Beatificationis, et Canonizationis Ven. Josaphat, Archiepiscopi Polocen. (f. 1).

Em.me Domine.

Cum fuerit demandatum, ut viderim, an Archiepiscopus Josaphat

³⁶ Cfr. vol. I Documentorum, pag. 202-205.

fecerit aliqua miracula, et quae ego pro munere mihi iniuncto ex septem descriptis in Summario dato per Agentes super declaratione Martyrii quatuor selegi, quae videantur probata, nam testes alia solum deponunt de auditu.

PRIMUM.

Petrus Danchovius, Proconsul Polocen., visu privatus in translatione Corporis Archiepiscopi tactu eius cilicii statim visum recuperat.

Ita cum iuramento deposuit idemmet Petrus in *Proc. Compuls. interpretato fol. 105, a tergo*; in dicta translatione post multas preces, et invocatum auxilium et intercessionem dicti Servi Dei sibi contigisse, et praeter alios affirmant duo testes de visu: Primus *Proc. Remissoriali, fol. 43, iuxta 24, et secundus super 10, fol. 78.*

Quod enim caecorum illuminatio sit prorsus miraculosa, utpote vires naturae excedens, scribunt D. Thomas in *Summa, par. I. q.-e 105, art. 8, in corpore, vers. 2-o*, et Canonistae communiter in *c.I. de relig. et Vener. Sanctorum* et firmatum fuit in *relationibus S. Caroli, Reginae Elisabeth, et P.ris Felicis de Cantalicia*. Imo inter miracula secundi gradus recensetur post alios a Mascard *de prob. 1064. n. 3* et de simili illuminatione per contactum sepulchri, quod sit maxime admiranda tanquam facta per dictum contactum, qui est modo excellentior modus operandi miracula, communicatus primo humanitati D.N. Jesu Christi, et postea Sanctis suis post Divos Gregorium, et Thomam dixit Rota in *relatione B. Gregorii X, miraculo undecimo. (1v).*

SECUNDUM.

Mulier nomine Marina spatio quatuordecim annorum contracta, sepulchro Archiepiscopi praesentata, statim voto facto sanatur, et recta incedit.

De hac infirma ita subitanee sanata prae caeteris deponunt tres testes de visu. Primus, *iuxta 24, in processu remissoriali, fol. 43*; 2-us, *iuxta 24, ibid. fol. 59, et 5-us in processu remissoriali interpretato, fol. 27, a tergo, super 19.*

Et quod sanatio tribuenda sit miraculo patet ea ratione adducta ab iisdem testibus, quia similes morbi adeo inveterati nequeunt tolli medicamentis humanis, sed sola operatione Divina, maxime in instanti, docentque et medici Capivac. in *prax. lib. I. cap. 25*, et Tornel. *de Part. Morb. et Symptom. lib. 5. cap. 3 v. convulsio*, dum inquirunt attractionem membrorum nec facile nec confestim adhibitis etiam medicamentis excedat, utique est referenda ad miraculum operatum intercessionem dicti Archiepiscopi ad cuius sepulchrum mulier votum fecit, seque commendavit; quemadmodum similes sanationes attractorum recensentur pro

miraculosis in dicto Petro Apostolorum Principe, *Actuum Apost. c. 3*, et per Abdiam Babilon., in *Histor. Apost. lib. I, in principio* ac in Joanne Apostolo, et Evangelista apud Prochor. in *illius vita c. 6*, in divo Martino Turonensi Antistite apud Gregorium, ipsius successorem, de *gloria Confessorum c. 12*, in viro Dei Joanne per Pallad. in *Hist. Patrum, sect. 56*, et in Abbate Juliano per Theodoretum in *sua Religio. Historia, sect. 2, versus finem, in relatione Fratris Petri Regalati per Rotam Mirac. 5. post mortem. (f. 2r)*.

TERTIUM.

Michael, Vicedux Polocen., deperdito pedum usu, fulchris innixus incedebat; Voto completo Sepulchrum Ven. Josaphat visitavit, et statim convaluit ibique fulchris relictis sanus absque ullo adiutorio domum rediit.

Hoc in sui propria persona contigisse deponit idem Michael, qui est 3-us testis in *Proc. Remissoriali, fol. 72, iuxta 24*, et cum eo concordat 5-us in *Proc. remissor. interpretato, fol. 27*. Tametsi etiam solum testimonium asserentium fuerit saepissime admissum in probatione miraculi secuti in eorum persona propria, ut in *Relatione Francisci de Paula, pag. 44, S. Jacynthi, ad fin., S. Raymundi, art. 8, S. Franciscae Romanae, mirac. 8, S. Theresiae, art. 3, S. Caroli, mirac. 18, in praedicta relatione S. Ignatii, mirac. 2, et S. Francisci Xaverii, mirac. 9*.

QUARTUM.

Paraliticus voto concepto sanatur.

De hac subitanea sanatione in persona propria, mediante voto facto in media nocte de adeundo sepulchrum Servi Dei, et ibidem Sacrum celebrandi, deponit R. Pater Gennadius, Igumenus Polocen., qui est dictus p.us testis *iuxta 24 in processu remissoriali, fol. 43, a t. et in processu compulsoriali interpretato, fol. 93*. Pro miraculosa enim habenda est talis sanatio, qualem ipse testis reputavit ob gravitatem, et qualitatem morbi, a quo et sine medicamentis, ac in instanti liberatus fuit. Et quia contigit in persona (f. 2v) propria media nocte, statim voto concepto, et sic intra proprium cubiculum, tempore, quo alii testes non poterant verisimiliter videre, deque illo testatur persona qualificata et sacerdos, videtur posse tale miraculum sola eius attestatione probari.

Quibus miraculis accedit signum valde admirandum, quod etiam miraculosum dici potest, nempe quod corpus dicti Archiepiscopi et praecipue vultus, postquam a Schismaticis diversimode deformatum fuit, et per duas hebdomadas stetit submersum in flumine, inde extractum pulcherrimo ac vivido aspectu visum est. Ita deponunt de visu 4-us testis, scil. primus, *super 14, proc. remissor., fol. 48 a tergo; 3-us iuxta 18,*

fol. 72, et super 12, fol. 76 a tergo; 5-us iuxta 18 proc. interpret., fol. 19 a tergo, et 7-us, iuxta 18, fol. 40 et 41. Imo primus et 5-us in dictis locis addunt, idem corpus post extractionem permansisse per aliquot menses publice in Ecclesia expositum, et toto illo tempore nullam mutationem neque corruptionem in eo apparuisse. Nam cum hominis cadaver post separationem animae naturaliter induat corruptionem, corpus autem dicti Archiepiscopi etiam post longam demersionem sub aquis per tot menses fuerit praeservatum a corruptione etc. hoc videtur adscribendum admirabili operationi Divinae Providentiae, quae praelucet in servis suis, iuxta illud: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, ut ponderat Bozzi, *de signis Ecclesiae*, lib. 15, sig. 63, c. 7, ubi de innumeris Sanctis id scribit et hoc miraculo adscriptum fuit in *Relatione Fratris Petri Regalati*, mirac. 25, post mortem, etc.

(f. 4v) SACRAE RITUUM CONGREGATIONI, sive Em.mo et Rev.mo
Domino Cardinali PAMPHILIO
POLOCEN. - Beatificationis et Canonizationis Ven. Josaphat,
Archiepiscopi Polocen.
Pro Sanctae Fidei Promotore
Super miraculis intercessione huius Servi Dei operatis.
(Additum postea: Ex Bibliotheca D. Petri Francisci de Rubeis).

191.

Romae, 1642.

Obiectiones contra miracula a Servo Dei Josaphat patrata.

ARCHIVUM S. C. RITUUM, *Positiones* (1642).

Oppositiones adversus miracula Servi Dei Josaphat Archiepiscopi Polocen.
Em.me Domine.

Quoad primum miraculum animadverto in primis quod Petrus Proconsul Polocen. non fuit coecus et visu omnino destitutus, ut supponitur, sed a quodam tempore citra oculis laboraverat. Ipse enim in sua relatione inquit, Summ. n. 1: Dumque tempore quodam tantopere ex oculis laborassem, ita ut nequaquam homines ex facie dignoscerem, cui in hoc magis standum videtur, quam testibus dicentibus simpliciter fuisse caecum; praesertim quia cum eius dicto concordat 2-us super 19, ibi: vidi illum et caecutientem a pluribus annis. Nam caecutire est parum videre. 2-o, quod non recepit gratiam illico, sed per temporum intervalla. Nam prima die inquit, post 3-am oculorum abstersionem cum

cilicio Servi Dei oculos sibi apertos fuisse, ut etiam homines recognosceret, sequenti vero iteratis votis melius coepisset videre et legere. 3-o, quod praeter solum Proconsulem nullus deponit ex certa scientia de visu, quando Deus illi visum restituit, sed alii solum testantur eum prius vidisse oculis laborantem, deinde videntem.

Quoad secundum, primus tantum recenset operationem miraculosam de visu. Nam ceteri minime asservant illi praesentes fuisse.

Quoad tertium, pondero alterum testem nempe 5 non reddere rationem suae scientiae nec deponere de visu.

Quoad quartum, videtur considerandum de huiusmodi gratia solum deponere P. Gennadium, qui licet sit testis de gratia ab ipso recepta, nihilominus est unicus, adeo ut obstat regula, quod dictum unius est dictum nullius.

Quoad quintum, pondero quod alter testis est de simplici auditu, qui propterea nihil probat. Nam dicit: scio quia quotidie audio.

Quo vero ad pulchritudinem et incorruptionem corporis dicti Servi Dei, non videtur concludenter probata; imo, adest contradictio inter tertium testem iuxta 18, ibi: Praeterquam ictus fustis livorem fronti et naso superinduxit, et 7-um, iuxta 18, fol. 40: In illis locis, ubi baculorum ictus impressi erant nihil livoris, sed tantummodo rubedo comparebat; quare unus de livore affirmat, alter negat.

Demum quoad lumen testes solum deponunt de auditu. Ex quibus liquet nullum miraculum esse concludenter probatum.

Sacrae Rituum Congregationi sive Em.mo e Rev.mo D. Cardinali Pamphilio.

Pro Sanctae Fidei Promotore: Oppositiones adversus miracula Servi Dei Josaphat Archiepiscopi Polocen.

192.

Varsavia, 3 . X . 1642.

De beatificatione Josaphat Kuncewycz, Martyris.

BIBL. VAT., *Vat. lat.*, vol. 8472, fol. 425v (reg.).

WELKYJ A. G., *Litterae Nuntiorum Apostolicorum*, vol. VI, p. 150, nr. 2682.

Al Sig. Cardinale Sacchetto, per la Congregazione de Riti.³⁷

Non s'ha qui notizia alcuna della scrittura che Vostra Eminenza con lettera de 9 d'Agosto, ricevuta al primo stante, accenna divulgarsi

³⁷ Agitur de litteris Nuntii Apostolici Marii Filonardi (1635-1643).

da alcuni con che la Sacra Congregatione de Riti habbi dichiarato martire la pia me. di Giosafat, Arcivescovo già Polocense, il che pend'ancora indeciso. In caso che capiti qui detta scrittura, ò se n'habbi notitia in altro modo, farò saperle la novità in maniera, che non rest'alcun'ingannato, nè si dia loc'ad abusi, et occorrendo cos'alcuna, nè darò conto a Vostra Eminenza, alla quale et caetera.

(Varsavia, 3 Ottobre 1642.)

193.

Romae, XI . 1642.

Pro declaratione martyrii.

ARCH. S. C. RITUUM, *Positiones*, nr. 270, f. 79r; *Memoriali* (28 . VI . 1642).
(Sectio historica).

POLOCEN. Declarationis Martyrii.

Em.me et Rev.me Domine.

Dignetur ex solita benignitate in praedicta proxima Congregatione Sacrorum Rituum, quae erit die Sabbati 22 praesentis mensis Novembris, reassumere informationes una cum Summario miraculorum in causa Venerabilis Martyris Josaphat Cuncevitij, Archiepiscopi Polocen., iam datas de mense Septembris proxime elapsi et capere favorem resolutionem, prout speratur ex deductis in informatione.

Quod refertur in gratiam...

(f. 80): Sacrae Rituum Congregationi. Em.mo et Rev.mo D. Cardinali Pamphilio. — Polocen.

Pro Declaratione Martyrii Venerabilis Josaphat Cuncevitij, Archiepiscopi Polocen. — Memoriale.

nota infra: P. Terentio Alciati.

* * *

Copia. — Originale est in manibus Rev.mi Paulutii, Secretarii Sacrae Rituum Congregationis sive

Em.mo et Rev.mo D. Cardinali Pamphilio proponente.

Polocen. declarationis martyrii Venerabilis Josaphat Cuncevitij, Archiepiscopi Polocensis.

Intimetur Ill.mo et Rev.mo D. Petro Francisco de Rubeis, Advocato consistoriali ac Promotori fidei, a S.D.N. Papa specialiter deputato, qualiter die Sabatho 22 praesentis mensis Novembris 1642 in Congre-

gatione Sacrorum Rituum,³⁸ quae erit in palatio Em.mi Cardinalis Sabelli, hora 20 cum dimidia, dictus Em.mus D. Cardinalis Pamphilius proponet huiusmodi causam ad effectum declarationis martyrii cum concessione officii et missae propriae; miracula contenta in summario et informatione de mense Septembri propraeteriti datis. Ideo intimetur auditori ad effectum reassumendi dictas disputationes et intercessionem in dicta Sacra Congregatione Rituum videndi desuper quodcumque Decretum necessarium et opportunum fieri et interponi pro dicta concessione. Instante R. P. Philippo Borovio Monaco Rutheno Ordinis S. Basilii praesenti procuratore huiusmodi... D. Marius Notarius.

Ex officio nihil aliud sibi opponendum occurrere ultra iam opposita. Et nihil fieri nisi servatis Decretis Sacrae Congregationis et aliis de iure servandis. Ideoque alios etc. omni... hac die 20 Novembris 1642.

Petrus Franciscus de Rubeis, Promotor fidei (mp.).

194.

Roma, 27 . XI . 1642.

S. C. Rituum declarat constare de miraculis sufficienter probatis, nempe in persona Petri Danchovii, Marinae feminae, Viceducis Polocensis Michaelis, et P. Gennadii, Monachi Basiliani.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, vol. I: 1592-1654, p. 689.

Polocen.

Servi Dei Josaphat, Archiepiscopi.

Proposita sunt per Em.mum D. Card. Pamphilium quinque miracula Servi Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, a S. Congregatione, in praecedenti discussione, a supradicta requisita ad maturius procedendum in expeditione causae declarationis martyrii eiusdem.

Et S. Congregatio censuit constare de miraculis, et sufficienter probari. Primum: in personam Petri Danchovii, Consulis Polocensis, illuminati; Secundum: in personam Marinae foeminae, pedum usui restituae; Tertium: in personam Michaelis, Viceducis Polocensis, a podagra

³⁸ Sessio haec seu congregatio locum habuit verosimiliter die 27 novembris 1642, qua die etiam decretum editum fuit Sacrae Congr. Rituum. Quaedam adnotationes Secretarii de hac congregatione fere illegibiles sunt, clare tamen patet unanimitas praesentium in hac congregatione Cardinalium (numero 6) et sex consultorum.



IMAGO S. JOSAPHAT ROMANA ANTE CANONIZATIONEM

liberati; Quarto: in persona Genadii, monachi Ordinis S. Basilii et Prioris Monasterii Novogradensis, a paralitico morbo liberati et ideo devenitum est ad Decretum declarationis eiusdem pro martyre, ut infra.³⁹

Die 27 Novembris 1642.

(*Sequitur Decretum Declarationis Martyrii Beati Josaphat Martyris Archiepiscopi Polocensis Rutheni Ordinis S. Basilii.* "Commissa dudum... mandavit. Die 22 (?) Novembris 1642").

195.

Roma, 14 . XII . 1642.

Decretum Beatificationis.

APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Gener.*: Varia, vol. 182, 330r (stampa).

ASV, *Secretaria Brevium*, vol. 921, fol. 106rv, 109r (registrum).

DECRETUM

Sacrae Congregationis Rituum in causa Polocen. Beatificationis, et Canonizationis Beati Martyris Josaphat, Archiepiscopi Polocen. Ordinis S. Basilij Magni (f. 330).

Commissa dudum a Sanctissimo D. Nostro Urbano, Divina Providentia Papa VIII, Sacrae Rituum Congregationi, ad instantiam Serenissimorum Poloniae, et Sveciae Regum Sigismundi III, et Vladislai IV, necnon ad supplicationem Metropolitanarum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Palatinorum, Principum, ac universi Cleri, et Populi Catholici Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lithuaniae, ac totius Russiae, necnon Venerabilis Ordinis Monachorum S. Basilij Magni Causa Servi Dei Josaphati, Archiepiscopi Polocensis eiusdem Ordinis S. Basilij, pro Christi nomine, et Fide Catholica, et pro sancta potissimum Unione cum Ecclesia Romana Vitepsci in Russia Alba 12 Novembris 1623 a Schismaticis trucidati; illaque deinde per plures annos per eandem Sacram Congregationem, servatis servandis, discussa, et examinata; auditis desuper etiam Theologis, Consultoribus, et Sanctae Fidei Promotore; post obtentam

³⁹ Inter Cardinales, ut videtur, praesentes fuerunt: Pamphilus, Roccius, Brancatius, Bragadinus, Pallotta, et quidam alius, cuius nomen mansit illegibile, forsitan Sacchetti; ex Consultoribus enumerantur: P. Lucas (Vading), Ill.mus Celsus, Ill.mus Omodeo, P. Abbas Hilarion, P. Terentius Alciati, Sacrista SS.mi, et Confessarius etc. Cardinales omnes dixerunt: constare de miraculis, et probarunt prima quatuor miracula. In eadem congregatione agebatur etiam de pallio Metropolitanarum Kioviensium, de quo varii varia sentiebant.

prius ab eodem Sanctissimo D.N. sub die 27 Ianuarii 1629 specialem derogationem Decreti Sanctitatis Suae de non procedendo in causis Servorum Dei ad effectum Canonizationis, et Beatificationis, aut Declarationis Martyrij, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illorum; et praevia sub die 2 Martij 1641 eiusdem Sanctissimi licentia ad ulteriora in huiusmodi causa in Congregationibus ordinarijs procedendi; Referente Eminentissimo, et Reverendissimo D. Joanne Baptista tituli Sancti Eusebij S. R. E. Presbytero Cardinali Pamphilio nuncupato, proposita: Eadem Sacra Rituum Congregatio die 2 Martij 1641 censuit constare de validitate Processuum; die vero 13 Septembris 1642 constare de Martyrio, et causa Martyrii; die demum 22 Novembris eiusdem anni constare etiam de miraculis. - Ideoque Sacrae Congregationi videtur, si Sanctissimo D. N. placuerit, posse dictum Servum Dei Josaphatum Beatorum Martyrum Cathalogo adscribi, et ad solemnem ipsius Canonizationem quandocumque deveniri. Interim vero, donec ad ipsam Canonizationem deveniatur, visum pariter fuit facultatem concedi posse, ut de eodem Martyre ab omnibus Monachis Ordinis S. Basilii ubique terrarum existentibus, nec non in omnibus Ecclesiis, Dioecesis, et Provinciae Polocensis, ac totius Metropoliæ Russiæ a quibuscumque Sacerdotibus, tam saecularibus, quam regularibus die Natalis ipsius, 12 videlicet Novembris, Officium, et Missam de Communi unius Martyris pontificis recitari repective, ac celebrari valeat, iuxta Rubricas Breviarii, et Missalis Romani, necnon Graeci, seu Rutheni ab Apostolica Sede approbati. Quam Sacrae Congregationis sententiam Sanctissimus D. N., per me Secretarium ad se relatam, praesente ibidem Sanctae Fidei Promotore, die 14 Decembris 1642 laudavit, et approbavit, et Breve desuper in forma expediri mandavit.

IULIUS EPISC. TUSC. CARD. SABELLUS

— *Loco. Sigilli* —

C. Paulutius, S. Congr. Rit. Secr.

196.

Roma, 12 . I . 1643.

De additionibus in Decreto Beatificationis Servi Dei Josaphat.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 15, fol. 256rv.

HOFMANN G., *Ruthenica*, in « *Orientalia Christiana* », vol. III, 2, nr. 12, p. 214.

WELYKYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. I, pag. 185, nr. 322.

Die 12 Januarii 1643, in Concistorio secreto.

Eodem die in dicto Concistorio secreto (f. 256).

Referente Em.mo D. Card. Pamphilio S. D. N. iussit Brevi expediendo super Decreto Sac. Congregationis Rituum, quo Sanctitas Sua in Catalogo BB. Martyrum, ac Pontificum retulit p. m. Josaphat, Archiepiscopum Polocensem ruthenum unitum, addi, quod etiam ad instantiam Sac. Congregationis de Propaganda Fide ad praefati Archiepiscopi Beatificationem fuit processum; Quovero ad festum eiusdem B. Josaphat Romae celebrandum, Sanctitas Sua mandavit adiri eandem Sac. Congregationem Rituum, cui praedicti festi celebrationis in Urbe determinationem remisit.

197.

Romae, 19 . II . 1643.

Variae intimationes et decreta de festo Servi Dei Josaphat.

ARCHIVUM S. C. RITUM, *Positiones*, nr. 270, fol. 5-6; *Memoriali* (21 . II . 1643).
(Sectio historica).

Em.mi e Rev.mi Signori.

Essendo stato ordinato dalla Santità di N.S. nella Congregazione de propaganda fide, che nel Breve da spedirsi sopra la dichiarazione del Martyrio del D. Giosafat, Arciv. Polocense, si dovesse far menzione dell'Istanza fatta per tal dichiarazione dalla detta Congregazione de propaganda fide; e per conto del giorno e loco della festa da farsi per la prima volta in Roma, che si dovesse determinare da questa S. Congregazione di Riti, come nel Decreto che si da in piedi di questo; pertanto il Procuratore di d. Martire supplica umilmente l'EE.VV. d'ordinare che parimente nell'istesso Breve da spedirsi come sopra, s'aggiunga la licenza di potere celebrare solennamente la festa di d. Martire in giorno e Chiesa di Roma che parerà all'Em.mo Sign. Card. Prefetto della Congregazione de propaganda fide; siccome per la prima volta è stato concesso per molti altri beatificati, che non erano Martiri, di poter celebrare la loro festa in die bene visa; come negli esempi dati in mano dell'Em.mo Sign. Card. Pamfilio.

Che in tutto etc. Quas Deus etc.

Decretum Congregationis de Propaganda fide, habitae die 7 Jan. 1643.

Referente Em.mo D. Card. Pamphilio, SS. D.nus N. iussit in Brevi

expediendo super Decreto S. Congregationis Rituum quo Sanctitas Sua in Catalogum BB. Martyrum retulit pia me. Josaphat Archiepiscopum Polocensem unitum, addi quod etiam ad instantiam (f. 5v) S. Congregationis de Propaganda fide ad praefati Archiepiscopi Beatificationem fuerit processum. Quo vero ad festum eiusdem B. Josaphat Romae celebrandum, Sanctitas Sua mandavit adiri S. Congregationem Rituum, cui praedicti Festi celebrationem in Urbe determinationem reliquit.

S. Rit. Congregatione. - Em.mo et Rev.mo D. Card. Pamphilio POLOCEN. Canoniz. B.M. Josaphat Cuncevitij, Archiepiscopi Polocen.

Intimetur Ill.mo et Rev.mo D. Petro Francisco Ingoli, quod in prima proxima Congregatione S.R. Em. et Rev. D. Card. Pamphilius faciet verbum super die et loco celebrandi Festum B.M. Josaphat Cuncevitij, iuxta petita in memoriali, cuius copia sibi transmittitur. Ideo citatur idem ad interessendum. Alias videndum quodcumque Decretum necessarium et opportunum fieri et interponi, instante R.P. Philippo Burovio, principali, sive etc. Ex adverso se remittere solitae prudentiae et arbitrio Em.morum DD. Et ita etc. omni etc. hac die 19 febr. 1643.

FORIS: Alla S. Congregatione di Riti.

Per la causa del B.M. Giosafat, Arciv. di Polosca.

Manu D. Petri Franc. de Rubeis

Die Sabbati 20 febr. 1643: Congregatio censuit Congregationem de propaganda fide exprimendam esse in Brevi inter Intercessores. Ac pro praesenti anno dumtaxat, in die bene viso Em.mo Prefecto Congr. de Prop. Fide, in Ecclesia S. Athanasii.

Animadvertatur in contentione (f. 6) Brevis, quod post verbum:

Approbamus, repetantur praecedentia, nempe: Approbamus quod possit deveniri etc. Et interim donec etc. quod etc. ut interiore, donec deveniatur etc. possit. etc.

(In scheda: Die Sabbati 20 Nov. 1642. Constare de miraculis et prima quatuor videri sufficienter probata).

Celebratio Missae in honorem Servi Dei Josaphat, occasione eius beatificationis.

Beatissimo Padre.

Essendo stata promossa e favorita con particolare zelo et affetto la causa del martirio del Beato Giosafat Cuncevitio, Arcivescovo Polocense, dalla Sacra Congregatione de Propaganda fide e specialmente dal Sig. Cardinale Antonio Barberino, Nepote della S. V., Prefetto di detta Congregazione, oltre l'istanza del Re e Regno di Polonia e della Religione di S. Basilio Magno, et essendosi dopo lunga discussione nella Congregazione de Sacri Riti determinato che costi del martirio e miracoli di detto Beato Giosafat et ordinato che sin tanto si venga alla di lui solenne Canonizatione, si possi in tutta la Metropoli di Russia et in tutte le Chiese dei Monaci di S. Basilio per tutto il Mondo celebrare l'Offitio e Messa de comuni Martyris Pontificis nel giorno del Martirio, che fu alli 12 di Novembre, come nel decreto qui congiunto. Per parte della medesima Congregazione de Propaganda si supplica la S. V. a voler far gratia di confermar detto decreto per Breve Apostolico et anco concedere che nella Città di Roma per la prima volta tantum si possi celebrare solennemente la festa di detto Martire in un giorno e Chiesa che parerà al medesimo Signor Cardinale Antonio, Prefetto dell'istessa Congregazione, come più volte dalla S. V. è stato concesso in simili cause. Che il tutto, etc. etc...

(f. 124v) Alla Santità di Nostro Signore.

Per Causa del Beato Martire Giosafat, Arciv. di Polocia.

Die 12 Januarii 1643.

199.

Roma, 21 . II . 1643.

Memoriale pro insertione additamenti in Brevi Beatificationis Servi Dei Josaphat, quod nempe fuit beatificatus etiam instante S. C. de Propaganda fide, et de festivitate eiusdem Romae celebranda.

ARCH. S. C. RITUUM, *Memoriali*, (21 . II . 1643), (mazza). (Sectio historica).

Em.mi et Rev.mi Signori.

Essendo stato ordinato dalla Santità di Nostro Signore nella Congregatione de Propaganda fide che nel Breve da spedirsi sopra la dichiarazione del martirio del Beato Giosafat, Arcivescovo Polocense, si dovesse far mentione dell'istanza fatta per tal dichiarazione dalla detta Congregatione de propaganda fide et per conto del giorno e loco della festa da farsi per prima volta in Roma, che si dovesse determinare da

questa Sacra Congr. de Riti, come nel decreto che si da in piedi di questo.

Pertanto il Procuratore della causa di detto martire supplica humilmente l'EE.VV. d'ordinare che parimente nell'istesso Breve, da spedirsi come sopra, s'aggiunga la licenza di poter celebrare solennemente la festa di detto martire in giorno e Chiesa di Roma, che parerà all'Em. Signore Cardinale Prefetto della detta Sacra Congr. de propaganda fide, siccome per la prima volta è stato commesso per molti altri Beatificati che non erano martyri, per poter celebrare la loro festa in die benevisa, come nell'esempij e Brevi impressi, dati in mano dell'Em.mo Signor Cardinale Panfilio.

Che il sua... etc. Quas Deus etc.

Decretum Sacrae Congr. de propaganda fide habitae die 7 Januarii 1643.

Referente etc... (*subscriptum* : Franciscus Ingolus, Secretarius).

In altro folio : Die 12 Januarii 1643 : In consistorio secreto. Referente Em.mo D. Cardinali Pamphilio etc. (*come sopra* :) 7 januarii 1643. *retro* : A Mons. Carlo Pauluzzi.

retro del primo folio : Alla Sacra Congregatione de Riti.

Polocen. B. Josaphat, Archiepiscopi. Die 21 febr. 1643.

Em.mo Pamphilio. Per la causa del Beato Martire Giosafat, Arcivescovo di Polocia.

200.

Roma, 21 . II . 1643.

Minuta de concessione diei et loci pro celebratione festi Beati Josaphat, Archiepiscopi, Romae.

ARCH. S. C. RITUUM, *Memoriali*, (21 . II . 1643), (mazza). (Sectio historica).

Sacra Rituum Congregatio.

Em.mo et Rev.mo D. Cardinali Pamphilio.

Polocen. Canonizationis Beati Martyris Josaphat Cuncevitij, Archiepiscopi Polocensis.

Intimetur Ill.mo et Rev.mo D. Petro Francisco de Rubeis, Advocato Concistoriali et Promotori fidei, a SS.mo D.N. Papa specialiter deputato, qualiter in prima proxima Congregatione Sac. Rituum Em.mus et Rev.mus D. Card. Pamphilius faciet verbum super die et loco celebrationis festi B. Martyris Josaphat Cuncevitij, iuxta petita in memoriali, cuius copia sibi transmittetur. Ideo citetur idem ad intervenien-

dum, alias videndum desuper quodcumque decretum necessarium et opportunum fieri et interponi, instante Adm. R. P. Filippo Burovio, Monaco S.ti Basilii Magni et D. Ant. Gerardo... Marus Nor.

Ex.o. se remittere solitae prudentiae et arbitrio Emm.orum DD. Et ita etc. Quam... etc. hac die 18 febr. 1643.

Petrus Franciscus de Rubeis, Promotor fidei (mp.).

201.

Roma, 21 . II . 1643.

Decretum Prop. Fide de additione in Decreto beatificationis Josaphat, de instantiis huius Congregationis, et de festivitate Romae celebranda.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, vol. I: 1592-1654.

Polocen.

B. Josaphat Archiepiscopi.

Em.mus et Rev.mus D. Cardinalis Pamphilius retulit Decretum SS.mi in S. Congregatione de Propaganda Fide sub die 7.-a Januarii 1643 editum, ut, scilicet, in decreto declarationis martyrii B. Josaphat addatur etiam, quod ad instantiam Sacrae Congregationis de Propaganda Fide ad eandem declarationem deventum sit, et quod circa festum eiusdem Beati Romae pro prima vice certa die eligenda celebrandum Sanctitas Sua remisit ad determinationem S. Congregationis Rituum, quae audita huiusmodi relatione censuit, si SS.mo D.N. placuerit, festum praedictum celebrandum esse die ab eodem Em.mo et Rev.mo D. Cardinali Praefecto eiusdem Sacrae Congregationis de Propaganda fide determinanda.

Die 21 februarii 1643.

202.

Romae, 16 . V . 1643.

Breve beatificationis Servi Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 921, fol. 104-105v, 111v.

Bullarium diplomatum et privilegiorum S. Rom. Pontificum, Taurinensis editio, XV, Augustae Taurinorum 1868, pp. 262-263.

WELYKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, p. 521, nr. 459.

URBANUS VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

In sede principis Apostolorum nullis licet nostris suffragantibus meritis divina providentia constituti, ad ea per qua Servorum Christi, qui pro eius Ecclesia sanguinem suum fuderunt, veneratio in terris promoveatur, et laudetur Dominus in Sanctis suis, pastoralis muneris nostri partes propensis studiis impendimus, prout pia Christi fidelium, et praesertim Catholicorum Regum, et Principum vota exposcunt, Nosque conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Sane nomine dilectorum filiorum Monachorum Ordinis S.ti Basilii nobis nuper expositum fuit, quod commissa dudum a nobis Congregationi Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum ad instantiam clarae memoriae Sigismundi dum viveret Poloniae et Suetiae Regis Illustris, nec non ad supplicationem Venerabilium fratrum Metropolitaram, Archiepiscoporum et Episcoporum, ac dilectorum filiorum, nobilium virorum, Palatinorum, Principum ac universi Cleri et populi catholici Regni Poloniae, magnique Ducatus Lithuaniae, ac totius Russiae, nec non Ordinis praedicti, causa Servi Dei Josaphati, Archiepiscopi Polocen, eiusque Ordinis S.ti Basilii pro Christi nomine, et fide catholica, et pro S.ta potissimum Unione cum Ecclesia Romana Vitepscii in Russia Alba, die duodecima Novembris 1623 a Scismaticis trucidati, illaque deinde per plures annos per eandem Congregationem servatis servandis discussa et examinata, auditis etiam desuper Theologis, Consultoribus, et sanctae fidei promotore, post obtentam prius a nobis sub die 27 Januarii 1629 derogationem Decreti nostri de non procedendo in causa Servorum Dei ad effectum Canonizationis, seu Beatificationis, aut declarationis martyrii, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illorum, et praevia sub die secunda Martii 1641 nostra licentia ad ulteriora in huiusmodi causa in congregationibus ordinariis procedendi, referente dilecto filio nostro Joanne Baptista, tit. S. Eusebii et S. R. E. Presbytero Cardinali Pamphilio nuncupato, proposita, eadem Congregatio dicta die secunda Martii 1641 censuit, constare de validitate Processuum, die vero XIII septembris 1642, constare de martyrio, et causa martyrii, die demum 22 Novembris eiusdem anni 1642, constare etiam de miraculis; ideoque eidem Congregationi videri, si nobis placeret, posse dictum Servum Dei Josaphatum Beatorum martyrum cathologo adscribi, et ad solemnem ipsius canonizationem quando-cumque deveniri.⁴⁰

EO FUIT ADMIRABILIOR
QUO A SECRETIORE DOCTRINA REMOTIOR
ALTISSIMUS DOCTOR DEO MAGISTRO
EVASERIT
ARCHIEPISCOPATUM POLOCENSEM SUSCEPIT COACTUS
QUEM
VITA ILLUMINAVIT ANGELICA
LAC ET LANAM AB OVIBUS NON ACCEPIT SED DEDIT
QUIPPE QUI EAS LACTATAS PIETATE LIBERALI CHARITATE
VESTIVERIT
ECCLESIAE JUXTA ATQUE ORPHANORUM

PATER ESSE MALUIT
QUAM DOMINUS
CUM TOTIES PRO RUSSIAE UNIONE
VIVOS EX OCULIS FUDISSET UNIONES
DEMUM CUM SANGUINE FUDIT ANIMAM
UT
SUI RUPTA UNIONE
RUSSIAE REPARARET UNIONEM
VITAM CUJUS IN MELIUS MUTANTIS STADIUM
FUIT ALBA RUSSIA
VEL SOLO NOMINE INNOCENS
NISI TANTO CONTAMINARETUR FACINORE
HAEC
DUM VARIAS IN OPTIMUM SUUM PARENTEM
ARMAT CIVITATES
VITEBSCUM NATURA BOREALIS PLAGAE HORRIBILE
VITIO IMMANIS CRUELITATIS HORRIBILIS
AD HOC NON FACINUS, SED SACRILEGIUM
PROMPTIUS FUIT QUAM IMPERARETUR
SANGUINEM ET CUM EJUS BIBENS EXSATIARI NEQUIRET
ALTAM EUM BIBERE DUNAM COEGIT
RATUM HABENS SUAM QUOQUE SITIM
ITA EXINCTUM IRI
SIC IMMANE VITEBSCUM
INNOXIIUM JOSAPHATUM
PRO SACRA UNIONE
SUB ANNUM UNITI DEI ET HOMINIS
MDCXXIII NOVEMBRIS XII
BAPTIZAVIT
UT MARTYRIS NOMEN
IN EJUSMODI BAPTISMO ASSUMERET
QUI TAMEN
PATREM LUMINUM CUM VERBO EIUS ORAT
DIMITTI PARRICIDIS AIENS EOS NESCISSSE
QUID FECERINT
UT CONVERSI AMBULENT PER VIAM
AD SPLENDOREM EIUS ⁴⁴

⁴⁴ Elogium hoc posuimus in hoc loco, ut historiam beatificationis concludamus, et novam inchoemus periodum, quae iam inde ab ipso anno 1644 incipit. Elogium hoc sumpsimus ex Jacobo Susza, *Cursus vitae et certamen martyrii B. Iosaphat Kuncevicii...*, Romae 1665, pag. 206-208.

DOCUMENTA AD CANONIZATIONEM BEATI JOSAPHAT
(1662-1867)

206.

Chelma, 1 . VI . 1662.

Instantia Jacobi Susza de canonizatione Beati Josaphat.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Ruteni*, vol. 18 (Fondo Vienna), f. 86rv.

Em.me e Rev.me Princeps, Domine Domine Col.me.⁴⁵

Domui Vestrae Eminentissimae debito gratitudinis obstrictissimis vinculo unitis, ut nomen eius, sic ipsas Vestras Em.mas Celsitudines non modo submissee venerari, verum etiam ad earundem firmam protectionem confugere cum omni fiducia par est. Perbelle enim mihi constat, ab ipsis renovatae et hucusque non interruptae durantis Ruthenae Unionis exordiis, nusquam maiora nisi per Vestram eximiam domum Unioni erecta baneficiorum monumenta: Gloriosus Martyr Josaphat beatorum choro annumeratus, ecclesia SS. Sergii et Bacchi Unitis dicata et dotata; tot praeclara in rem nostram a ss.mae memoriae Urbano VIII prolata et probata decreta, nil aliud mihi nisi singularem quamdam animorum vestrorum in nostrum bonum demonstrant inclinationem. Enimvero cum nunc etiam tum a Cosacis et schismaticis, tum a nostris et aliis premamur, Vestrae Em.mae Celsitudinis expertissimum cum Religione mea, cuius indignus gero Protoarchimandritam, imploro auxilium, qui nobis in iis, quae a supplice R.do Patre Provinciali nostro Vestrae Em.mae Celsitudini propalam fient, pro Dei nomine et nostro emolumento opitulari dignetur.⁴⁶

Quandoquidem vero beatum Stanislaum Kostkam albo divorum inserendum increbuit dies, meminerit Vestra Em.ma Celsitudo a SS.mo quondam vestro patruo Urbano VIII beatus martyr Iosaphat suos peculiariter nuncupatus Sanctus. Proinde Vestrae Em.mae Celsitudini cum aliis confratribus ac religiosis meis cernuus accumbo, orans, ut si ad beati Stanislai inter sanctos connumerationem accessum fuerit, pro zelo suo haereditario, ea qua pollet apud S. Romanum Ecclesiam ipsumque SS.mum D.num Nostrum autoritate, etiam beatum mar-

⁴⁵ Agitur de Cardinali, ut videtur, Antonio Barberini, qui fuit Praefectus S.C. de Prop. Fide; obiit anno 1671.

⁴⁶ Pachomius Ohivevycz, Basilianus, Provincialis Basilianorum tunc temporis, et modo speciali tempore Protoarchimandritatus Jacobi Susza; dein et ipse Protoarchimandrita (1674-1679). Anno 1662-1664 commorabatur Romae in negotiis Ordinis Basiliani et Ecclesiae Unitae.

tyrem Iosaphat eidem socium adiungi divinisque adnumerari perficiat.

Atque, ut beneficiis vestris Russia nostra cumulatior evadat, pro Collegio SS. Sergii et Bacchi, ut nobis conservando, sic restaurando coram Sacra Congregatione de Propaganda Fide Eminentia Vestra et intercedere et promovere idipsum velit (fol. 86) humillime oro. Ita enim sperandum, ut non modo nostro hic locus, verum etiam totius Russiae futurus sit emolumento; cum ipsum etiam durum schisma per tot ancipites Unitorum non minus quam suorum casus brevi admodum temporis inclinatione emolliendum putemus. Unde necessum est, ut meo humili videtur sensui, locum illum pro palaestra Russiae conservari, ex qua tandem Ruthenae ruditatis et Graeci schismatis victoriosi Romanoque pasti lacte prodire possent bellatores.

Iura demum, s.mae mem. Urbani VIII nostra, quibus innixa Religio erigere sese coepit et tempore Antonii Metropolitae ad sinistram delationem debilitata, ne subruantur, imo stabilius assumant robur, cum omnibus Religiosis supplicans, ac R.dum Patrem Provinciale patrocínio eiusdem humiliter commendans, Dominum Deum enixe precor, quatenus Vestram Em.mam Celsitudinem et Ecclesiae Sanctae, sic nostrae protectioni quam diutissime conservat.

Chelmae, iunii 1, 1662.

Vestrae Em.mae et Rev.mae Celsitudinis humillimus in Christo servus et exorator

Jacobus Susza, Episcopus Chelmensis cum S. Romana Ecclesia unitus, Protoarchimandrita O.S.B.M.

207.

Chelma, 3 . VI . 1662.

Commendat P. Pachomium Ohilewyc et negotia Unionis, modo speciali canonizationem Beati Josaphat.

ARCH. CAPITOLINUM ROMAE, Fondo Orsini, II, prot. XXIV (vol. 217), fol. 336.

Em.me et Rev.me Princeps, Domine Domine Col.me.

De negotiis nostrae Unionis Religionisque per Rev.dum P. Pachomium Ohilewicz, Ordinis nostri Provinciale, cum ad SS.mum Dominum Nostrum tum ad Sacram Congregationem directum, qua episcopi nonnulli qua Religiosi ea qua par est reventia supplicatum veniunt.

Quia vero Vestram Em.mam Celsitudinem nostrae Poloniae amplissimum agnoscimus protectrem, nos quoque Rutheni, uti pars Poloniae, ad Tuam Eminentissimam accurrimus protectionem. Quo igitur,

Em.me Princeps, in tuos favore ferri praedicaris Polonos, quam apud S. Romanam Ecclesiam eiusque Purpuratos obtines auctoritatem, quae habes in catholicae fidei alumnos paterna viscera, iis omnibus afflictæ nostrae Unioni et Religioni apud SS.mum Dominum nostrum et Sacram de Propaganda Fide Congregationem favere, prodesse, opitulari digneris. Omnia enim mala nostra a Sede hac optima sananda speramus. Nec vero Em.mae Celsitudinis Vestrae paternum quorundam Romae discolorum nequitia a nobis pectus avertat, hoc est: non habuisse in manu sua Religionem regimen, praemia, paenasque suorum. Quibus si id per tuae quoque Em.mae Celsitudinis, quod instanter expetimus, patrocinium Religio contra Praelatos obtinuerit, nullo negotio, mala tollentur, bona inserentur, bonorum omnium consolationi et catholicae fidei propagationi.

Et vero si, ut dicitur, ad beati Stanislai Kostcae deventum fuerit canonisationem et nomine aliorum et Religionis et meo Vestrae Em.mae Celsitudinis efficaci supplico protectioni, interponere velit suam apud SS.mum auctoritatem pro beato martyre Iosaphat eidem associando. Erit hoc profecto inter tot quae singulos in dies a Schismaticis perpetimur mala, non modo singulari catholicorum (fol. 336v) omnium erectioni, verum etiam gravi Schismaticorum confusione, SS.mi vero Domini Nostri et protectionis vestrae praeclarissimi in nos effectus testificationi.

Caeterum ut ipsum Rev.dum Patrem Pachomium, sic ea quae fert Unionis Religionisque negotia, meque ipsum Vestrae Em.mae Celsitudini commendans Sacramque eius Purpuram deosculans, a Summo caeli terrarumque Protectore tuae protectioni in nos faventissimae omnia de caelo terraque prospera et faventia peropto.

Chelmae, iunii 3, 1662.

Vestrae Emm.mae et Rev.mae Celsitudinis humillimus servus et exorator

Jacobus Susza, Episcopus Chelmensis cum S. Romana Ecclesia unitus, Ordinis S. Basilii Magni Protoarchimandrita m.p.

208.

Leopolis, 14 . VIII . 1663.

Joan. Casimirus Rex Poloniae supplicat Pontifici Romano pro Canonizatione B. Iosaphat.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1., nr. 1 (pergamena longa).

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Post oscula Beatorum Pedum Sanctitatis Vestrae Regnorumque meorum mei humillimam commendationem.

In amplis Russiae ditionibus, potestati meae obstrictis praeclarum teterrimas inter Schismatis tenebras exortum lumen, Divus Josaphat Archiepiscopus Polocensis, a Praedecessore Sanctitatis Vestrae Urbano VIII in Beatorum relatus album, non duntaxat Catholico multum exinde inclaruit Orbi, verum etiam tenebrosum dispulit Schisma; ideo ad eiusdem maiora Russiae commoda, uberiolemque Regni mei prosperitatem supplex Sanctitatem Vestram exoro, qui eundem Martyrem sacra illuminare dignetur apotheosi. Enim vero quid aut optatius, aut fructuosius Regno meo, et subiectis Provinciis usu venire potest, quam sub hoc bellum, in quo cum pervicaci collectamur Schismate, acerrimum quoque eiusdem impugnatoem novo auctum honore belli habere ductorem. Si enim sub adiutrice eius beati nominis tessera exercitus mei in Magno Ducatu Lithuaniae triennio ab hinc foedifragum Moschum, obstinatum Schismatis alumnum, gloriose profligavere, profecto par erit eodem Patrono per Sanctitatem Vestram Sanctorum Cathalogo associando gloriosiores praestolari triumphos. Quo in negotio Reverendum Episcopum Unitum Chelmemsem, nomine omnium Unitorum expeditum Sanctitati Vestrae enixe recomendo,⁴⁷ simulque Sanctitati Vestrae diurnam vovendo incolumitatem, Apostolicae eius benedictioni me supplex subiicio.

Datum Leopoli die XIV Mensis Augusti, Anno Domini MDCLXIII.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae obsequentissimus filius

Joannes Casimirus, Rex Poloniae et Suetiae, (mp.)

retro: Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri

Domino Alexandro Divina Providentia Papae Septimo

Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Pontifici

Maximo Domino Clementissimo.

(*nota*: A Monsignore Casali: 1663 B. Josaphat Archiep.).

(*Sigillum magnum Regium*)

[Joannes Casimirus Dei gratia Rex Poloniae etc...].

⁴⁷ Jacobus Susza, Episcopus Chelmemsis, venit Romam anno 1664, ubi permansit usque ad finem fere anni 1665; plurima procuravit in favorem Ecclesiae, Eparchiae et Ordinis Basiliani. Romae instantissime procurabat Canonizationem Beati Josaphat, et hunc in finem scripsit duos libros sub tit. *Cursus vitae et certamen martyrii B. Josaphat Kuncevicii...*, Romae 1665, et *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis sanguine Beati Josaphat transformatus sive Meletius Smotriscius Archiepiscopus Hieropolitanus Archimandrita Dermanensis Ord. S. Basilii M.*, Romae 1666.

209.

Leopolis, 14 . VIII . 1663.

*Regina Poloniae, Ludovica Maria, Pontifici Romano supplicat pro
Canonizatione B. Josaphat.*

ARCH. S.C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1, nr. 2 (pergamena longa).

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Post oscula Beatorum pedum Sanctitatis Vestrae meique humillimam commendationem.

Eo pietatis affectu foelices caeli Incolas semper venerata sum, ut eorum pia pro me suspiria, non debito tantum devotionis studio, sed mutuis etiam, qua par est, suffragiis lucrari studeam. Atque exercenti mihi tam fervens desiderium, gratissima benemerendi oblata occasio, dum Divum Josaphat, Archiepiscopum Polocensem Sanctitati Vestrae commendandum, praecibusque meis nomini ipsius ampliorem honorem procurandum praesumpsi, petens obnixe Sanctitatem Vestram, ut Divum hunc in Album Sanctorum inscribere publicoque fidelium cultui proponere dignetur. Claritas vitae et ampla miraculorum decora non desunt, patebuntque fuse Sanctitati Vestrae ab iis, qui ad promovendam tanti actus solennitatem sunt expediti; mihi sufficit unicum subscribere testimonium, ex agnitae speciali in periculoso valetudinis meae statu Divi huius ope. Cuius beneficii me non ingratam gerens iterum atque iterum a Sanctitate Vestra supplex exposco, ut huic meae et omnium expectationi prompta facilitate sua subvenire velit. De reliquo benedictionem Sanctitatis Vestrae humillime exoro.

Datt. Leopoli, die XIV Augusti Anno Domini MDCLXIII.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae humillima et obedientissima filia

..... Maria, Regina Poloniae et Suetiae (mp.)

(*Sigillum magnum Reginae, parum distructum*)

[..... Maria D. G. Reg. Pol. et Sue. Mag. D. Lit.].

Retro: Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri Domino

Alexandro Divina Providentia Papae Septimo

Sacrosanctae Romae ac universalis Ecclesiae Pontifici

Maximo. Domino Clementissimo.

(B. Josaphat Archiep., 1663).

210.

Leopolis, 14 . VIII . 1663.

Episcopus Luceoriensis, lat. ritus, supplicat pro canonizatione B. Josaphat.

ARCH. S.C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1, nr. 7 (charta).

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Post oscula pedum Beatorum Sanctitatis Vestrae et humillimorum obsequiorum meorum commendationem.

Quantum S. Regia Maiestas, Dominus noster clementissimus, ampliandae Ecclesiae catholicae bono studeat, ferventes eius Maiestatis ad Sanctitatem Vestram interpositae testantur preces, ad quas meas quoque suppliciter adiicio, ut Divus Martyr Josaphat, qui Beati iam nomine per S. Sedem Apostolicam laetatur, sanctum inter Sanctos Martyres a Sanctitate Vetra sui purpurei cursus capiat Bravium. Multo in Ecclesiae Sanctae non modo in amplissimo Poloniae Regno, verum etiam in appendice Orbis Catholici-Russia, futurum est emolumento, cum eius divino decorabitur honore, cuius effuso resplendit sanguine. Speramus fore ut etiam horridi in Russia Schismatis tenebriones, hac permoti pietate, filiale tandem erga Sanctitatem Vestram induant pectus. Caeterum quia negotio isti adlaboraturus est Reverendissimus Episcopus Unitus Chelmensis, de voluntate Sacrae Regiae Maiestatis Vestram ablegatus, omni eum, qua debeo, Sanctitati Vestrae recomendo submissione, votis denique Domini mei Clementissimi humillima mea adiungens vota, Divinam Maiestatem precor ut Sanctitatem Vestram Ecclesiae Suae sanctae diu felicem et incolumem conservet.

Datum Leopoli, die 14 Augusti anno Domini 1663.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, indignus
exorator et infimus servus
Nicolaus, Episcopus Luceoriensis, Cancellarius Regni supremus (mp.)

211.

Leopolis, 16 . VIII . 1663.

Stanislaus Potocki, Palatinus Cracoviensis, supplicat Pontifici pro canonizatione B. Josaphat.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1, nr. 10 (charta).

Sanctissime Domine ac Beatissime Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Post oscula Beatorum pedum Sanctissimae Paternitatis Vestrae, et mei humillimam commendationem.

Eo in statu prae-nobile virtutis decus versatur, ut seguacem sui semper honorem habeat. Nec quidquam est ex vi ipsius naturae illi proximius, quam pro meritis nostris eam recipere mercedem. Cum vero Divus Josaphat Kuncewicz, Archiepiscopus Polocensis, effuso sanguine pro Apostolica Petri Sede et fide celebris et iam inde a pluribus annis per praedecessorem Sanctitatis Vestrae Urbanum VIII numero Beatorum Martyrum adlectus, in dies virtutum suarum splendore corruscans, miraculorum gloria inclarescat, aequum sane videtur, ut ultiores caelestes per Sanctitatem Vestram honores consequatur. Hoc ego dum pro Reip. Polonae in hostes fidei maiori felicitate, pro uberiori Catholicae Unionis in Russia incremento, pro gloriae Divinae Martyrisque Beati ampliori propagatione, a Vestra Sanctitate humillime peto, Sacros eius pedes devotissime exoscular.

Dabantur Leopoli, die 16 Augusti 1663.

Sanctitatis Vestrae humillimus Servus

Stanislaus Potocki, Palatinus Cracoviensis, Generalis Supremus
Exercituum (mp).

Retro : Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri

Domino Alexandro Divina providentia Papae Septimo

Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo.

Domino Domino Clementissimo.

(L.S.)

212.

Leopolis, 18 . VIII . 1663.

Archiepiscopus Leopoliensis, J. Tarnowski, supplicat Alexandro VII pro canonizatione B. Josaphat.

ARCH. S.C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1, nr. 9 (charta).

Beatissime Pater,

Domine, Domine Clementissime.

Nihil Ecclesiae Sanctae Regnisque Catholicis acceptius evenire posse existimo, quam si celestibus Sanctorum cumuletur praesidiis et salubribus eorum fruatur patrociniis. Quae cum per Divum Josaphat Concevicium, Polocensem Archiepiscopum, inter Beatorum mentium Societa-

tem ab Apostolica Sanctitatis Vestrae relatum non modo Unita Ecclesia Graeca, sed etiam omnia Sanctitatis Vestrae Domini Nostri Clementissimi Dominia probe persentiscant, ausim hisce supplicibus precibus Vestram orare Sanctitatem, quatenus eum Sanctorum Collegio adscribere velit, ut etiam universus Catholicus Orbis hoc eius novo gaudeat honore, et propitiam invocet tutelam. Praecipue vero Polonae longe lateque disitae ditiones sub has belorum infestas a pervicaci schismate excitas tempestates, et ipsa Unio Catholica toties nunc ab eodem pressa, quem pro subvertendis Schismatis dogmatibus sanguinem fudisse norunt, eum potiorum sui habeant propugnatores.

Proinde si quid ponderis meae apud Vestram Sanctitatem habiturae sunt preces, eo quo par est nisu iterato supplico, ut memoratus Martyr martyrii sui a Vestra Sanctitate palmam percipiat.

Me vero ad osculum pedum Sanctitatis Vestrae provolvens, eiusdem sanctam benedictionem humillime exposco.

Dabantur Leopoli, 18 augusti 1663.

Sanctitatis Vestrae humillimus Servus

Joannes Tarnowski, Archiepiscopus Leopoliensis (mp).

213.

Minsk, 22 . X . 1663.

Supplicatio communis magnatum Poloniae in causa Canonizationis B. Josaphat (Reipublicae Lithuaniae).

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1, nr. 4 (charta).

Sanctissime et Beatissime Pater.

Domine, Domine Clementissime.

Post oscula Beatorum Pedum Sanctitatis Vestrae et humillimorum obsequiorum nostrorum commendationem.

Laetatur inde plurimum Magnus Ducatus Lithuaniae, quod D. Josaphat, Archiepiscopum Polocensem, pro Beatissima Petri Sede sanguine suo quondam purpuratum, ab eadem post Beatorum numero adscriptum Martyrem veneretur. Verum longe uberiores caperet laetitiam, si Sanctitas Vestra pro ea, qua in divos pro fide catholica vitam proicientes fertur pietate, ad perenne totius quidem Regni Poloniae, maxime tamen Magni Ducatus Lithuaniae solatium et subsidium, quae a tanto Martyre et victoriarum trophea, et tot sanitatum gratias percepit Sanctorum nominibus nomen eius intersereret. Plurimum certe nostra sibi polliceri posset inde Lithuania, si sub hasce perduelles adversi Schismatis machinationes tantum in sua a Vestra Sanctitate honoretur tutelari. Hoc a

Vestra Sanctitate S.R.M. Dominus Noster Clementissimus submissee expe-
tit literis, hoc Respublica Lithuana eius Tribunalis nostri subsellium
repraesentat faciem, supplicibus desiderat votis, hoc unionis Ruthenae
Alumni omni quo possunt exorant conatu. Nec vero humillima haec
Reipublicae nostrae apud Sanctitatem vestram irrita fore putantes desi-
deria, Apostolicam eiusdem cernui imploramus Benedictionem.

Datum in Tribunali Minscensi, 22 Octobris anno 1663.

Sanctitatis Vestrae humillimi servi.

Georgius Carolus Hlebowicz, Comes in Dombrowno, et Zaslaw, Ge-
neralis Ducatus Samogitae Gubernator, Marschalcus Supremorum Judi-
ciorum Trinalitiorum Magni Ducatus Littuaniae (mp).

Joannes Korsak, Castelaneus Polocensis Iudex Pro Tribunali
M.D.L. (mp).

Casimirus Minstanthius Czyz, Vexillifer Palatinatus Vilnensis
ac Iudex ab eodem Palatinatu pro Tribunali Magni Duc. Lth. (mp.).

Bazyli Albrecht Orda, Chorazy i deputat Powiatu Pinskiego (mp).

Jan Wladyslaw Smogorzewski, Podsedek i deputat Powiatu Wol-
kowyskiego.

Florian Straninski Podsedek i deputat Powiatu Oszmianskiego (mp).

Jan Herbult, Pisarz ziemski y deputat Powiatu Lidskiego (mp).

Stephan Jan Bukroba, Podskarbi y deputat Starodubowskij (mp).

Stanislaw Uniechowski, Podsedek y deputat powiatu Smolenskie-
go (mp).

Hieronym Wladyslaw Brzuchanski, Stolnik Rozanski y deputat
województwa Nowogrodzkiego (mp).

Andrzej Konstanty Godebsky, Czesnik y deputat Powiatu Pinskie-
go (mp).

Ludwik Protasowicz, Podczaszy y deputat wojewodztwa Nowogrod-
zkiego (mp).

Stephan Boguslaw Kminsky, Czesnik y deputat Wilenski (mp).

Świętosław Jelicki, deputat Powiatu Mozyrskiego (mp).

Jan Olesza, deputat Powiatu Mozyrskiego (mp).

Jan Chlewinski, deputat Wojewodztwa Nesw. (mp).

214.

Sielce, 28 . X . 1663.

*Procancellarius M. Ducatus Lithuaniae Pontifici supplicat pro canoni-
zatione B. Josaphat.*

Sanctissime ac Beatissime Pater, Domine,
Domine Clementissime.

Post oscula pedum Sanctitatis Vestrae meique humillimam recommendationem.

Non mihi tantum animi, ut Sanctitatem Vestram gravissimis totius orbis Christiani curis, et negotiis distentam hisce meis auderem humillime adire, nisi adderet singulare fidei sacrosanctae propagandae studium et Reipublicae nostrae tot fluctibus quassatae in integrum restituendae, inde spes indubia affulgeret. Sistit se B. Josaphat Kuncewicz, Archiepiscopus Polocensis per Rev.dum Episcopum Chelmensem Unitum ex voto non modo orientalis Ecclesiae Unitae, sed totius Regni sublimi iudicio Sanctitatis Vestrae albo Sanctorum inserendum, cuius quot ab integerrima vita omnique labie eximia promanant miracula, tot lumina Ecclesiae militanti oboriuntur, unde eius incrementum, quot purpurae sanguinis innocentis guttae, tot tela perfidi Schismatis propugnatorem perimentia, nobisque ex hoste Regni et totius Ecclesiae acerrimo triumphos parantia, unde Reipublicae Nostrae post tot bella quies et tranquillitas. Tantum igitur Ecclesiae Catholicae promovendae zelatorem nuper a piae memoriae praedecessore Suae Sanctitatis Urbano VIII laurea Martyrii decoratum dum Sanctitati Vestrae novo honore Sanctorum coronandum, cum debita animi submissione, praesento, eiusdem Sanctitatis Vestrae pedibus me quam humillime advolvo et paternam Suae Sanctitatis instantissime peto benedictionem.

Dabantur Sielcij, die 28 Mensis Octobris anno 1663.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae humillimus servus

Alexander Naruszewicz, Procancellarius Magni Duc. Lithuaniae
(mp).

215.

Zyroviciis, 3 . XI . 1663.

Instantia Hierarchiae unitae pro canonizatione.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K, nr. - (charta).

Eminent.me ac Reverend.me Princeps,
Domine, Domine Colendissime.⁴⁸

B. Martyr Josaphat, Gloriosus Unionis Athlas, cum in dies longe illustribus inclarescat gratiis et vel ipso beneficentiae suae profluvio

⁴⁸ Ut videtur, Antonio Barberini, Praefecto S.C. de Prop. Fide.

excrecentis Schismatis impietatem honori Sedis Apostolicae libatum perque excitatum a SS.mo Urbano VIII beatificationis cultum Schisma demoliri resque Unionis gliscere coeperant; ideo ut iterum hydrae Phocianae repullanti occurratur, nil divinius cogitari potest, quam ut suprema quae sanctis Incolis defertur in terris laureola decoretur. Et quia nosmetipsi cum tota Communitate sumptibus propriis vel emendicatis huic non sufficimus negotio, utpote vel ob schismaticas invasiones in bonis exhausti, vel iisdem per hostem occupatis pulsi, et Benefactores, si qui essent, hi etiam maximam inopiam propter eosdem subierunt hostes, ita ut si Sanctitatis Suae hac in re derelinquamur gratia, fere nescimus quando ad desideratum canonizationis solatium devenire possemus. Eminentiam Vestram proinde Purpuratam atque principem cardinem S. Ecclesiae Russia nostra supplex appellat, ut eam apud Sanctitatem Suam interponat authoritatem, quae votis nostris et subruendo Schismati opportunum canonizatione eiusdem sortiatur exitum. Pro cuius et Metropoliæ per decennium iam vacantis et negotiorum Unionis variorum effectu cum Ill.mus ac Rev.mus iacobus Susza Ep.pus Chelmenensis ac Religionis Divi Basilii per Russiam et Lithuaniam Protoarchimandrita Oratorem agere sit destinatus, ob magnam moram ob solatium commune Unionis et Cathedrae propriae defensionem perquam necessarius expediatur ac redeat, obnixè petimus, devotissime interim Sacram exosculantes Purpuram, obsequia nostra imperiis Eminentiae Vestrae mancipamus.

Zyroviciis, novembris 3-a, Anno 1663.

Vestrae Emin.mae et Rev.mae Celsitudinis humillimi servi.

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Polocen., mp.

Joannes Pociey, Protothronius Ep.pus Vladimiriensis, mp.

Andreas Kwasninsky Zloty, Archiep.pus Smolenscen., mp.

Procopius Chmielewski, Ep.pus Praemislien. et Samb., mp.

Antonius Terlecki, Coadiutor Ep.patus Praemislien., Vicarius Dermanensis monasterii, mp.

Barlaam Kosinski, Minscen. Mscislavien. Archimandrita, mp.

Benedictus Gliniski, Archimandrita Kobrynensis, mp.

216.

Zyroviciis, 3 . XI . 1663.

Commendatur canonizatio Beati Josaphat Cardinalibus S. Congregationis de Prop. Fide.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Ruteni*, vol. 17 (Fondo Vienna), f. 213.

Em.mi e Rev.mi Principes, Domini, Domini et Patroni Col.mi.

Notissimum est Sanctae Romanae Ecclesiae beatum Josaphat, ut catholicam fidem hic propagaret, Sedisque Apostolicae auctoritatem tueretur sanguinem fudisse eumque a Sede Apostolica honorem meritasse, ut martyris honore insigniretur. Et quia indubitatum est eum in caelo perfectum recepisse bravium, aequum profecto est etiam Sanctam Ecclesiam perfecta eum in terris laurea coronare. Quod dum a Sua Sanctitate ardentissimis exposcimus precibus, Vestris pariter Eminentiis quantum possimus supplicamus, ut vestra qua orbis nititur auctoritate id negotii apud SS.mum Dominum fulciatis. Potissimum, ut aliorum beatorum, de quibus certis authoribus intelleximus, canonisationi beatum Josaphat Sanctitas Sua adiungere dignetur. De nobis enim sciant Eminentiae Vestrae quod honestae educationi impensae de nostris redditibus non sufficiant. Praeterquam enim quod omnibus semper telis hostium expositi simus, ob ditiones nostras in vicinia eorum positas et aliqua beneficia etiam nunc in hostico existentia, tot illatae bonis nostris ab hostibus ferro, igne, subditorum captivatione desolationes, ut vix dici queat, e solo odio Unionis perennandae. Insuper assiduae fugae, frequentes in Comitibus pro defensione fidei sanctae et Unionis partitiones, frequentiores in tribunalibus variis cum Schismaticis concertationes, communes bellorum modernorum plane usque ad sanguinem emunctiones, extreme nos pressere. Proinde ad Vestras Eminentias accurrimus orantes, ut hac nos gratia cumuletis, quo martyris nostri per gratiam et liberalitatem SS.mi ad maius Ecclesiae Nostrae ornamentum, reipublicae praesidium, hostium terrorem, schismaticorum aedificationem, laborum suorum bravium obtineat, quo fortius adamante nos sibi Sanctitas Sua adstringet et ad omnia fortiter pro fide sancta agenda patiendaque accinget.

Interim omnia fausta et desiderabilia Vestris Eminentiis peroptantes, Rev.mum nostrum confratrem, primum in nostra Ecclesia operarium, Sanctae Romanae Ecclesiae humillime commendamus.

Zyroviciis, 3 novembris, 1663 anno.

Vestrarum Em.marum Celsitudinum humillimi servi

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Polocensis (mp).

Ioannes Pociey, Protothronius Episcopus Vladimiriensis (mp.)

Procopius Chmielewski, Episcopus Premisliensis et Samboriensis (mp).

Andreas Kwasninski Zloty, Archiepiscopus Smolenscensis (mp).

Antonius Terlecki, Coadiutor episcopatus Premisliensis (mp).

Barlaam Kosinski, Minscensis, Mscislaviensis Archimandrita (mp).

Benedictus Glinski, Archimandrita Kobrynensis (mp).

217.

Zyroviciis, 3 . XI . 1663.

Commendatur Jacobus Susza in Urbem properans et causa canonizationis Beati Josaphat.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Ruteni*, vol. 17 (Fondo Vienna), fol. 211.

Ill.me e Rev.me Domine, Domine et Patrone Obser.me.⁴⁹

Per Rev.mum Episcopum Chelmensem, confratrem nostrum, SS.mo Domino nostro supplicem dirigimus epistolam, qua Sanctitatis eius humillime imploramus gratiam, ut beatum nostrum martyrem Iosaphat alicui beatorum canonizando, de quibus nobis innotuit, adiungere et de liberalitate sua hunc honorem martyri praestare dignetur. Sciat enim Vestra Ill.ma et Rev.ma Dominatio nostras cathedras et monasteria, dioeceses et possessiones maxime vicinas esse hostibus, et primum impetum, tam cosacorum et tartarorum, quam moscorum et aliorum in nos effusum fuisse. Hinc factum, ut non modo nostrae cathedrae, ecclesiae, villae desolatae, subrutae, incensae, verum etiam villani excisi et in captivitatem fere omnes abacti. Maximus vero promotor beati martyris, Ill.mus Dominus Leo Sapieha, Procancellarius Magi Ducatus Lithuaniae, qui et tumbam 15 millibus scutorum, post peractam a SS.mo Urbano VIII beatificationem multum aeris pollicitus est, a novennio vita functus est. Igitur soli Beatissimo Patri ac Domino Nostro et Sacrae Congregationi de prop. fide supplicamus et a Vestra Ill.ma et Rev.ma Dominatione, ut nomine nostro supplicet, obnixè petimus, quin memorato honore et divum martyrem decorare et nos ad nutum obsequentes suas oves tanta gratia cumulare velint.

Quoad Metropolitanum Archiepiscopatum quid statuerimus, Rev.mus Dominus Episcopus Chelmenensis Vestrae Ill.mae Dominationi expalanaturus est. Cui ut etiam Vestra Ill.ma Dominatio suam apud SS.mum Dominum Nostrum adiungat auctoritatem, diligentissime precamur. Insuper ipsum Rev.mum Episcopum gratia SS.mi Domini Nostri, uti virum in Unionem Sanctam et catholicam Ecclesiam meritissimum, comendamus et pia dexteritate sua efficere dignetur, ut petitis nostris felici effectui datis, idem R.mus tanquam Unioni pernecessarius, non morando expediatur. Obsequia interim nostra Vestrae Ill.mae Dominationi paratissima devovemus.

⁴⁹ Secretario S.C. de Prop. Fide, Mario Alberici (1658-1664).

Zyroviciis, 3 novembris 1663.

Vestrae Ill.mae et Rev.mae Dominationis observantissimi servi
Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Polocensis (mp).

Ioannes Pociey, Protothronius Episcopus Vladimiriensis mp.

Procopius Chmielowski, Episcopus Praemisliensis (mp).

Andreas Kwasninski Zloty, Archiepiscopus Smolenscensis (mp).

Barlaam Kozinski, Minscensis et Mscislaviensis Archimandrita

Benedictus Glinski, Archimandrita Kobrynensis (mp).

218.

Zyrovicia, 4 . XI . 1663.

Archiepiscopus Polocensis, G. Kolenda, litteras postulatorias aliorum Pontifici et Congregationi commendat, in causa Canonizationis B. Josaphat.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, v. K. 1, nr. 15. (charta).

Sanctissime ac Beatissime Pater,

Domine, Domine Clementissime.

Post oscula pedum Sanctitatis Vestrae et obsequiorum meorum humillimam pedibus eiusdem subiectionem.

Probe mihi constat Universae Ecclesiae curam Sanctitati Vestrae coelitus esse commissam. Adeo ut quod in ea infirmum est consolides, quod aegrum sanes, quod confractum alliges, quod abiectum reducas, et quod perierat quaeras. Idcirco si quid etiam in me infirmitatis, defectusque alicuius, humanae fragilitatis conditio oculis Sanctitatis Vestrae videndum subiecit, aut alicuius sinistra in me vel leviora in graviora convertit affectio, affectumque Sanctitatis Vestrae Paternum a meis avertit naevis, eandem Sanctitatem securus adoro, ut Paterno suo me accurrentem ad se accipere velit sinu, et benignis imperfectum meum diluere oculis.

Et quia omnes Ill.mi et Rev.mi mei Confratres totiusque Religionis nostrae Primores, supremi in Russia munus Pastoris votis mihi suis deferunt, Vestramque Sanctitatem super eodem deprecantur, uti illorum hac super re veneror affectum, sic Sanctitatis Vestrae altissimo arbitrio meum infimum substerno velle.

Faciat in me quod caelum statuit. Idque ipsum statutum esse censebo quod mecum Sanctitas Vestra facere volet.

Quibus humillima vota adiungens mea Majestatem Divinam precor,
ut omnia fausta Sanctitati V. coelitus accumulentur.

Zyroviciis, Novembris 4, 1663.

Sanctitatis Vestrae humillimus servus

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Polocensis (mp).

Retro: 1665. Beati Josaphat, ut creditur.

219.

Zyroviciis, 5 . XI . 1663.

Supplicatio totius Episcopatus Rutheni pro canonizatione B. Josaphat.

ARCH. S. C. RITUUM. *Postulatoriae*. v. K. 1, nr. 6.

WEŁYKYJ A. G., *Epistolae Metropolitaram Kioviensium*, vol. II, p. 255, nr. 35.

Sanctissime ac Beatissime Pater. Domine, Domine Clementissime.

Praemissa pedum Sanctitatis Vestrae humillima veneratione, et
submisce implorata nobis sanctissima eius benedictione.

A primis renovatae Unionis Ruthenae incunabulis, nullum efflu-
xisse tempus Sedis in nos Apostolicae beneficiis vacuum, et a Maioribus
nostris accepimus, et ipsi superstites adnotavimus. Hinc illa Beatissi-
morum Sedis huius Pontificum effusa liberaliter viscera, quae iuven-
tutem Religionis nostrae, non modo in Urbe Orbis Principe, verum
etiam variis in locis Germaniae, Regnique Poloniae largis impensis ali,
doctrina et pietatis puritate imbui, voluere. Hinc illa ad latus Vestrum
Maternum Ecclesiae Nostratis erectio, quasi filiae dilectae constitutio.
Hinc tot in favorem Religionis et gentis nostrae a Vestra Principe Sede
collata privilegia, quibus Nostra Unio, veluti fortissimis innixa fulcris,
solidum in morem firmata consistit. Hinc tot annorum serie praeter-
lapsorum, apud Serenissimos Poloniae Reges, Rempublicam paternae
pariter commendationis atque protectionis Sacra Vestra Brevia, longis-
sima nobis facta monumenta. Hinc tanta a Schismate caelum terramque
per tot anteacta tempora miscende, potissimum vero hac ipsa rebellione,
telis Acheronticis armato, cum effuso in nos aëreo rore defensio. Hinc
B. Martyris Josaphat ex asse SS.mi Pradecessoris Vestri Urbani VIII,
nil morantibus in contrarium Sedis Apostolicae decretis, gloriose accel-
lerata Beatificatio. Denique quod nos in sancta vivamus uniti fide, et
vivamus immutabili constantia, infracta in adversis fortitudine, et cum
litatione etiam sanguinis nostri, ad fidei aram catholicae vivamus, hanc
vitam vitali Vestrae acceptam referimus benedictioni. Quae S. Sedis

propensi animi erecta nobis indignis monimenta, animant nos, ut humili quidem sed fidenti animo non nostro solum, verum etiam totius cleri ac populi nomine, Vestrae Sanctitati supplicemus, quin memoratum Martyrem supremo Canonizationis in caelo terrestri decorare velit honore. Et vero cum enotuerit nobis, SS.tem Vestram Beatos nonnullos brevi in album Sanctorum velle connumerare, hac usi sacra et praeciosa commoditate, B. Martyrem Josaphat, pro S. Apostolica Sede meritissime trucidatum, cum Canonizationis illorum, tum sumptuum in Canonizatione fieri socium, eo quo par est nisu, et qua integrum est veneratione, iis quibus possumus et tenemur precibus, a Sanctitate Vestra expetimus.

Nos quippe, uti intestinis totius Reipublicae malis summe attriti, uti toties omnes quidem antea, nunc vero nonnulli suis extorres sedibus; uti demum per Schismaticorum, Moschorum, Cosacorum Vatiniana in nos odia cathedris, monasteriis, ecclesiis, praediis pene omnibus incineratis, ad incitas redacti, impensis penitus deficimus. Proinde ad solam, et unicam, et praesentissimam Sanctitatis Vestrae gratiam recurrentes, fide nostra in S. Matrem Ecclesiam Romanam hisce temporibus probatissima, constantissima erga Sanctissimam Beatitudinis Sedem fidelitate, multorum etiam Religiosorum nostrorum, plurium e saeculo praesbyterorum, et nonnullorum laicorum pro eadem fide, et fidelitate profuso sanguine (de quibus latius Rev.mus noster Internuncius) eum a Vestra Sanctitate B. Martyri honorem praestandum, iterum iterumque quam maxima demissae mentis supplicatione deposcimus. Profecto haec SS.tis Vestrae in Unionem effusa charitas, non dumtaxat nos ad omnia quae vel dici, vel concipi possunt praestanda sibi et S. Ecclesiae obsequia magis magisque accendet, sed etiam Ecclesiae nostrae Unitae, quae felicioribus virtutum procedat passibus, uberioribus fidei fluat incrementis, non exiguum momentum adferat. Quin imo, ipsum pervicax schisma dum tantis Unionem Sanctitatis Vestrae affici audiet favoribus et D. Martyre pro eiusdem Sede purpuratum, hoc amplissimo insignitum tuebitur honore, dubio procul emolliendum fore, quasi luculenter speramus. Ipse denique Martyr pro hoc sibi exhibito honore SS.ti Vestrae non modo caelitus (ut pie credimus) uberrimos favores obtinere, sed etiam durum Schisma substernere contendet.

Caeterum ad pedes SS.tis V. cum debita subiectione provoluti Deum optimum precamur, ut Vestram Sanctitatem omnibus suis de caelo et terra muneretur bonis.

Zyroviciis, 5 novembris 1663.

Vestrae Sanctissimae et Beatissimae Paternitatis humillimi servi
Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Polocensis (mp).

Joannes Pociey, Prothotronius Episcopus Vladimiriensis (mp).

Andreas Kwasninsky Zloty, Archiepiscopus Smolencensis (mp).

Procopius Chmielewski, Episcopus Premisliensis et Samboriensis (mp).

Antonius Terlecki, Coadiutor Episcopatus Praemisliensis, Vicarius Dermanensis Monasterii (mp).

Barlaam Kozinski, Minscen. Monasterii Archimandrita (mp).

Benedictus Gliniski, Archimandrita Kobrinensis (mp).

retro : Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Alexandro divina providentia Papae Septimo, S. R. et Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.

220.

Castra ad Boristhenem prope Smolenscum, 12 . XI . 1663.

Paulus Joannes Sapieha Pontifici Romano supplicat pro Canonizatione B. Josaphat.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1, nr. 11 (charta).

Sanctissime ac Beatissime Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Praemissa ad pedes Vestrae Sanctitatis supplici veneratione, eorumque exoscultatione.

Superioribus Vestrae Sanctitatis litteris, quas evoluto biennio de manibus Ill.mi et Rev.mi D. Archiepiscopi Larisseni, Vestrae Sanctitatis Nuntii Apostolici, sub Generalia Regni Comitata, solita erga Sanctam Sedem animi mei devotione acceperam, recte intellexi, quo studio et affectu proceribus Regni huius iurium et iniuriarum Ecclesiae Orientalis Unitae commiserit Sanctitas Vestra propugnationem et vindicias. Adeo ut ea ipsa Pontificia cura et adhortatio Vestrae Sanc. in defensionem S. Unionis promovendam nos erexerit, et licet inconcussos amplius stabiliverit. Quinimo causam eandem periculo etiam ipsius Reipublicae nostrae anteponendam esse duximus et decrevimus. Hinc est ut Vestram Sanctitatem nostras quoque supplicationes confidamus admissuram, quas in promovendo dictae Orientalis Ecclesiae Unitae apud Vestram Sanctitatem incremento praesentare molimur. Eas porro pro impetranda B. Josaphati Koncewicz, Archiepiscopi Polocensis (quem divina bonitas per sanctam illius vitam, et gloriosam mortem atque prodigia honorificasse cognoscitur in caelis) Canonizatione, et suae in caelesti Hierusalem inter Sanctorum Episcoporum et Martyrum choros receptionis per Uni-

versalem Ecclesiam declaratione, pedibus Vestrae Sanctitatis submittimus. Plurimum id etenim non ad solam dumtaxat exaltationem, et solatium atque decus Ecclesiae praedictae, pravitateque erroneam Schysmatis confundendam, sed ad praesentium quoque temporum Regni totius calamitatem (quam Sanctus hic Antistes litteris olim suis, nuper in Bibliotheca Patru mei, bonae memoriae Leonis Sapieha, Palatini Vilmensis et supremi Militiae M. D. Lithuaniae Ducis, repertis, et manu sua ad eundem Leonem scriptis, praedixerat) levandam interesse existimamus, si ad patrocinium nostrum sub celebri in Episcopatibus M. D. Lithuaniae memoria illius inter Sanctos ab Universali Ecclesia colatur, qui peracto inter nos humanae peregrinationis cursu, viam glorioso pro honore Dei a persecutoribus Ecclesiae martyrii exitu complevit; necessitatibus nostris (quod utique proelio ingenti ad Polonkam nuper super Moscis sub tessera et ductu nominis illius feliciter sum ipse expertus) praesto futurus intercessor et adiutor. Quam supplicationem votis plurimorum per Rev.mum D. Chelmemsem et Belzensem Ecclesiarum Antistitem, Ordinis S. B.M. Prothoabbatem, apud Sanctitatem V. deponendis, dum ego humiliter appendo, Pontificiae benedictioni meam supplex devotionem ad pedes V. Sanctitatis substerno.

Dabantur ex Castris ad Boristhenem prope Smolenscum, die XII Novembris A. MDCLXIII.

Sanctitatis Vestrae Domini Nostri Clementissimi
humillimus et devotissimus Servus
Paulus Joannes Sapieha (mp).

221.

Bresta, 12 . XI . 1663.

Palatinus Polocensis, J. Kopec, canonizationem B. Josaphat Pontifici recommendat.

ARCH. S. C. RITUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1, nr. 8 (charta).

Sanctissime ac Beatissime Pater,
Domine noster Clementissime.

Humillima atque devotissima servitia mea, ad Sacros Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, supplex Vestrae Sanctitati defero.

Defuisse meo ipse pietatis officio, in Provincia Palatinatus Polocensis, cuius curam a Regia Maiestate, Domino meo Clementissimo Jurisdictioni meae aliquot ante annos commissam suscepi, arguerer, si in

promovendo B. Josaphat Koncewicz Martyris honore (quem ille Archiepiscopatu eiusdem Palatinatus intulit, dum sanctissimam vitam suam et sanguinem odiis manibusque parricidarum suorum, pro gloria Dei effusum, immolaret) omnium non modo Ecclesiarum, sed Ordinum etiam Reipublicae huius votis singulari me apud Vestram Sanctitate supplicatione mea non annumerarem. Dignabitur Vestra Sanctitas, de summo Regiminis sui culmine, humilitati id meae permittere, quod audeam implorare, ut pro eodem Praesule, quem Dominus in caelestibus agminibus positum, per signa et miracula indicare cognoscitur, in Sanctorum Martyrum Episcoporum Cathalogum referendo, Supremae in terris Authoritatis Decretum Sanct. Vestrae, ad nostrae venerationis officia mereamur obtinere. Id quidem depostulant vel maxime Ecclesiarum Orientalium non modo vota et orationes, ad deprimendum virulenti schismatis errorem fastumque in exaltatione Sancti, quem trucidaverant impii, sed status ipse Provinciarum Regni totius, et M. D. Litthuaniae, quem tanti apud Divinam Maiestatem Intercessoris nostri erigere possemus patrocinio, exigere facile iudicatur. Quod dum suppliciter gratiae Sanctitatis Vestrae et Pontificio iudicio submitto, eiusdem benedictioni meam infirmitatem humiliter substerno.

Dabantur Brestae, XII Novembris anno MDCLXIII.

Sanctitatis Vestrae Domini nostri Clementissimi humillimus servus
Joannes Carolus Kopec, Palatinus Polocensis (mp).

222.

Opole, 20 . XII . 1663.

Instantia pro canonizatione Beati Josaphat.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Ruteni*, vol. 17 (Fondo Vienna), fol. 215.

Em.mi e Rev.mi Principes, Domini, Domini Col.mi.

Dum Sacra Regia Maiestas, Dominus meus clementissimus, sacri politicique ordinis Poloniae Lithuaniaeque proceres nec non Rhussia unita universa pro referendo in catalogum sanctorum beato martyre Iosaphat, Archiepiscopo Polocensi supplicia ad S. Sedem Apostolicam porrigit vota et pro tenera mea qua pr... in beatum praesulem sum animi devotione et quod ei nunc in Rhussia Alba praesum palatinus urbis, quam ipse olim et sudoribus et praesulea mitra tandem sanctissimis sacri cadaveris condecoravit exuviis, non possum continere memet ipsum, quin meum quoque ardentissimum huc conferam votum. Et vero quos ego, quam vos, Eminentissimi per orbem universum sanctae fidei pro-

pagatores, causae adeo sanctae advocavero apud Sanctam Sedem patronos, causae, inquam, eius Pastoris, qui ut fidem sanctam in Rhussia propagaret Vestraeque Purpurae, qua a sanguine martyrum rubetis, vividiorum adderet nitorem, vitam profundere non dubitavit. Adiicite profecto, E.mi Principes, caelo Ecclesiaeque novum splendorem, Poloniae perturbatis rebus propitium praesidium, rebelli a Sancta Sede Rhussiae urgentissimum ad resipiscendum stimulum. Me vero, devotissimam sanctae matris meae Romanae Ecclesiae prolem, ad zelanda uberiora quae exaltandae sanctae matri collatura videbuntur magis magisque accendetis. Quibus mea prona defero obsequia, sacram eorundem devotissimo veneror osculo purpuram.

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum servus

Joannes Carolus Kopec, Palatinus Polocensis mp.

Ad Congregationem SS. Rituum. - A. Manfronus prosecretarius.

223.

Petricovia, 15 . I . 1664.

Tribunal Regni Petricoviae Pontifici Romano supplicat pro Canonizatione Beati Josaphat.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1, nr. 12 (charta).

Sanctissime et Beatissime Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Post oscula Pedum Beatorum Sanctitatis Vetrae humillimam nostram totiusque Tribunalis Generalis Regni (tam ex spiritualibus quam saecularibus congregati) ad Pedes Sacratissimae Sanctitatis Vetrae prosternimus subiectionem.

Haec est Regnorum felicitas quam plurimis Divorum Tutellarium suorum niti Patrociniis, nec prasentium in casum inclinantibus Rebus publicis (quam a Sanctorum intercessione) sperari potest remedium. Experimento nuper idipsum didicimus, dum in procelloso ingruentium undique periculorum, ac bellorum astu constituti et in casum Rebus publicae nostrae labentibus, Divorum (ut credimus) Tutellarium nostrorum intercessione et precibus servati et liberati sumus. Quorum in numero cum Beatus Martyr Josaphat (paucis antehac annis in Caetum Beatorum per Sanctissimum Suae Sanctitatis Praedecessorem relatus) numeretur, ac eundem ut Beatum Martyrem pro fide sancta Catholica crudelissime a Schismaticis interemptum profundo cultu veneremur, supplicandum igitur Suae Sanctitati Domino nostro Clemen-

tissimo censuimus, ut hunc Beatum Martyrem Albo Caelestium adscribere, in numerum Sanctorum referre et sancto illo Caetui dignetur Sua Sanctitas aggregare.

Faciet Sua Sanctitatis, pro Sua admirabili in Deum et Sanctos eius pietate, non caelestibus tantum rem gratissimam Incolis, dum eorum ardentissimi in Divinam Maiestatem zeli renovabit per Canonizationem memoriam, sed etiam afflicto Poloniae Regno magnum conferet consolationis momentum, dum agnoscet Polonia, se non tantum a suorum Divorum Tutelarium Patrocinio non deseri, sed etiam S. Sedem Apostolicam ad suas preces humiles de facili et benigne inclinari. Precamur interim longaeвам ac diuturnam Suae Sanctitati, Domino nostro Clementissimo foelicitatem, filialemque deferimus Sanctitati Vestrae reverentiam et obedientiam, cum humillima obsequiorum nostrorum subiectione.

Datum in Judiciis Generalibus Tribunalis Regni Petricoviae, die 15 Januarii anno Domini 1664.

Sanctitatis Vestae Domini Nostri Clementissimi devoti, humiles et obedientissimi filii et servi

Sigismundus Czyzowski, Episcop. Lacedem., Suffraganeus Plocen. Gnesnensis, Praesidens Tribunalis Regni nomine suo et spiritualium in iisdem Judiciis existentium (mp).

Franciscus Marchio in Mirow Myszkowski, Castellanus Belzensis, Capitaneus Koritnicensis, Marsalcus Tribunalitius Regni Petricoviensis, Lublinensis, nomine suo et saecularium in iisdem iudiciis existentium (mp).

Retro: Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri Domino Domino...
(*L. Sigill. 2.*).

224.

Maciejovia, 17 . II . 1664.

Episcopus Samogitiensis commendat cardinali Orsini causam canonizationis Beati Josaphat.

ARCH. CAPITOLINUM URBIS ROMAE, *Fondo Orsini*, II E. Prot. XXVIII, vol. 221, fol. 352rv.

Si mihi per officii mei negotiorumque rationes liceret, ut illa domi relictæ extra fines patriae pedem me efferre aliquantulum paterentur, equidem tam pii itineris sanctissimique huiusce operis R.mo Domino

Chelmensi ac Belzensi Episcopo nec non Ordinis S. Basilii Magni Pro-
toabbati socium me ac comitem diu agerem, nec per litteras apud sum-
mum totius Ecclesiae ac orbis Tribunal causam beati Iosaphati Kunce-
wicz, Archiepiscopi Polocensis, martyris gloriosissimi caelo iam (ut multa
miracula omni dubitatione maiora docent) in purpuratorum agmen re-
cepti, in terris vero ut quamprimum canonisetur dignissimi, sed coram
agerem. Ut tanto mihi plus fovoris et patrocinii apud SS. mum tute-
larem promererer, quanto plus laboris in promovendo ipsius honore in-
sumerem. Sed cum multae nec parvi negotii expediendae mihi func-
tiones reipublicae incumbant, ut me iis subtrahere minime expediat
persuasumque mihi habeam R.dum Dominum Episcopum Chelmen-
sem, eius negotii legatum, pro sua prudentia et dexteritate nihil omis-
surum fore quod tanti officii excellentia ab ipso exigit; profecto spero
preces meas hisce literis contentas ab Eminentia Vestra repulsum non
iri, sed, quod humillime ohsecro, pios Rev.mi Domini Episcopi, fratris
nostri conatus Eminentiam Vestram consiliis suis directuram, studia
implorato auxilio (fol. 352v) animaturam, preces apud SS.mum ac Cle-
mentissimum Dominum nostrum autoritate sua simul et meas litteras
promoturam esse. Qua pietate sua non tantum Poloniae Regnum, sed
et caelorum ac utriusque incolas, praecipue cuius modo agitur causa, il-
lum ipsum divum Eminentiam Vestram ad vota imo nutus suos obstrictu-
ram, desideria orthodoxorum summe exhilaraturam, abruptam schisma-
ticorum contumaciam extreme sese depressuram esse persuadeat velim,
cuius me gratiae ac patrocinio obnixè commendari cupio.

Ex arce mea Macieioviensi, die 17 mensis februarii anno 1664.

Eminentissimae Celsitudinis Vestrae observatissimus et devotissi-
mus servus.

Alexander Sapieha, Episcopus Samogitien (mp).

225.

Arx Macieioviensis, 17 . II . 1664.

Ep. Samogitien. Pontifici canonizationem B. Josaphat commendat.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1, nr. 13.

Sanctissime ac Beatissime Pater,
Domine, Domine Noster Clementissime.

Inter oscula beatissimorum Sanctitatis Vestrae pedum, ad quae fi-
genda devotissime procumbo animo, haud ingratas, spero me, cum

non paucis ut concilio Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae Senatoribus, Collegis ac Fratribus meis, auribus Sanct. Vestrae offerre preces; quae ubi desideratum sortientur effectum non modo certissimum Patriae nostrae hac in afflictione subsidium, sed clarissimum beatissimo Sanctitatis Vestrae Pontificatui decus, totique Ecclesiae Catholicae singulare optatumque sunt daturae solatium. In hoc quippe omnis labor et studia nostra versantur, ut Divis Tutelaribus nostris, acceptorum ab ipsis hisce calamitosissimis Reipublicae nostrae tempestatibus, beneficiorum gratitudinem, quantam maximam viribus nostris eniti possumus referamus; praecique vero non ita pridem a Sancta Sede Apostolica in numerum Beatorum relato Beato Josaphato Kuncewicz Archiepiscopo Polocensi, quem procul dubio Divina Bonitas, antequam peccatis nostris iuste iurata, immanissimae Schismaticorum iam rebellium Kosakorum (quorum inopinatus successus in societatem armorum cladesque nostri acciverat Luteranos ex Suetia, Calvinistas ex Ungaria) subiiceret, illum ipsum sanctitate vitae admirandum, meritis subblimem, et purpurato martyrii honore decoratum, multisque miraculis tam circa quam post martyrium clarissimum, Patriae nostrae mox graves daturae poenas, indulsisse dedisseque videtur, ut esset in caelis, qui recens aucto Tutelarium nostrorum numero, directa in Patriam suam Divinae indignationis tela, meritorum suorum victima placaret, poenas deprecaretur, opem rebus afflictis imploraret, imploratam afferret. Tandem enim est nobis, ad eum statum in quem nunc res nostras repositas esse orbis totus, quin et ipsi admirantur hostes, nullis unquam humanis viribus ac consiliis perventuras fuisse, nisi laboriosissimis Sacrae Regiae Majest., Domini Nostri Clementissimi nostrisque conatibus iuncta caelestia coeperentur auxilia. Cum igitur summa nostrae totius in hunc Patronum nostrum gratitudinis a nutu et gratia Sanctitatis Vestrae pendeat, quod omnium Ordinum Regni Poloniae magnique Ducatus Lithuaniae vota, quod Ecclesiarum Orientalium a Schismate revocatarum desideria postulant, id ego quoque supplex a Sanctitate Vestra peto, ut B. Josaphatum Kuncewicz, Archiepiscopum Polocen., qui ex evidentibus miraculorum documentis in numerum SS. Episcoporum Martyrum in caelis aggregatus esse ab Orthodoxis creditur, in terris quoque supremae auctoritatis suae Decreto Sanctum Sanctitas Vestra pronunciare et declarare dignetur. Piissimum hoc Sanctitatis Vestra opus, Patria nostra, inter summa, quae a Sanctitate Vestra in ipsam sunt collata, annumerabit venerabiturque beneficia, quae flagrantissimis optata desideriiis, D. Tutelari suo meritis gratificari honoribus; praecipue vero Dioecesis mea Samogitana, quae B. Josaphatum in singularibus colit Patronis.

Quorum omnium votis suffragiisque subscribens, filialem meam,

ea qua par est demissione, pietatem pedibus Sanctitatis Vestrae advolvo, ac substerno.

Ex Arce mea Macieiowiensi, die 17 Februarii Anno Domini 1664.

Sanctitas Vestrae, Domini mei Clementissimi

humillimus et devotissimus servus

Alexander Sapieha, Episcopus Samogitien. (mp).

226.

Luskoviciis, 23 . II . 1664.

Archiepiscopus Gnesnensis, Venceslaus, canonisationem B. Josaphat Pontifici Alexandro VII recommendat.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae* v. K. 1, nr. 14 (charta).

Sanctissime ac Beatissime Pater,

Domine, Domine Clementissime.

Post oscula Pedum Beatorum Sanctitatis Vestrae.

Cum admirabilis in terris sanctitas, sempiterna in caelis felicitate commutata, incredibilis zelus Unionis Ecclesiae Catholicae in ritu Graeco propagandae, Beati Josaphat Koncewiczj Archiepiscopi Polocensis, dudum iam omnium votis a Sanctitate Vestra, caelestes in terris praestolatur honores, gelidus hic noster Septemtrio, quem ille tot virtutum, sanctitatisque exemplis quasi theatrum quoddam instruxit, hoc ardentissima a Sanctitate Vestra efflagitat prece, ut Divorum Tutelarium, nutu et imperio Sanctitatis Vestrae, augeat album. Non recensebo viri Sancti prolixius celebrantissimam pietatem, summamque vitae innocentiam: sufficiat innuisse, quod barbara Schismaticorum crudelitate interemptus, Chatholicae fidei zelum proprii sanguinis tinxerit purpura. Complura ob obitu Beati Viri posthumae sanctitatis extant testimonia, multisque miraculis Servi Dei summa vitae integritas comprobatur. Gloriosae memoriae Praedecessorum Sanctitatis Vestrae aliqua iam extant sacra rescripta, quae Divi huius sacra Apothesi decorandi spem faciunt. Nunc cum religiosus ordo Sancti Basilii, cuius olim vixit Alumnus Beatus Josaphat, negotium hocce ferventius promoveat, Sanctitatis Vestrae Beatis Pedibus repetitas substernat obsecrationes, ut Divus hic eorum numero adscribatur, quos militans Ecclesia solemni veneratur cultu. Nec ego aequissimo non minusque pio erga Beatum hunc studio non possum suffragari. Provolutus Beatis Sanctitatis Vestrae Pedibus humillime postulo, oroque, non differat hominem Divinum in eorum referre

numerus, quorum vitae sanctimoniam, et christianam perfectionem vivis non adumbravit, sed expressit exemplis. Faciat Sanctitas Vestra rem Divini Numinis laudi, Christianaeque pietatis incremento maxime consentaneam, et pro longaevo prosperoque Sanctitatis Vestrae regimine, inter Beatos illos Spiritus, Dei throno adstantes, Divus hic ferventius interveniet. Nostro vero Aquiloni, tot bellorum procellis inhorrescenti, optatam impetrabit tranquillitatem. Hoc igitur Regnum Poloniarum, annexaeque Provinciae de Paterna Sanctitatis Vestrae pollicentur sibi benevolentia.

Ego interim Sanctitatis Vestrae iterato beatissimos exosculor pedes, et me humillimum clientem gratiae, Paternaeque Sanctitatis Vestrae protectioni commendo.

Dabantur Lyskoviciis, die 23 Februarii 1664.

Sanctitatis Vestrae subiectissimus Servus et indignus sacellanus Venceslaus, Archiepiscopus Gnesnensis (mp.).⁵⁰

227.

Ratisbona, 30 . IV . 1664.

Leopoldus Imperator Austriae petit pro canonizatione Beati Josaphat.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1, nr. 3 (pergamena magna).

Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime.

Post officiosissimam commendationem filialis observantiae continuum incrementum.

Clam Sanctitate Vestra non erit quo studio atque fiducia colendissimus quondam Dominus Avus noster Ferdinandus Secundus, Romanorum Imperator,⁵¹ inclytæ memoriae cum ad eundem fama ipsa perlatum fuisset quibus miraculis B. Josaphat Polocensis quondam in Ruthenis Archiepiscopus, propter fidem catholicam a Schismaticis interemptus post obitum effulgeret, ab Urbano octavo quondam Pontifice maximo petierit, ut convenientes dicto Archipraesuli in terris quoque honores pro autoritate sua Apostolica decernere vellet.

Cum igitur eundem Dominum Avum et Pradecessorem Nostrum Beatificationem dicti Servi Dei iam tum impetrasse, idque adhuc unicum

⁵⁰ Venceslaus Leszczyński, Primas Poloniae (1658-1666).

⁵¹ Ferdinandus II, Imperator S. Romani Imperii (1619-1637). Hic vero agitur de Leopoldo I (1657-1705).

superesse intelligamus, ut rite etiam ac legitime canonizetur, sane ea aliisque Christiani populi Unionem concernentibus de causis ad Sanctitatem Vestram proficiscenti Reverendo devoto nobis dilecto Jacobo Susza, Episcopo Chelmensi, tametsi Sanctitatis eiusdem Vestrae in rei christianae amplificationem, eiusque cultus illustrationem zelus atque studium Nos minime lateat, hasce tamen litteras pro singulari cum erga Sanctos Dei devotione, tum erga Sanctitatem Vestram fiducia nostra dandas, eandemque studiose requirendam duximus, ut dicto Episcopo cum in hoc canonizationis tum in aliis quoque negotiis suis ita se liberalem propensamque exhibere velit, ut et dictus B. Josaphat meritos sibi inter mortales quoque honores decretos esse gaudere possit et populus Ruthenus ea ratione in unione cum Ecclesia sancta magis confirmetur. Quod reliquum est Sanctitatem Vestram Populo Dei in nostrum et commune solatium quam diutissime praeesse ex animo vovemus.

Datum in civitate nostra Imperiali Ratisbonae, die trigesima mensis Aprilis, Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, Regnorum Nostrorum Romani sexto, Hungarici nono, Bohemici vero octavo.

Obsequens filius.

Leopoldus (mp.).

Infra: Summo Pontifici pro Canonizatione B. Josaphat Archiepiscopi Polocensis.

Verso: Beatissimo in Christo Patri Domino Alexandro Septimo Divina providentia Sanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

(*Sigillum magnum imperiale*).

Leopoldus D. G. II etc...

228.

Roma, 7 . X . 1664.

Instantia monachorum Basilianorum pro canonizatione Beati Josaphat.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 33, fol. 148, nr. 30.

WELKYJ A. G., *Acta S. Congr. de Prop. Fide*, vol. I, p. 306, nr. 520.

CONG. 88 — 7 Octobris 1664 (f. 139).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide, in Aula eiusdem S. Congregationis, cui interfuerunt Emin.mi et Rev.mi Domini Cardinales, videlicet: Ginettus, Brancaccius, Durazzius, Albizius, Azzolinus,

et Celsus, nec non RR. PP. DD. Manfronus, Prosecretarius, et Fanus; et in ea primo retulit Prosecretarius.

Relationes Emin.mi Sfortiae.

Li monaci di S. Basilio, Ruteni uniti, rappresentano, che sarebbe di somma consolatione à tutta la loro Nazione, e di grand'animo a quei Cattolici se Nostro Signore si degnasse di far ascrivere nel numero de Santi il B. Giosafat, Martire della loro Religione, già Arcivescovo di Plosco, che fu beatificato dalla s. m. di Urbano 8°, e supplicano l'EE. VV. di promoverne l'istanza appresso S. Santità.

Vi è una lettera simile del Palatino di Plosco.

Rescriptum.

Ad S. Congregationem Rituum.

229.

Roma, 29 . X . 1664.

Instantia PP. Basilianorum pro Canonizatione B. Josaphat ad S. C. Rituum transmittitur.

APF, *Lettere volgari*, vol. 42, fol. 156v.

WELYKYJ A. G., *Litterae S. C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 255, nr. 382.

A Monsignor Casale.

29 Ottobre 1664.

Li Monaci di S. Basilio, Rutheni uniti, hanno rappresentato alla Sacra Congregatione, che sarebbe di somma consolatione a tutta la loro Nazione, e di grand'animo à quei Cattolici, se la Santità di Nostro Signore si degnasse di fare ascrivere nel numero di Santi il B. Giosafat Martire della loro Religione, già Arcivescovo di Plosco, che fu beatificato dalla s. m. d'Urbano 8°, supplicando perciò di promoverne l'istanza appresso la Santità Sua. E questi sapendo esser negotio spettante à cotesta S. Congregatione m'han comandato di rimetterne il memoriale à V. S. Ill.ma, si come faccio con la presente. Et a V. S. Ill.ma bacio riverentemente le mani, etc. etc...

230.

Ad Borysthenem, 12 . XI . 1664.

Instantia pro canonizatione Beati Josaphat.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Rutheni*, vol. 17 (Fondo Vienna), f. 217.

Emin.mi et Rev.mi Domini, Domini Colendissimi.

Post peractum sanctae peregrinationis suae cursum, glorioso per odia et manus impiorum pro honore Dei occasu et ad aeterna transitu sui honoratus, beatus Josaphat Kuncewicz, Archiepiscopus Polocensis, quantum suis apud Dominum exercituum possit precibus, etsi praesens aliquot iam provinciarum ab atrocissimis Unionis Sanctae et eiusdem nostrae patriae hoste recuperatarum status exhibeat orbi christiano, tamen cum id praecipue prosperrimo ante triennium in Magno Ducatu Lithuaniae ad oppidum Polonka dictum proelio indicaverit patrocinium illius, sub signo et tessera nominis sui invocatum, merito ignarus esse tanti beneficii (quod ductu tunc meo, dum arcem meam Lachovicensem frustra hostis idem occupare niteretur, militia Magni Ducatus Lithuaniae retulerat) existimarer, si inter publicas Sacrae Regiae Maiestatis et tot procerum atque adeo Ecclesiarum ritus utriusque supplicationes et vota pro canonisatione sancti martyris singularibus aq. SS.mum Dominum Nostrum precibus meis et apud Sacrum de Prop. Fide Celsitudinum Vestrarum Colegium humili hac interventione mea non conferrem. Vindicavit olim, Sigismundo III regnante, bo. me. patruus meus Leo Sapieha, Palatinus Vilmensis, supremus Magni Ducatus Lithuaniae (f. 218) belli dux, autoritate commissariali innocentissimum martyris sanguinem, punito parricidio.⁵² Reposuit deinde sacras animae beatissimae exuvias (extracto in ecclesia archiepiscopali Polocensi magnifico mausoleo) in urnam purissimi argenti filius eiusdem Leonis, Procancellarius Magni Ducatus Lithuaniae, Casimirus Leo Sapieha, martyris sancti gratias singulares experti, insignes deinde ipsi Sanctae Unionis, dum viverent, defensores promotoresque, ut non immerito ipsorum quoque memoriam honori sancti martyris et petitioni huic meae apud Vestras Celsitudines adiciam. Favebunt quocirca hisce omnium nostrorum votis et supplicationibus suffragia Celsitudinum Vestrarum apud SS.mum Dominum Nostrum, me vero ipsum et humillima servitia mea gratiae et benevolentiae earundem Eminentiarum Vestrarum animitus comendo.

Dabantur ex Castris ad Borysthenem prope Smolenscum, XII novembris anno MDCLXIV.

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum humillimus servus.
Paulus Joannes Sapieha, mp.

(fol. 218v): 7 decembris 1664. Instanza per la canonizatione del B. Josaphat.

⁵² Leo Sapieha, tunc iam Palatinus Vilmensis, nominatus fuit mense decembri 1623 Commissarius ad puniendos parricidas Vitebscenses. Decretum Commissariale, valde durum, cfr. in primo volumine *Documentorum Beatificationis*. Romae 1952, pag. 264-281.

231.

Roma, 25 . II . 1664.

*Instantiae Episcopi Chelmensis etiam in causa Beati Josaphat (excerptum).*APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 20, fol. 217-231 (229rv).WELKYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 308-322 (320), nr. 523.

Die 25 Februarii 1665. Fuit Congregatio particularis super negotiis Ruthenorum unitorum in Aula Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, cui interfuerunt Em.mi et Rev.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Pallotta, Fachinettus, Albitius, Rospigliosius et Celsus, nec non R.P.D. Manfronus, Secretarius.

Per le gravi dissensioni...

Istanze di Mons. Vescovo di Kelma in nome di tutti e Vescovi e Monaci Rutheni uniti...

61. Il P. Pacomio dice che i suoi Monaci comunicano sempre in Rito Latino, e tengono in una custodia le particole consacrate da Sacerdote Latino, se bene qualche volta si fan lecito gl'istessi Monaci di consacrare in Azimo, stimando di poterlo fare ex Epicheia in casu necessitatis, col consiglio de P. Giesuiti.

62. Che possa trasportare in Kelma il corpo del Vescovo suo Antecessore, che nel principio della guerra con i Cosacchi fu da quei Canonici portato à Crasnostava, quattro leghe lontana da Kelma, mentre egli stava in esilio.⁵³

63. Che nella Chiesa di Zirovici possano dimorarvi 4 Teologi con il privilegio di Penitentieri Apostolici, et uso delle verghe, conforme sono nella Chiesa di Crasnostavia, atteso che vi è grandissimo concorso di popolo, e vi vanno anche quelle Maestà per la veneratione di una immagine della Madonna, la quale solendosi porgere a baciare à i fedeli, si desidera per questo qualche indulgenza.

64. Che promovendosi la canonizatione del B. Stanislao Kostka vi si unisca anco il B. Josafat, Martire, et in tanto sen' ordini il (f. 229v) Processo, e perche il corpo del medesimo vien diminuito à poco a poco da quelli che ne prendono i pezzi per divotione, si proibisca sotto pena di scomunica il levarne più ne meno una minima particella.

64. *Scritto al Segretario della S. C. de Riti. - V. Reg. Lett. vol. 50, pag. 102, pag. 69.*

⁵³ Agitur, ut videtur, de Methodio Terleckyj, Episcopo unito Chelmensi (1629-1649).

232.

Roma, 18 . III . 1665.

*Ut prohibeatur subtrahere particulas de corpore Beati Josaphat.*APF, *Lettere volgari*, vol. 50, fol. 106.WELYKYJ A. G., *Litterae S. Congr. de Prop. Fide*, vol. I, p. 258, nr. 387.

Á Monsignor Casale, Secretario della Congregazione de Riti.

Alcuni mesi sono trasmisi à V. S. Ill.ma d'ordine di questa S. Congregatione l'istanza, che li Monaci Basiliani rutheni havevano fatta per la Canonizatione del Beato Giosafat, Martire, che fu Arcivescovo di Plosco, e perchè il corpo del medesimo viene diminuito à poco à poco da quelli, che ne prendono per divotione, hanno hora supplicato che si proibisca sotto pena di scomunica il levarne più ne meno una minima particella; onde questi etc. sapendo esser negotio di cotesta S. Congregazione mi hanno imposto di darne parte à V. S. Ill.ma come eseguisco con la presente, e le bacio riverente le mani, etc. etc...

233.

Grodno, 30 . VII . 1665.

*Instantia Nobilium pro canonizatione Beati Josaphat.*BIBL. VAT., *Barb. lat.* 2167, fol. 31-32.

Em.me et Rev.me Princeps, Domine, Domine et Patrone Col.me.

Multis atque adeo recentissimis titulis obligati divo tutelari nostro beato Iosaphat Kuncevicio, Archiepiscopo Polocensi, Episcopo Vitebscensi, Sacra pro Unione graeci ritus martyri, praesentissimum malis nostris (quibus tamdiu atterimur Lituani) non dubitamus remedium fore, si eius, cuius beneficiis spe nostra magis inter pericula sustentamur, singulariore cultu nostro pro modulo responderimus. Novimus etiam apud coelites pro beneficiis gratitudinis volere stipendium eo forte benignius acceptandum, quo offertur devotius. Licuit hactenus hunc divum titulo Beati, privata pietate Regno dumtaxat in nostro coluisse, multum credimus et nobis fiduciae in divum et divo nostri patrocinii accessurum, si eis quotidianis beneficiorum incrementis, auctam etiam cultus maiestatem (quae optatissime fieri potest solemni eiusdem Sanctos inter

annumeratione) promotam sudaverimus. Atque dum hunc cultum beati nostri devotissima supplicatione apud Suam Sanctitatem proponimus et ad sacrorum suorum pedum oscula expetimus, maximum emolumentum et columen rei nostrae Suae Emin.mae Celsitudinis suffragio accessurum non dubitamus; quo interim Sua Em.ma Celsitudo et Beati gratias et Rempublicam nostram tenebit obligatiorem.

Grodnae, iulii 30, 1665.

Eminentissimae et Rev.mae Celsitudinis Vestrae obsequentissimi servi.

Alexander Sapieha, Episcopus Samogitiae.

Casimirus Pac, Episcopus Smolenscensis et Severiensis.

Paulus Joannes Sapieha, Palatinus Vilnensis, generalissimus exercituum Magni Ducatus Lithuaniae dux et senator.

Christophorus in Batiszki Zawisza, marchalcus supremus et Senator Magni Ducatus Lithuaniae mp.

Nicolaus Stephanus Pazz, Palatinus Trocensis, Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae Senator.

Georgius Carolus Hlebowicz, generalis Ducatus Samogitiae Gubernator, Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae Senator.

Michael Pazz, Palatinus Smolenscensis, exercituum Magni Ducatus Lithuaniae campiductor et Senator.

Alexander Naruszewicz, Procancellarius et Senator Magni Ducatus Lithuaniae.

Hieronymus Kryspin Kirszenstein, Supremus thesaurarius et Senator Magni Ducatus Lithuaniae. (fol. 31v).

Ioannes Carolus Kopec, Palatinus Polocensis, Magni Ducatus Lithuaniae Senator.

Melchior Stanislaus Sawicki, Castellanus Brestensis.

Georgius Niewiarowski, Referendarius Magni Ducatus Lithuaniae.

Sigismundus Sluska, Vexillifer Magni Ducatus Lithuaniae, Capitaneus Rzeczycensis.

Andreas Kotowich, Notarius per Magnum Ducatum Lithuaniae, Gubernator Grodnensis.

Gregorius Podbereski, Praefectus culinae Magni Ducatus Lithuaniae.

Simon Adalbertus Mliniecki, Canonicus Vilnensis, Regens Cancellariae Magni Ducatus Lithuaniae.

Michael Leo de Druck Sokolinski, Mareschalcus Orsanensis.

Joannes Antonius Chrapowicki, Succamerarius palatinatus Smolenscensis.

Joannes Casimirus Kierdey, Vexillifer Grodnensis, Prevalscensis Gubernator.

Hieronymus Soltan, Subcamerarius Starodubiensis.

Nicolaus Rossochacki, Iudex terrestris palatinatus Trocensis, Capitaneus Niemonicensis.

Hieronymus Komar, Subiudex Orsanensis.

Nicolaus Vladislaus Judicki, eques Melitensis, Castellanus Novogrodensis, artillerii Magni Ducatus Lithuaniae generalis et Senator.

Alexander Sielski, Castelanus Gnesnensis.

Cyprianus Paulus Brzostowski, Referendarius et Notarius Magni Ducatus Lithuaniae.

Martianus Oginski, Dapifer Magni Ducatus Lithuaniae, Rohaczewiensis, Dorsuniscensis Capitaneus, Colonnellus Sacrae Regiae Maiestatis.

Adalbertus de Czechanowiec Czechanowiecki, castrorum metator Magni Ducatus Lithuaniae.

Ladislaus Georgius Chalecki, supremus excubiarum Praefectus Magni Ducatus Lithuaniae.

Stanislaus Zenowicz, Succamerarius Vilcomiriensis.

Constantinus Alexandrowicz, Iudex districtus Grodnensis.

Ioannes Krosnowski, Iudex terrestris Novogrodensis, Capitaneus Dzievieniensis.

Stanislaus Vladislaus Tryzna, Iudex Terrestris districtus Volkowiecensis.

Alexander Wojna, tribunus Vitebscensis.

Casimirus Sapieha, Thesaurarius curiae Magni Ducatus Lithuaniae, Brestensis Gubernator.

Benedictus Sapieha, Subdapifer Magni Ducatus Lithuaniae.

Alexander Kotowicz, scholasticus Vilmensis, Sacrae Regiae Maiestatis Secretarius et Regens Cancelariae Magni Ducatus Lithuaniae.

Michael Obuchowicz, Succamerarius Novogrodensis.

Vladimirus Theodorus Kamienski, Vexillifer palatinatus Mscislaviensis.

Casimirus Puchalski, Subdapifer Minscensis, decretorum Magni Ducatus Lithuaniae Notarius.

Traianus Strawinski, Subiudex Osmianensis.

Casimirus Theophilus Kuncewicz, tribunus districtus Lidensis, Secretarius Sacrae Regiae Maiestatis.

Michael Eustachius Stankiewicz, Eiragolensis, Twerensis capitaneus.

Joannes Carolus Bilewicz, Subdapifer Ducatus Samogitiae.

Laurentius Odlaniski Poczobut, Subiudex Vilkomiriensis.

Michäel Casimirus de Zegne Wollminski, Subiudex Upithensis.

Ioannes Inalewicz, Dapifer districtus Caunensis.

234.

Grodna, 30 . VII . 1665.

Instantia Nobilium et Officialium Magni Ducatus Lithuaniae pro canonizatione Beati Josaphat.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. (charta).

Sanctissime Domine, Beatissime Pater.

Fatiscenti in dies Patriae gravi sub bellorum mole, utcunque humerum supposituri Ordines Magni Ducatus Lithuaniae, a Sacra Regia Maiestate, Domino Nostro Clementissimo, ad Conventum Grodnensem convocati, primas inter curas non ignoravimus a solis Superis impetrandum pacis respirium, cui iam vel promittendo terra non sufficit. Quod quidem eo fidentius sperare possumus, quo propitia Divorum Tutelarium nostrorum numina, praesentissimis beneficiis, adhuc abunde experimur. Hos inter cum Magni Patriotae nostri, Beati JOSAPHAT KUNCEVICII, Archiepiscopi Polocensis, Episcopi Vitebscensis, Sacra pro Unione Ritus Graeci Martyris, tam antiqua quam recentia nuperis cum hoste conflictus coelitus subsidia accepisse ac agnovisse licuerit, tam grati nondum sumus, quin pro beneficiis, quae a Coelo recipimus, cultu devotissimo in terris respondere adnitamur. Hinc est quod ad Beatissimos Sanctitatis Tuae Pedes provoluti, supplicii osculo petamus, ut hunc Beatissimum Tutelarem, quem hactenus privata duntaxat in Regno nostro pietate coluimus, eundem per pastorem Sanctitatis Tuae potestatem Sanctos inter, laudatissimo Sacrosanctae Ecclesiae ritu, denuntiatur orbi gratulemur. Addit spem votis nostris Apostolicus Sanctitatis Tuae Regnum in nostrum favor, quem eo adhuc Tua Sanctitas explicabit patentius, quo Divum Tutelarem nostrum nobis Patronum dabit solemnus. Addat animum indefessum in Tua Sanctitate schismatis radicitus evellendi studium, Graecique Ritus Ecclesiarum, quam strictissima unione, Sacrae Romanae Ecclesiae adstringendarum unicus labor; quem eo felicius successurum Tuae Sanctitati non dubitamus, quo oculatiore indicio Sanctae Unionis pretium hoc Romano cultu Divi pro Unione Martyris a Sacra Romana Ecclesia videbit orbis aestimatum. Nos porro hoc Tuae Sanctitatis aucti beneficio (quo secundum pastorem suam in terris orbis christiani sollicitudinem Coelites ipsos nobis ad tutelam novis titulis Tua Sanctitas demerebatur), tanto alacrius proprio pro Orthodoxa Fide non parcemus sanguini, quanto laetius nostrum in Beato Martyre sanguinem Romano-Catholicis gaudebimus Laureis triumphare. Atque hic Sacris Tuae Sanctitatis plantis devotissimum figimus osculum.

Datum Grodnae, Julii 30 1665.

Sanctitatis Vestrae, Domini nostri Clementissimi humillimi servi
Alexander Sapieha, Episcopus Samogitiae.

Casimirus Pac, Episcopus Smolenscensis et Severiensis.

Paulus Joannes Sapieha, Palatinus Vilmensis, generalissimus exerci-
tuum Magni Ducatus Lithuaniae dux et Senator.

(*Sequuntur aliae subscriptiones earundem personarum ac in litteris
praeedentibus, numero 46*)

Duo ultimi ordine subscripti :

Joannes Carolus Bilewicz, Subdapifer Ducatus Samogitiae.

Michaël Eustachius Stankiewicz, Eiragolensis, Twerensis Capita-
nesus m. p.

235.

Suprasl, 29 . IX . 1665.

*Gratias agit pro Metropolia sibi concessa, supplicat pro canonizatione
B. Josaphat, et commendat Hospitium SS. Sergii et Bacchi.*

AFT, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.* (Fondo Vienna), vol. 18, fol. 261rv.

WELYKYJ A. G., *Epistolae Metropolitae Kioviensis*, vol. II, p. 257, nr. 36.

Eminentissimi ac Reverendissimi Principes, Domini, Domini
et Patroni Col.mi.

Quem a possidenda Metropolia Russiae tot arcebant adversa, beni-
gnitate Eminentiarum Vestrarum ita comparatum est, ut tandem eius
conscenderim thronum. Prius tamen iuramento in praesentia Ill.mi
Nuntii emisso meam Sanctae Sedi contestatus sum fidelitatem. De quo
ille ipse Vestris Eminentissimis Celsitudinibus, vel iam denunciavit,
vel brevi denunciaturus est. Quibus per Eminentias Vestras cumulatus
favoribus licet nunquam condignam, eam tamen quam possum rependo
gratitudinem. Unicum vero in demissis votis altissime haeret, ut quibus
consiliis, qua prudentia quave beneficentia nos per schismaticam poten-
tiam vix non obrutos, fovere Eminentiae Vestrae caeperunt, iis nunc
etiam mihi, in hac Dioecesium amplitudine constituto capiti, opitulari
vellent.

Canonizatio B. Martyris Josaphat, ut confundendo Schismati summe
necessaria, ita solatio Unitorum praesentissima Eminentis Vestris sit
cordi. Pro qua nomine omnium Confratrum meorum, totiusque Ecclesiae
Unitae humillime Vestris Celsitudinibus supplico. Redeant nobis afflictis,

aurea Sedis Apostolicae erga nos quondam propensae tempora. Siquidem aucta non diminuta Unitorum hac tempestate pro Sancta Sede Apostolica caesorum sint merita. Et sane non invanum opinamur eosdem Schismaticos, si eam consequemur ex gratia Sanctissimi ocyus Canonizationem, in duritia sua emolliendos, et facile ad Unionem pertrahendos.

Porro locum SS. Sergii et Bacchi pro gentis nostrae devotione, et receptaculo, in gremio S. Matris Ecclesiae destinatum, ipsis etiam Schismaticis celebrem, sed pauperem, summopere pietati Vestrarum Eminentiarum commendo. Simulque confundor quod ob haec difficillima patriae tempora non valeam ipse quicquam illi subministrare. Et vero miramur omnes, quandam scissionem a Religiosis a nobis Praelatis meditari, et praeiudicium iuribus Metropolitanis velle inferre, super quo conciliationem ipsi tam Religiosi, quam Praelati factam, per Reverendissimum Chelmensem miserant, et modo aliquid novi exoritur. Sed de hoc latius eidem R.mo commisi proponendum. Vestras autem Eminentissimas Celsitudines obnixè rogo, ut ei scissioni obviare dignentur, ne peiora sequantur. Me vero Ecclesiamque meam vestrarum Eminentiarum favori, et paternae protectioni quam humillime commendo, et earum Sacras Purpuras exosculor.

Suprasly, 29 Septembris, Anno 1665.

Vestrarum Eminentissimarum Celsitudinum humillimus Servus
Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolitanus totius
Russiae.

236.

Minsk, 12 . X . 1665.

Alia instantia pro canonizatione Beati Josaphat.

BIBL. VAT., *Barb. lat. vol. 2166, fol. 70.*

Em.me Princeps ac Rev.me Domine, Domine, Patrone Col.me.

Plurium supremo Magni Ducatus Lithuaniae tribunali competit laetari, dum Vestrae Em.mae supplicat Celsitudini, a cuius gloriosissimo patruo Urbano VIII, Pontifice Maximo, zelosissimum martyrem Iosaphat beatorum catalogo esse illatum probe novit. Ideoque non modicam spem omnes concipimus Vestram Em.mam Celsitudinem ita eundem martyrem apud SS.mum Dominum Nostrum totumque Purpuratum Ecclesiae Sanctae senatum ad celsissimam canonisationis dignitatem promoturam, ut maximum illi pondus sua supplicatione sit allatura. De quo

minime dubitando, a toto patriae meae Tribunali Vestrae Em.mae Celsitudini omnia de caelo terraque desiderabilia intime precor ac voveo.

Datum Minsci, die 12 octobris 1665.

Eminentiae Vestrae humillimus Servus

Nicolaus de Czechanowic Czechanowiecki, Palatinus Mscislaviensis, supremus Mareschalcus Iuditorum Tribunalitiorum Magni Ducatus Lithuaniae.

237.

Minsk, 20 . X . 1665.

Supplicatio pro canonizatione Beati Josaphat ad Cardinalem Barberini.

BIBL. APOST. VAT., *Barb. lat.* 2166, fol. 73.

Em.me et Rev.me Princeps, Domine, Domine et Patrone Col.me.

Quem olim ob incredibilem animi fortitudinem et profusum pro Ecclesia Dei generosum sanguinem Vestrae Em.mae Celsitudinis gloriosus patruus Urbanus VIII beatae caelorum adscripsit militiae, pro eodem nunc invictissimo heroe, beato nimirum Iosaphato Kuncevicio patria nostra et ego cum ea Vestrae Eminentiae ut demissis sic ardentibus supplico votis, velit a SS.mo Domino Nostro omni flagitare contentione, qui tam forti et gloriosi Dei militi victricem sanctorum porrigere velit palmam et toti eam catholico orbi colendum proponere. Sentiat strenuissimus martyr non solum sibi domum Vestram Amplissimam ad beatificationem suam profuisse, sed canonisationi magnum pondus adiecisse. Quod cum voto potiti fuerimus omnes, qua Sanctitatis Suae eam praecellentem gratiam, qua Vestrae Em.mae Celsitudini efficacem intercessionem memori ac grato cum posteris nostris recolemus animo. Valere interim prospere divini nominis gloriae et Ecclesiae Sanctae Vestram Em.mam Celsitudinem animitus opto.

Eminentiae Vestrae obsequentissimus servitor

Nicolaus Vladislaus Judicki, eques Melitensis, Castellanus Novogrodensis, artillerii Magni Ducatus Lithuaniae generalis mp.

238.

Minsk, 23 . X . 1665.

Instantia pro canonizatione Beati Josaphat.

BIBL. APOST. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2166, fol. 65.

Em.me et Rev.me Princeps, Domine, Domine et Patrone Col.me.

Non ingrato silentio beati praesulis et martyris Josaphat involvendos labores, sed orbi pateficiendos quisque catholicum zelum spirans assereret. Fuit ille nostri quoque palatinatus Novozelator, imo facile in munere apostolico princeps, cum Superiorem Zyroviciis ageret quippe posterius superstites illarum familiarum, quas genuerat in Christo, fatentur suos parentes, alios quidem irretitos falsis sectarum doctrinis, alios voluptatibus deditos opera Iosaphati emersisse aliquando et se ad bonam recepissem frugem. Cum autem divinatorum omnium divinissimum sit saluti animarum incumbere, quis valeat Iosaphati conatus eo collineatos adumbrare? Innocens vita, numerosae conversiones, sanguinis liberalis profusio, millena et millena miracula sat eloquenter perorant bene meritum Josaphat de Sancta Romana Ecclesia, de fide catholica, de primatu Pontificis. Vestram ideo Em.mam Celsitudinem concernit Sanctissimi Domini inducere animum, ut Sanctissimi Patru vestri Urbani VIII insistens decreto, de eo ante lapsos quinquaginta annos canonizando, appropere eidem sanctitatis gradum. Hoc si genti Ruthenae Emin.ma Celsitudo Vestra praestabit, augustum reliquet beneficentiae monumentum. Cui ego augeri semper meritis in conspectu Ecclesiae Dei meis expeto votis.

Datum Minsci, 23 octobris anno 1665.

Eminentissimae Celsitudinis Vestrae humillimus servus

Christophorus Wolotkowicz, Palatinus Novogrodensis mp.

239.

Vilna, 25 . X . 1665.

Instantia Palatini Trocensis de canonizatione Beati Josaphat.

BIBL. APOST. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2166, fol. 69.

Em.me ac Rev.me Princeps, Domine, D.ne et Patrone
Colendissime.

Iste totius reipublicae nostrae sensus est, ex quo etiam tot et tantae tamque humiles et ardentes ad Sanctitatem Suam Sanctamque Matrem Ecclesiam profluxere supplicationes, si beatus martyr Iosaphat, Polocensis dignissimus pontifex, de gratia Sanctissimi Domini Nostri ad altissimum in Ecclesia Dei sanctificationis culmen eveheretur; desiderabilia multa nobis et patriae nostrae secutura ipsamque in finibus eius abundantiam pacis. Hoc nos ipse beatus sperare facit, qui postquam

immane Vitepscum suo sanguine prosperisset et accurrere ad eum miraculis statim post fata inclarescentem omnes incepissent, Sacra Regia Maiestas Sigismundus III victoriam continuo de rebellibus cosacis, schisma tunc promoventibus remque publicam demolientibus, nobilissimam reportavit. Quae sanguini divi Josaphat profusio, a viris prudentia et sanctimonia celebribus adscripta est. Sub Polonna vero anno 1660, ducibus Paulo Sapieha et Stephano Carneccio, post invocatum eius nomen et pro tessera toti exercitui datum, fortissima moschorum manus, modica nostra, aliquot horis, in vigilia SS. Petri et Pauli gloriose contrita est, ut clare enotesceret beati Iosaphat, pro divi Petri sede caesi, potens patrocinium. Unde si memorata divus martyr honoratus esset amplitudine maioreque ex eo veneratione ubique coleretur, crediderim vicissim ipsum fidei catholicae gratum futurum et patriae nostrae mala amoliturum. Proinde omni Vestram Eminenttissimam Celsitudinem oro sollicitudine, SS.mum Dominum supplex exoret, ut eam referamus consolationem. Quibus illud intersero, ut Vestram Eminentiam quam diutissime ad gloriam Dei in Sancta Ecclesia florentem audire merear.

Vilnae, 25 octobris 1665.

Eminentiae Vestrae obligatissimus servitor

Nicolaus Stephanus Pazz, comes in Rosana Palatinus
Trocensis, Senator Regni Poloniae et Magni Ducatus
Lithuaniae.

240.

Varsavia, 29 . X . 1665.

De canonizatione Beati Josaphat.

BIBL. AP. VAT., Barb. lat., vol. 2170, fol. 190.

Em.me Princeps, Domine et Patrone Colend.me.

Habet unde de inclyto martyre Iosaphat Lithuana sibi gratuletur Respublica, cum illi sua aperiat vota, qui aeterno plane consilio in patronum ei destinatus sit. Habet etiam quod gratuletur sibi Vestram Celsitudinem certo non defuturam sua instantia apud Sanctissimum Dominum pro eodem canonisando. Ex Vestra enim Celsissima domo, per sanctissimum Urbanum VIII cultu Beati condecoratus illustrior catholicae innotuit Ecclesiae. Ille profecto veluti preciosus unio carissimus sanctae Unioni nativa corporis sui perfracta concha sanguineque mardente infixus martyrum coronae, etiamnum ut verus Christi athleta

ostendit vulnera, quibus praemia belli postulare videtur. Quare supplex compareo coram Em.ma Celsitudine Vestra, interponere dignetur suas apud SS.mum Dominum Nostrum preces pro eo inter sanctos censendo. Certe si quos amplissima in caelo expectant praemia, illos dubio procul, qui supremo praemiandorum cultu beatorum auctores exstitere. Repetens interim eadem supplicia vota, Vestrae Em.mae Celsitudini ex voto quaeque succedere apprecor sacramque eius purpuram deosculans meorum obsequiorum promptitudinem offero.

Varsavia, 29 octobris 1665.

Eminentiae Vestrae obsequentissimus servus

Cyprianus Paulus Brzostowski, Referendarius et Notarius per Magnum Ducatum Lithuaniae.

241.

Romae, 5 . XI . 1665.

Indulgentia plenaria in die festo Beati Josaphat.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali* (Fondo-Vienna), vol. 32, f. 225.

ALEXANDER VII

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra comunione reffectis, qui Ecclesiam SS.m Sergij, et Bacchi de Urbe, Monachorum Ordinis Sancti Basilij die festo Sancti Josaphat, a primis Vesperis ad occasionem solis festi huiusmodi devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effunderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus pro unica vice tantum valituris. Volumus autem quodsi pro Juspatronatu, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint. Datum in Arce Gandulphi Albanen diocesis sub annulo Piscatoris die V. Novembris MDCLXV Pontificatus Nostri Anno undecimo.

Pro gratia Deus etc...

D. Ugolinus

242.

*Castra sub Mohilovia, 20 . XI . 1665.**Michael Pac, Palatinus Smolenscensis, Sanctitatem Suam petit pro canonizatione B. Josaphat.*ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1.

Sanctissime ac Beatissime Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Inter arma nostra tot annorum intervallo p...ntia et tot tantosque inter Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae motus, tot denique et tanta inter miserae Patriae infortunia, sola nobis coelestis praesidio panoplia, et rebus resarciendis coelitem patrocinia, divinaque solatio manserunt adiutoria. Pro quibus obtinendis ego etiam inter alios, ut Armorum M. Ducatus Lithuaniae Minor Praeses et Generalis ad Vestram recurro Sanctitatem. Cum enim a Deo Domino nostro per Divum Mart. Josaphat Kuncevicium derivata in nos solatia, patrocinia, praesidia ita expertus sim, ut manibus plane palpari videantur, ardentissime Sanctitatem suam precor, ut ad maiorem nostram protectionem eundem Martyrem eo sanctificationis honore, quo in Ecclesia S. non datur maior, exornare velit, eum quippe ardentiorum apud coelestem Numinis Maiestatem, pro tollendis nostris malis, futurum Mediatorem, quasi praesago existimo animo.

Itaque quidquid precum pro ea Martyri dignitate apud Sanctitatem Vestram Dominum meum Clementissimum impetranda offerre valeo, totum id ad Pedes eius nunc constituo. Quod dum corde humili ago felix Vestrae Sanctitati, et nullis interruptum malis Ecclesiae Sanctae Regimen in seros protelari annos peropto.

Datum in castris sub Mohilovia, Novembris 20, 1665 anno.

Sanctitatis Vestrae humillimus servus

Michael Casimirus Pac, Palatinus Smolenscensis, Campidux
Magni Ducatus Lithuaniae (mp).

243.

*Sub Mohilovia, 20 . XI . 1665.**Instantia Palatini Smolenscensis pro canonizatione Beati Josaphat.*BIBL. AP. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2166, fol. 66.

Em.me et Rev.me Princeps, Domine, Domine Patrone Col.me.

Multum nobis doloris adferunt ereptae ab hostibus possessiones, occupatae provinciae, igne et ferro vastata patria, sed plurimum alienatae cathedrae episcopales, exterminatus clerus, proscripta catholica fides. Nec ullam nisi in divinis nostram opem positam esse auxiliis intuemur. Cum vero ea vel maxime per divos patronos a Divina in homines defluant Maiestate, ut etiam certo certius in nostris malis per divum martyrem Iosaphat toties probavimus, Vestrae Em.mae Celsitudini tamquam in eundem martyrem cum tota domo sua propensissimae supplico, velit Sanctae Ecclesiae et Sanctissimo eius Pastori nostras humiles, accumulatis suis precibus deferre petitiones, ut eidem martyri supremos sanctorum conferat honores. Quibus ille, ut reor, stimulatus ad Deum Dominum sua interponet suspiria, flectet eius miserationem, et quae toleramus mala, per eandem divinam clementiam, sanguine suo perorante, a nobis exterminabit. Id a Vestra Em.ma Celsitudine apud SS.mum Dominum promoveri cum cernuus millies expetam, eidem a Divino Numine per martyrem Iosaphat cuncta prospera instanter imploro. Datum in castris sub Mohilovia, Novembris 20, 1665 anno.

Eminentiae Vestrae humillimus servus

Michael Casimirus Pac, Palatinus Smolenscensis, campi
dux Magni Ducatus Lithuaniae.

244.

Sub Mohilovia, 20 . XI . 1665.

Instantia Palatini Smolenscensis pro canonizatione Beati Iosaphat.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Ruteni*, vol. 17 (Fondo Vienna), fol. 207.

Emin.me et Rev.me Princeps, Domine, Domine et Patrone
Colendissime.

Eam felicitatem patriae meae in moderna eius infelicitate duxerim, si divinis quam optime muniatur praesidiis, quibus eam a se propulsare valeat. Inter ea vero non minus praesidium censeo beati martyris Iosaphat maiorem in orbe catholico gloriam. Vestram proinde Eminentissimam Celsitudinem submissis meis audeo molestare precibus, ut suis coram Sanctissimo efficacioribus memorati martyris impetrare possit canonizationem; ea enim honoris celebritate innocens eius sanguis pro Sedis Apostolicae suprema potestate saevissime ab hostibus, fortissime ab eo effusus coram omnibus in orbe catholico incolis longe nobilissime

divulgabitur, et, quam summopere desideramus, gloriam consequetur. Speramusque fore ut clarissimus martyr nostrum in se perspicuus affectum, a sancta vero Matre Ecclesia tales recipiens honores, ad recipiendum in nos incitetur favorem, ad praestandam Sanctae Ecclesiae accendatur gratitudinem et patriam nostram coram supremo rerum Domino a cunctis vindicet infortuniis et sanctam catholicam fidem in nostris depressam regionibus ad pristinum restituat statum. Quod cum tandem aliquando nobis miseratione divina fieri optamus, Vestram Emin.iam Celsitudinem patriae nostrae solatio, prosapiae suae ornameto sanctaeque matris Ecclesiae adiumento diu prospere et gloriose vivere desidero.

Datum in castris sub Mohilovia, Novembris 20, 1665 anno.
Eminentiae Vestrae humillimus servus.

Michael Casimirus Pac, Palatinus Smolenscensis, campi dux
Magni Ducatus Lithuaniae.

(fol. 210v): Rutheni. Signor Cardinalis Vidoni; die 8 iunii 1666.
Ad S. Congregationem Rituum. A. Manfronus prosecretarius.

245.

Opole, 23 . XI . 1665.

Instantia pro canonizatione Beati Josaphat.

BIBL. AP. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2166, fol. 60.

Emin.me et Rev.me Princeps, Domine, Domine et Patrone
Colendissime.

Olim foecunda prole deiferorum patrum mater Religio Basilii Magni iamque senescens vel maxime in illis ubi floruerat terris, iterum in solo Russiae, fidei sanctae et Unionis foecundata semine gloriose reffloruit, dum Iosaphatum undequaque stupendum martyrem Ecclesiae dedit. Sed Polocensis sedes, ob tantum pastorem sibi coelitus datum, caeteris Russiae praestat. Cuius cum mihi sub haec iniqua tempora, occupatae nimirum per Moschos Polociae ac proinde Sanctae Unionis oppressae palatinum agere datum, eo contentiosius pro canonizando beato Praesule ab Em.ma Celsitudine Vestra postulandum censi, quo sperem vel unicum hoc eliciendum emolumentum, nempe amplissimum Polocensem palatinum totamque dioecesim eius ope tutelari vindicandam fore. Prout quondam eliberatum tanquam acceptum beneficium illi referre debemus. Acceptissimam Deo, Unioni Sanctae proficuum, Em.mae Cel-

situdini Vestrae apud Sanctissimum Dominum futuram instantiam, qua nixus diu suspiratum expecto solatium meque obsequiis Em.mae Celsitudinis Vestrae admoto sacrae purpurae osculo libens lubensque divincio.

Datum Opolii, 23 novembris, anno 1665.

Eminentiae Vestrae obsequentissimus servus

Joannes Carolus Kopec, Palatinus Polocensis mp.

246.

Krosienie, 15 . XII . 1665.

Instantia Episcopi Samogitiensis pro canonizatione Beati Josaphat.

BIBL. AP. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2166, fol. 30.

Em.me et Rev.me Princeps, Domine, Domine et Patrone
Colendissime.

Pro debita mea in beatum martyrem Josaphat Polocensem Archiepiscopum veneratione non possum nisi humillime Vestram Em.mam Celsitudinem tanquam dignissimum gloriosae mamoriae Urbani VIII nepotem exorare, qui suam apud SS.mum Dominum Nostrum interponere dignetur auctoritatem pro eodem meritissimo martyre in S. Romanam Ecclesiam. Nihil ille sibi antiquius duxit, nihil ardentius desideravit, quam sanguine etiam suo eius supremam in catholica fide potestatem contestari. Et vero felicem patriam nostram Unionemque Sanctam fore existimabimus, si Vestrae Em.mae Celsitudinis efficaci intercedente promotione SS.mus Dominus Noster eum martyrem desideratissima canonizationis laude donaverit. Hoc perquam submisce populus catholicus a Sanctitate Sua esposcit; hoc clerus universus Latinus Ruthenusque, hoc nostra Lituana respublica, hoc demum paulo ante Maiestas Regia Reginalisque nec non Respublica Polona enixe expetiit. Quibus desideriis demisse expositis, mei ipsius obsequia Vestrae Em.mae Celsitudini contestor devotissima.

In Krosienie, 15 decembris 1665.

Eminentiae Vestrae obsequentissimus servus.

Alexander Sapieha, Episcopus Samogitiae mp.

247.

Sielec, 15 . XII . 1665.

Procancellarius Lithuaniae instat pro canonizatione Beati Josaphat.

BIBL. AP. VAT., *Barb. lat.*, 2168, fol. 184.

Em.me ac Rev.me Princeps, Domine et Patrone
Colendissime.

Cum innumera quibus premimur habeamus mala, praecipuum inter illa solatium percepturos nos exsistimamus, si patronus noster in aegritudinibus, tutor in periculis, protector ab hostibus, beatus martyr Iosaphat Kuncevicus ob contestatam sanguine suo divino Numini et Ecclesiae Sanctae fidem, triumphalem Sanctorum in eadem per SS.mum Dominum Nostrum aureolam obtinuerit. Quod ut nostri laetantes intueantur oculi, meas ego inter alios Vestrae Em.mae Celsitudini enixas hisce fero preces, suam apud Beatissimum Patrem ac Dominum Nostrum clementissimum mediatricem pro eo nostrum solatio interponat auctoritatem. Quo nihil nobis optatius per Vestram Em.am Celsitudinem a Sanctitate Sua effici poterit, nihil afflictis reipublicae nostrae gratiosius afferri rebus. Atque dum efficax hac in re Vestrae Eminentiae patrocinium totis animi exopto viribus, Em.mae eius purpurae debitum humiliter praesto honorem.

Datum in Sielce, 15 decembris 1665.

Alexander Naruszewicz, Procancellarius Magni Ducatus
Lithuaniae.

248.

Vilna, 16 . XII . 1665.

Cardinali Barberino commendat negotium canonizationis B. Josaphat.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2167, fol. 142.

WELYKYJ A. G., *Epistolae Metropolitaram Kiowiensium*, vol. II, p. 259, nr. 39.

Eminentissime et Rnd.me Princeps
Domine et Patrone Colendissime.

Probe mihi totique nostrae constat Unioni magno affectu nostram SS.mum olim Urbanum VIII prosequutum fuisse. Unde promanavit, ut etiam Martyrem Josaphat uti proprium martyrem Beatorum Collegio adscribi omni studio procuraverit. Et quia inextinctum et quasi haereditario iure a SS.mo Patruo derivatum Vestra Em.ma Celsitudo erga B. Josaphat favorem suo fovet in pectore, ausim in persona omnium meorum Confratrum Religionisque et Ecclesiae Unitae eiusdem implorare patrocinium, quatenus ad SS.mum Dominum Nostrum pro eiusdem

Martyris canonizatione intercedere velit. Mirabilem sciat Vestra Eminencia hominum ad hunc Martyrem esse affectum vel ex tot Reipublicae Lituae literis clare patentem; mirabilem et ipsum Martyrem in variis hominum necessitatibus ferentem auxilia, patrantem miracula, cum confusione Schismatis, solatio Unionis, imo vero cum incremento huius, decremento illius. Quodsi vero ad supremum Sanctorum gradum is Martyr promoveretur, longe maiora sane sperari possent Unioni S. emolumenta. Nihilominus hoc nos premit, quia pauperes, exhausti, quin potius ad incitas redacti summus; nec tantum Martyris honorem sumptibus nostris promovere valemus. Si igitur possibile, dignetur Sanctitas Sua cum alio quopiam ad hunc sanctificationis honorem promovendo nostrum etiam associare Martyrem. Quod per Vestrae Eminenciae a Sanctitate Sua implorando intercessionem, me Unionemque Sanctam Vestrae Em.mae Celsitudini intime commendo.

Datum Vilnae, 16 Decembris 1665.

Eminentissimae et Rnd.ssimae Celsitudinis Vestrae humillimus Servus

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp.).

249.

Vilna, 20 . XII . 1665.

Capitulum Smolenscense instat pro canonizatione Beati Iosaphat.

BIBL. AP. VATIC., *Barb. lat.*, 2168, fol. 183.

Em.me ac Rev.me Princeps, Domine ac Patrone Observandissime.

Et noster debitus affectus et Vestrae amplissimae domus singularis in divum Iosaphat propensio audaces nos facit, ut pro eodem sanctorum coetui in Sancta Ecclesia inserendo Vestram Em.mam Celsitudinem plurimum obsecremus. Efficiat Vestra Eminentia sua apud SS.mum Dominum Nostrum unita cum aliis supplicatione, ut is martyr immortalem sanctificationis amplitudinem consequatur, qui vobis flagitantibus apud SS.mum olim Urbanum Octavum beatificationis gloriam consecutus est. Devincat nos hoc sibi Vestra Em.ma Celsitudo efficaciae intercessionis beneficio, ut nos etiam indigni domui vestrae, Ecclesiae Matri, Sanctitati Suae omni gratitudinis ratione devincti maneamus. Et dum hanc gratiam a Sanctitate Sua per Vestram Eminentiam arden- ter deposcimus, eiusdem purpuram devotis bacciis dissuaviamur.

Vilnae, in exilio nostro, 20 decembris MDCLXV.

Nomine totius Capituli

Eminentissimae Celsitudinis Vestrae servitores humillimi.

Martinus Kochanski, Canonicus Smolenscensis ut praesidens mp.

250.

Roma, 12 . I . 1666.

Litterae novi Metropolitae Kioviensis, Gabrielis Kolendae, referuntur, praesertim sua instantia pro canonizatione Beati Josaphat.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 35, fol. 14, nr. 28.

WELIKYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 329, nr. 534.

Jan. 12

Dopo le gratie, che vivissime rende all'EE. VV. l'Arcivescovo di Plosco della Metropolia de Rutheni uniti conferitagli li mesi passati da N. Signore, supplica assieme con gl'altri Vescovi et Archimandriti à non lasciar di promuovere la canonizatione del B. Giosafat, Martire, per consolatione della Natione, e per confusione de Scismatici; non lasciando anche di raccomandare poi se stesso, la sua Chiesa e questa di SS. Sergio e Bacco alla protettione dell'EE. VV.

Rescriptum.

Cum Sanctissimo.

251.

Krose, 15 . I . 1666.

Gubernator Samogitiensis instat pro canonizatione Beati Josaphat.

BIBL. AP. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2166, fol. 77.

Em.me ac Rev.me Princeps, Domine et Patronoe Col.me.

Nota est Vestrae Em.mae Celsitudini pervicacis crudelitas schismatis, quae usque adeo nostra aetate effervuit, ut divum martyrem Iosaphat oves eius perfidae, an immanes ferae, pro S. Romana Ecclesia trucidatum, altis vorticibus fluminis Dunae demerserint. Ista quidem eius mors in-

nocentissima non parricidas modo e duro schismate in gremium S. Matris Ecclesiae pellexit, verum etiam plurimos alios. Sed longe maiorem hisce temporibus fructum futurum esse ex illa existimarim, quando in viscera patriae schisma rebelle toties ruens et se ipsum tantopere attrivit, ut etiam in Ukrainensibus et Kioviensibus regionibus, nidis suis praecipuis, furore belli percisis vix habeat ubi caput reclinet, dummodo Sanctitas Sua, Dominus Noster clementissimus pro libato sanguine primatus sui causa velit eum martyrem inter sanctos Ecclesiae Dei computare. Atque ut hoc pro patriae nostrae integritate, Unionis Sanctae promotione fideique his in locis catholicae exaltatione praestare dignetur, Vestram Em.mam Celsitudinem pro posse meo deprecor, apud Sanctitatem Suam supplices interponere velit preces. Interea divinam Maiestatem oro, ut Vestrae Em.mae Celsitudinis gloriae suae incremento et sanctae Matris Ecclesiae honori in seram aetatem conservet incolumen.

Datum in Krose, 15 Januarii 1666.

Georgius Carolus Hlebowicz, generalis Ducatus Samogitiae gubernator mp.

252.

Vilna, 16 . I . 1666.

Instantia suffraganei Vilnensis pro canonizatione Beati Iosaphat.

BIBL. AP. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2167, fol. 179.

Em.me ac Rev.me Princeps, Domine, Domine et Patrone
Colendissime.

Etsi semper S. Romanam Ecclesiam, uti matrem nostram, Purpuratosque eius amplissimos uti eiusdem S. Ecclesiae excelsas columnas debito cultu et veneratione prosequi teneamur, longe tamen magis tum, cum praeclaris eius allekti sumus beneficiis. Quae cum patria in beatificato martyre Iosaphat Kuncevicio a S. Sede Apostolica eiusque summo Directore, Vestrae autem Em.mae Celsitudinis desideratissimo patruo abunde probaverit, plurimum eam Sedi Apostolicae domuique vestrae praeclarissimae devinctam esse Celsitudo Vestra existimaverit. At vero, ut magis eam sibi Vestra Excel.ma domus obligatam habeat, omnes nos Vilnensis Sedis vacantis praelati, cuius ego gero administratorem, a Vestra Celsitudine submissee petimus, dignetur Sanctissimo Domino Nostro a nobis supplices deferre preces pro eodem beato martyre Iosaphat sanctorum collegio gloriosa canonizationis celebritate annumerando. Non me-

ruisse nos tantam Sanctitatis Suae gratiam certum est, sed sanguine suo pro eius principe Sede fuso ipsum meruisse martyrem, humiliter putamus, qui Santitatem Suam millenis nostris petitis efficacius et ardentius orat, ut eum honorem consequatur. Et quidem magna Vestrae Eminentiae auctotitate connisi, nihil de ea Sanctitatis Suae dubitamus gratia. Pro Vestrae vero Em.mae Celsitudinis omni prosperitate mea meorumque confratrum ad aras aeternae Maiestatis humillima appendo vota et purpuram eius longe submisso recoło osculo.

Eminentiae Vestrae humillimus servitor

Gotthardus Tyzenhaus, Episcopus Methonensis, Suffraganeus Vilmensis mp.

253.

Roma, 8 . VI . 1666.

Nova instantia Metropolitanae et Episcoporum cum Magnatis pro canonizatione Beati Josaphat.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 35, fol. 176rv, nr. 41.

WELYKYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 336, nr. 538.

CONG. 108 - Die 8 Iunii 1666 (f. 143).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem S. Congregationis, cui interfuerunt Emin.mi et Rev.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Antonius Barberinus, Praefectus, Brancaccius, Sforzia, Albizius, Rospigliosius, Vidonus, Rusponus, Ninus, et Azzolinus, necnon RR. PP. DD. Marescottus, Sancti Offitii Assessor, et Manfronus, Prosecretarius; et in ea primo retulit Prosecretarius.

Il Metropolita de Rutheni uniti con altri Vescovi di quella Nazione, e Signori di Lituania rinovano le suppliche appresso l'Eminenze Vostre (f. 176v) per impetrargli dalla Santità di Nostro Signore la Canonizatione del B. Giosafat, Martire.

Rescriptum.

Ad Sacram Congregationem Rituum.

254.

Roma, 26 . VI . 1666.

Adiunguntur aliae instantiae de Canonizatione B. Josaphat.

APF, *Lettere volgari*, vol. 50, fol. 73.

WELYKYJ A. G., *Litterae S. C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 278, nr. 417.

A Monsignor Casale Segretario della S. Congregazione de Riti.

26 detto.

L'istanze, che nuovamente vengono fatte à questa S. Congregazione per parte del Metropolita de Rutheni con altri Vescovi di quella Nazione, e Signori di Lituania intorno alla Canonizzazione del B. Giosafat Martire, mi comandano questi di trasmetterle à V. S. Ill.ma per unirle con quelle, che le furono mandate l'anno passato sopra l'istesso negotio. Eseguisco per mezzo di questa, et à V. S. Ill.ma bacio riverente etc. etc.

255.

Roma, 30 . VIII . 1666.

Instantiae Episcopi Chelmensis, et ut canonizetur Beatus Josaphat (excerptum).

ASV, *Acta S.C. de Prop. Fide*, vol. 35, fol. 238-239, nr. 25.

WELKYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 337, nr. 451.

CONG. 110 — Die 30 Augusti 1666 (f. 218).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Collegio eiusdem S. Congregationis, cui interfuerunt Emin.mi et RR.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Antonius Barberinus, Pallottus, Braccaccius Durazzius, Sforzia, Albizius, Vidonus, Ninus, Ursinus, Maidalchinus, Azzolinus, et Celsus, nec non Manfronus, Prosecretarius, qui in ea primo retulit.

Monsignor Vescovo di Chelma supplica in nome di tutti li Vescovi rutheni uniti d'invitare li Scismatici con lettere da scriversi all'infrasritti Prelati all'unione della Chiesa Cattolica, il che si stima debba farsi particolarmente adesso, che li medesimi Scismatici in Polonia aspirano alla detta Unione, benché la vadano differendo per cagione delle guerre presenti.

1. Supplica per tanto, che si scriva primieramente à i loro Prelati, che sono il Metropolita di Kiovia, li Vescovi di Luceoria, Premislia, Leopoli, e Vescovi Mscislaviense, agl'Archimandriti, e Superiori de monasterii, et al Clero secolare, e regolare di ciascheduna diocesi; Al Signor Paolo Tetera, Duca Kosatico, alla Nobiltà scismatica di Lituania, e della Russia; à quella (f. 238v) di Volhynia, Leopoli, Camienez, e Premislia, et à diversi altri, che nomina nel memoriale.

2. Supplica in oltre, che si scriva al Re, et alla Regina di Polonia con significargli, che la Santità di Nostro Signore promette la canoni-

zatione del B. Giosafat con il primo, che sarà per canonizarsi; di esser raccomandato esse, et il negotio delle Decime, accioche S. Maestà voglia difendere le sue ragioni, e dar esecutione ai Decreti, che hà quà ottenuti à favore, et il simile si faccia con Monsignor Nuntio.

3. Che si dia licenza à Gio. Camillo, e Ferdinando Ricci, Alunni del Collegio Greco, di entrare, come desiderano, nella Religione Basiliana... etc.

256.

Varsavia, 5 . IV . 1667.

Grates agit Pontifici nomine proprio et Ecclesiae sibi commissae, commendat decimas Chelenses, canonizationem B. Josaphat, Alumnos in Collegiis, nec non de instantibus periculis refert.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.* (Fondo Vienna), vol. 18, fol. 276-7.

WELKYJ A. G., *Epistolae Metropolitae Kioviensis*, vol. II, p. 263, nr. 43.

Sanctissime ac Beatissime Pater. Domine, Domine Clementissime.

Cum innumeros San. Vestrae in me collatos favores obligatissima colam gratitudine, recolam memoria, recentia quae contingere Brestae totaque amplitudine Russiarum pro munere meo Sanctitati Vestrae per-censere non negligo. Et quidem, Beatissime Pater, Ancillae tuae Russiae Unitae respexisti humilitatem, dum misisti Angelum Sedis Apostolicae Tuae, videlicet hoc in Regno Propapam, qui Brestae, Civitate M. D. Lith., nostra formaret sensa, solaretur debilia, fortia erigeret. Non sine digito Spiritus Vivifici id factum adnotaverim, cum in eadem Civitate Brestensi ante 70 annos Russiarum in Fide Catholica concluderetur Unio, nunc decursis 70 animorum et affectuum indissolubili nexu conclusa pariter fuit unio.⁵⁴ Concors votum voce primo, post chartulis repetitum, meam Indignitatem advitalitium Generalem Ordinis salutavit, an potius ostendit, me nunquam hoc onus concupivisse. Pondus dignitatis Sacramento obstrictus suscepi, totque inter gravissimas promovendae Unionis constitutus curas, benedici a S. V., quo bene cedant, meis de-posco votis.

Ill.mum Episcopum Chelensem eo quod S. V. favoribus, gratiis, supra quam dici potest, comulaverit, ea qua par est animi submissione

⁵⁴ Agitur de Unione s.d. Berestensi ann. 1595-6, et de pacificatione inter Episcopos et Religiosos annis 1663-1667 peracta, post longa dissidia interna.

S. V. ingentes refero gratias; praedicat ille, nec nos silemus, S. V. beneficentiam, vel maxime in eo enituisse, quod Sacrum Rotae Tribunal, decimas ex Ruthenis unitis, quibus impendimus curam, Capitulo Chelmeni latino, iniusto Possessore reclamante, Episcopo nostro Chelmeni unito adiudicaverit. Hinc convertendos certo speramus Schismaticos, eamque victoriam toti Russiae etiam schismaticaе innotuisse. Non aliud manet, nisi S. Vestra eidem Sacrae Rotae committat, etiam censuris obligandum Capitulum, si resistat. Timentur hoc in Regno censurae, et nisi deveniatur ad illas plerumque homines litigiosi quaerunt latibula, quo diuturnitate temporis ut praescribant pertinacia non rationibus divexent Partes.

Canonisatio Beati Martyris Josaphat, benedicto ore S. V. nobis certo promissa, altum cordi haeret S. Vestrae, cum enim mala Poloniae nostrae per schismata suborta, patrata et ducta sunt, nec humana potentia in liberas mentes valeat unitatem inducere fidei, Josaphati Martyris, Rusiarum plane destinati Apostoli, utamur ope. Non deficiet illa portentis suis ad mansuetudinem et fidei sanctae studium truces componere animos, dummodo S. Vestrae pro eo Sanctis intercensendo accedat studium. (f. 176v) Sede Archiepiscopali Polocensi pulsus post 13 annos, cum exuviis Beati Martyris Josaphati, Archiepiscopi pariter Polocensis, redeo, et ubi vulsas radices Unionis Sanctae non sine lacrymis spectabamus, nunc redire fidem catholicam laetamur.⁵⁵

Turoviensem Episcopatum recens ab Episcopo Pinscensi, Domino Marciano Biallozor, summa felicitate, fideique catholicae auctu recuperatum. Ecclesiam Zabłudoviensem, Principe Boguslao Radziwill haeretico auctore, in Schismaticorum ius redactam, per me Sanctae Unioni brevi vindicandam. Nec secretissimis conversationibus parcimus, quin Schismaticorum conversionem tractemus. Fateor hanc cordium metamorphosim opus divinum esse, opem tamen et operam impendimus, ut de sicco etiam pumice postulemus aquam, mollescentibus porro Schismaticorum in dies animis magnum S. V. calcar addet, si ad varios illorum Pseudo Pastores literas invitatorias ad obedientiam Romanae Sedi nobis committet dispensandas. Caetera quaecumque internum ac externum nostrae Unionis concernunt bonum, deteriorant statum, Praesidi Congregationis Brestensis Ill. ssimo Nuntio, ea qua par est synceritate, retulimus.

⁵⁵ Anno circiter 1654, initio belli polono-moscovitici, Kolenda Polocia profectus est cum reliquiis Beati Josaphat, ne in manus caderent exercitus moscoviti, cum periculo destructionis; exinde per 13 annos vagabat per regiones Lithuaniae et Poloniae, prout fortuna et eventus bellici permittebat. Post pacem tantummodo s.d. Andrusovianam inter Poloniam et Moscoviam, initam an. 1667, redire valuit Polociam cum reliquiis B. Josaphat. Cfr. infra varias descriptiones ingressus sui Vilnam et Polociam.

Quoad numerum Religiosorum nostrorum in Collegio Graeco, ob amissionem pensionis diminutum, in propaganda fide ob debita contracta sublatum, illud S. V. meminerim: Ruthenos nostros utiliores esse Sanctae Romanae Ecclesiae quam Graecos, probatissimamque Sedi Apostolicae Ruthenorum virtutem, incertum fructum Graecorum. Sex prius Rutheni, ex beneficentia Pontificia, in Collegio Graeco alebantur, nunc inscia S. Vestra ad ternarium redacti. Supplex S. Vestram exoro pro quatuor saltem educandis. Si enim Romae ad ubera Matris Ecclesiae purius lac sapientiae sugere prohibemur, quid fiet nobiscum in aliis alumnatibus? ubi quo entia sunt remotiora a primo ente, eo minus habent de ordine.

Pro Comitibus praesentibus una cum Domino Episcopo Chelmensi venimus ibique proprio sumptui sat in redivitibus tenui non parcamus, dummodo res Unionis faustiori omine cedant. Jamque Cosaticam potentiam non terrere unitos, cum assiduis bellorum cladibus, Tartarorum raptu, non sine divino nutu, atteratur.

(f. 277) Caeterum crebriores S. V. villicationis meae rationes dedissem, ni distantia loci, defectus postae, expensaeque nos pro illa non parum enervantes ut plurimum obstitissent. Subsidium porro nostrae egestati nullum a nullo, nisi a S. V. anno 1659, ducentos nempe Ungaricos, quisque nostrum retulimus. Nunc ultro cum Orbe Russiae, Orbe suo Sanctae Sedi Romanae Unitae in amplexum Beatissimorum S. V. ruens pedum exoptarim videre diem illam Domini in qua lue Phociana extincta, filii rebelles stola fidei sanctae, stola obedientiae induti venient de longinquo, et adorabunt Sanctum Domini in Capite visibili Ecclesiae, nempe S. V., cui hoc de caelo, praegnantibus votis, apprecans solatium, me totum gratiae S. V. quam impense devoveo.

Varsaviae, die 5 Aprilis, Anno 1667.

Sanctitatis Vestrae Domini mei Clementissimi humillimus servus
ad pedes

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mpria).

257.

Varsavia, 5 . IV . 1667.

In similibus negotiis scribit Decano Collegii Cardinalium.

Eminen.me ac Rev.me Princeps,
Domine, Domine et Patrone Colendissime.

Nec digne nec satis E.ae V.ae in Gentem Ruthenam affectum sum par laudare, cum et recentissima Domino Episcopo Chelmen. collata non valeam percensere beneficia. Egenos exteros domi forisque omnes implet implevitque donis, gratiis cumulavit. Servet Deus Em.am. Vestram totamque florentem fortunis, diuturnitate temporum, et benedictionibus desuper plenam. Canonisatio B. Martyris Josaphat, instantia Em.mae Celsitudinis Vestrae apud Sanctissimum Dominum appropinquanda, haereat cordi E.ae Vestrae ingentia fidei sanctae et Unioni hinc derivatura emolumenta. Iamqua huic tutelavis ope, tredecim annorum exul, cum exuviis eiusdem Polociam, Moscho cedente, redeo.

Pro SS. Sergii et Bacchi extrema miseria meas supplices apud Emin.am Vestram interpono preces. Fidenter fatemur nostram egestatem ob haec iniqua armatae Poloniae tempora eo pervenisse, ut modicis redditibus, quos pro litibus et comitiis Regni impendimus, vix ipsi emendicatis suffragiis, mediocri cultu et victu ducamus vitam.

Decimas Chelmen. de Ruthenis unitis felicissime patrono Em.mae Vestrae Episcopo Chelmen. adiudicatas, ulteriori eiusdem patrocinio quam impense commendo. Censuris quoque, si opus fuerit, renitens Capitulum et Clerus Chelmen. latinus aggravetur, et nisi deveniatur ad illas (timetur enim hoc in Regno) sensim per omnes Russiae Dioeceses novas et novas Parochi latini excitabunt lites, uti recens accepimus in Vladimirien. Episcopatu, temerario ausu, de Ruthenis percipere decimas adoriuntur. Mirum sane quanto decimarum Chelmen. victoriam partam tam Catholici quam Schismatici exceperint gaudio, Sanctissimum Dominum et Unionem laudarint. Interim adiecto Sac. Purpurae devotissimo osculo, prosperrima quaeque a Domino Deo apprecans, me gratiae Emm.ae Vestrae diligentissime commendo.

Varsaviae, die 5 Aprilis, Anno 1667.

Eminentiae Vestrae humillimus Servitor,

Gabriel Kolenda, Archiep.pus Metropolitanus totius Russiae.

(fol. 173v): Eminentissimo ac Rev.mo Principi
et Domino, Domino Francisco Barberini,
Sanctae Romanae Ecclesiae et Sacri Collegii Apostolici
Cardinali Decano, Vicecancellario nec non Episcopo
Ostien.
Domino, Domino et Patrono Colendissimo. Romae.

258.

*Suprasl. 27 . VII . 1667.**Instat pro canonizatione B. Josaphat apud novum Pontificem.*BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2167, fol. 143.WELYKYJ A. G., *Epistolae Metropolitaram Kioviensium*, vol. II, p. 266, nr. 45.

Eminentissime Princeps.

Pusillus grex noster unitus quidquid augmenti, quidquid ornamenti habet, non aliundi, nisi a Barberinis hoc se accepisse palam protestabatur, Barberinisque totum, imo se totum debere fatetur. Sed cum inter omnia benefica, quae se accepisse gloriatur, maximum reputat B. Martyris Josaphat a SS.mo Patruo Eminentiae Vestrae in Beatorum Catalogum adnumerationem eiusdem inter Santos declarationem non aliunde, nisi a Barberina domo expectat; cuius Principem te, Eminentissime Princeps, una sum Eminentissimis caeteris Barberinae domus Principibus respicientes omnes supplicia offerimus vota, ut sicuti a Vestris Eminentissimis hoc sanctum negotium exordium sumpsit, ab iisdem felicem sortiatur Canonizationis finem. Addit nobis spem huius postulationis nostrae SS.mi Domini Nostri Clementis IX felix inauguratio. Addit B. Martyris per tot annos quasi exulis in propriam sedem Polociam, a Moschis recuperatam, reditus. Addit super omnia Eminentissimae Celsitudinis Vestrae singularis in hunc Martyrem affectus. Quod dum totius gregis mei nomine ab Eminentia Vestra humiliter peto, eiusdem sacram exosculor purpuram.

Supraslii, 27 Iulii 1667.

Eminentiae Vestrae humillimus Servus

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae (mp).

259.

*Vilna, 25 . IX . 1667.**Descriptio introductionis reliquiarum Beati Josaphat Vilnam, periculo moscovitico cessato.*APF, *Scritt. rif. n. Congressi, Mosc. Pol. Ruteni*, a. 1624-74, vol. 1, f. 350-51.BIBL. APOST. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2663, f. 18.

INTRODUCTIO VILNAM BEATI MARTYRIS JOSAPHATI
ARCHIEPISCOPI, ANNO 1667, SEPTEMBRIS 25,
FELICISSIME CELEBRATA.

Die Dominica stetit corpus Beati Martyris in sua tumba argentea sumptuosissima supra currum triumphalem in uno montium extra Vilnam sub tentorio, ubi et pernoctabat, ad quem locum dato signo campanarum per omnes ecclesias, per tympana, et biontea militaria ex Praetorio Vilnensi, magnus Populus cum ingenti laetitia extra Civitatem confluit. Deinde processionaliter omnes Ordines Religiosorum, Capitulum Venerabile tam Latinum, quam Ruthenum exiverunt, ubi Rev.mus D. Susza, Episcopus unitus Chelmensis, Apostolicam habuit concionem, qua finita, sic processio procedebat. Praemissa cavalcata Iuventutis Accademiae Vilnensis, miro ordine et splendore ornata, quorum numerus erat supra ducentas, praecedebat Equitatus Militiae Magni Ducatus Lithuaniae satis ornatus, et numerosus, etiam supra ducentas. Deinde Ordines Religiosorum et Cleri Latini ibant; quos sequebatur Venerabile Capitulum Latinum habens Episcopos quinque, nempe Ill.mum D. Sapieham, Episcopum Vilnensem, Ill.mum D. Pac, Episcopum Samogitiae, Ill.mum D. Chodkiewicz, Episcopum Vendensem, Ill.mum D. Tysenauz, Suffraganeum Albae Russiae, quibus associatus est Abbas Trocensis, etiam infultatus; itaque Episcopum Vilnensem sequebatur currus satis altus, et exornatus cum Corpore B. Martyris in tumba exposito. Hunc currum devotio catholica, ut equi traherent, non permisit, sed ex devotione erga B. Martyrem (f. 350v) varij status ad centum homines trahabant; Ill.mi vero Senatores, uti Generalissimus Dux Exercituum, Campi Dux, Vicecancellarius, Thesaurarius, Palatinus Polocensis, Palatinus Smolocensis, et Castellani, Senatores ad decem, isti circumcirca currum tenebant telam damascenam rubram, qua currus opertus erat.

Sequebatur Clerus Ruthenus, deinde Religiosi Basiliani, omnes sacris induti apparamentis. Postea Abbates, et Episcopi infulati ad quindecim; Claudebat Processionem ipsemet Ill.mus D. Metropolitanus Chioviensis, et Nobilitas post illum vix numerabilis.

Cum hac pompa per totam Vilnam ibat haec Processio usque ad Ecclesiam Sanctissimae Trinitatis PP. Basilianorum.

Obviabat quam saepissime in tot Ordines disposita Musica, tam instrumentalis, et vocalis Ecclesiastica, quam etiam militaris. Plateae omnes exornatae erant, maxime circa Accademiā, ubi iuventus, angelico more, maiori ex parte, alia vero more patriae exornata Rytmis, et solutis salutabant B. Patronum Lithuaniae ex exilio revertentem.

Cives, et tota Universitas Vilnensis in armis a dexteris, et sinistris

cum suis vexillis ibat. Magistratus, et Nobilitas cum luminibus Ill.mum Metropolitanum sequebantur.

Postquam autem ad Caemeterium SS.mae Trinitatis currus intrasset, et in Throno sibi praeparato B. Martyr depositus esset, ex Arce, et ante Monasterium ex maioribus tormentis data est Beato salutatio. Tum P. Cyprianus, Basilianus, ascendit Cathedram, et panegirice gratias Ill.mis Senatoribus, et omnibus pro honore (f. 351) exhibito, et devotione erga B. Martyrem nomine Religionis suae egit, Ill.mus autem D. Metropolitanus cum magna assistentia infulatorum suorum Pontificaliter celebrabat Missam, in qua ad finem expositum est Venerabile Sacramentum pro 40 horis. Et sic sequentibus tribus diebus, die noctuque magna fuit cum frequentissimis concionibus devotio, et Populi continuo frequentia maxima. Veniebant multi Schismatici, et aliqui illorum a lachrymis non se poterant abstinere. Maxime, quando tertia die pro conclusione concionabatur Pater Grodzicki, Ordinis S. Basilij, Archimandrita Polocensis. Eadem die tertia mane ex Arce Venerabile Capitulum cum Ill.mo Suffraganeo, pro nunc Administratore Vilnensi, ad Corpus B. Martyris fecerunt Processionem, ubi Suffraganeus pontificaliter Missam celebravit, et Perillr. D. Ginski, Canonicus Vilnensis, concionatus est. Manebit per totam septimanam Vilnae D. Martyr, ad satisfactionem pietati catholicae.

Non est dubium, quod Schismaticorum multi iam contriti de conversione cogitant ex Civibus Vilnensibus, ut hic spargitur.

Cum quali pompa, et devotione Vilna educetur iste Thesaurus et Polociam introducetur, describam libentissime Dominationi suae Ill.mae paulo post.

Pater Provincialis Ord. Praedicatorum
Litvaniae Provinciae.

260.

Romae, 23 . X . 1667.

Conceduntur quaedam indulgentiae pro ecclesia SS. Sergii et Bacchi de Urbe, die festo Beati Josaphat.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali* (Fondo Vienna), vol. 32, f. 224.

CLEMENS PP. IX

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem et ani-

marum salutem caelestibus Ecclesiae thesuaris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione reffectis, qui Ecclesiam Sanctorum Sergij et Bacchi nationis Ruthenensium de Urbe non tamen regularium, cui Ecclesiae eiusque Capellis et altaribus sive omnibus sive singulis eamque seu eas vel ea aut illarum seu illorum singulas vel singula et visitantibus nulla alia Indulgentia reperitur concessa, die festo Sancti Iosaphati a primis vespers ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visiterint et ibi pro Christianorum Principum concordia haeresum extirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem ut si aliis christifidelibus dictam Ecclesiam sive Capellam aut Altare in ea situm in quocumque alio anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura etiam in erectione et quovis modo quantumlibet privilegiato concessa fuerit vel si pro impetratione praesentatione admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum oblata recipiantur, praesentes nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annullo Piscatoris, die XXIII Octobris MDCLXVII, Pontificatus Nostri Anno Primo. Gratissimo Deo et Sancto.

J.G. Slusius

261.

Vilna, 12 . XII . 1667.

De ingressu reliquiarum B. Josaphat Vilnam.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.* (Fondo Vienna), vol. 18, fol. 285.

WELYKYJ A. G., *Epistolae Metropolitaram Kioviensium*, vol. II, p. 267, nr. 46.

Emin.mi et Revd.mi Principes,
Domini, Domini et Patroni Observantissimi.

Sicut antea saepius Vestris Eminentis ego ipse, omnes Confratres mei, Religio nostra, totius nomine Unionis supplicavimus, ita nunc pro B. Martyre Josaphat inter Sanctos referendo humiliter supplicamus. Quod non duntaxat alia eius merita, sed etiam moderna ad Polocensem Sedem regressio postulat. Quando enim ex consilio Magnatum, de voluntate Regis Serenissimi, ex Monasterio quodam nostro per nonaginta

circiter leucis gloriose sacra eius lipsana ad suum Polocensem reduximus locum,⁵⁶ quantos ille honores a populis, Vilnae a 25 Septembris ad 13 Octobris, et in itinere ad ipsam usque introductionem Polociam, ante ipsam 12 Novembris, perceperit? quantas vicissim ipse miraculorum gratias in populos sibi devotos effuderit? quantam millenorum paenitentium animabus salutem, et Haereticorum, Schismaticorumque conversionem pepererit? difficile est brevibus hisce codicillis comprehendere. Cum typi lucem ea conspexerint, videbunt Vestrae Eminentiae quanta in hoc Martyre Deus operetur magnalia. Et quia nunc post pacta Moschorum aperta sunt quaedam Monasteria, nec tot suppetunt dignae personae, quot essent necessariae, quippe per ista bella multi nostrum sunt erepti, imo per Cosacos caesi, et Romae audimus in Collegio Graecorum adeo diminutum esse numerum Alumnorum, ut etiam nostris 4 antiquitus concedi solitus praecludatur locus, rogo obnixè Eminentias Vestras, ut idoneis ad studia iuvenibus nostris tanquam bonis operariis indubitato futuris, per suam apud Sanctitatem Dominum nostrum auctoritatem aperire dignemini. Nec minus sollicite precor, ut S. Sergii et Bacchi locum in Urbe pro Russiae nostrae commodo, ex singulari sua velitis gratia et pietate iuvare, ut si semel ac saepius fuerunt nostrae reiectae preces, tandem aliquando Paterna Vestra commoveant viscera, ad monstrandam suis vel indignis filiis charitatem. Neque de his amplius, mea solum debita Vestris Eminentissimis perpetuum addico servitia.

Vilnae, 12 Decembris 1667.

Vestrarum Eminentiarum humilis Servus

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolita
totius Russiae (mpr).

262.

Vilna, 13 . XII . 1667.

Commendat negotium canonizationis, Decimarum Chelmensium et Hospitium SS. Sergii et Bacchi.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2167, f. 147.

WELIKYJ A. G., *Epistolae Metropolitae Kioviensium*, vol. II, p. 268, nr. 47.

Eminentissime et Rev.me Princeps,

Domine, Domine et Patrone Colendissime.

Quia pro B. Martyre Josaphat apud Eum ago, cuius animum in

⁵⁶ Post exsilium et fugam 13 annorum, ob periculum exercitus moscovitici.

Martyrem longe propensum scio ideo confidentius Eminentiam Vestram meis sollicito literis, ut Sanctitati Suae supplicet pro eius desideratissima canonizatione. Cum praecipue ad id postulandum ipse Martyr extimulet, cuius non ita pridem exuvias ab exilio, per Lithuaniae et Russiae Provincias, usque Polociam celeberrime reduxi. Auxere celebritatem viri senatorii, flos Nobilitatis, Militares turmae, populi Urbium, in viis, vicis, oppidis, civitatibus, cum summo plausu, indicibili devotione, et admirabili honore Martyrem excipientes. Sed longe ante alios clarissime ipse Martyr plurimis in omnes effusis gratiis, et miraculorum patracione, Schismaticorum demum et Haereticorum ad Sanctam Ecclesiam accessione, illustravit. Nec sane unquam in Orbe nostro tale spectaculum ex affectu populorum, mutuaque Martyris beneficentia perfectum, vel visum, vel auditum.⁵⁷

Aliud est, quod me supplicem vestrae adduxit Eminentiae, Confratris nostri, Episcopi Chelmensis de Decimis negotium. Sentiatur hic Praelatus etiam absens, finale Vestrae Eminentiae patrocinium, quo Romae vel maxime nisus, Mandatum Sac. Rotae executivum obtinuit. Sentiamus omnes in hoc negotio Eminentiae Vestrae eiusmodi gratiam, ut illa etiam in adversarios nostros Schismaticos emolliendos, atque ad fidem perducendos deriventur.

De caetero uti Sancti Sergii et Bacchi Romanus locus vestrae domus in nos beneficium est monumentum, ita sane Vestrae Eminentiae promotrice apud SS.mum D.num N.rum, Sacramque de propaganda fide Congregationem auctoritate aliquam sui obtineat amplificationem. Potissimum cum iam nobis in Collegio graeco constringatur locus. Quibus tribus humiliter propositis, ut Eminentia Vestra pro sua in nos propensione favere dignetur, meque ipsum suo eminentissimo tueatur patrocinio, submitte oro.

Vilnae, 13 Decembris 1667.

Eminentiae Vestrae addictissimus Servus

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolita totius Russiae (mp).

263.

Chelma, 2 . I . 1668.

Instantia iterata Episcopi Chelmensis pro canonizatione Beati Josaphat.

BIBL. AP. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2168, fol. 11.

⁵⁷ Cfr. supra, ex. gr. de ingressu reliquiarum Vilnam.

Em.me et Rev.me Princeps, Domine, Domine colendissime.

Cum pluribus Ill.mus Metropolitanus Russiae apud Suam Eminentiam agat de beati martyris Iosaphat canonizatione, ego solum mea eius submissa addico vota, intimeque desidero, ut Vestra Eminentia apud SS.mum Dominum intercedente, hoc solatium Russia obtineat. Pariter quoque aliis eiusdem Domini Archiepiscopi precibus meas adiungo et humillimum patrocinium Vestrae Eminentiae exoro.

Negotium autem decimarum a Ruthenis unitis, mihi, Capitulo meo Rutheno et Clero Chelmensi debitarum ita Vestrae Eminentiae commendo, ut quemadmodum eius promotrice gratia et revocationem remissoriae et mandatum manutentionis a Sacrae Rotae Tribunali, eius similiter mandatis fortem et efficacem executionem accipiamus. Tanta enim sunt adversariorum tergiversationes, contentiones, molimina, ut videantur coelum terramque movere qui nostro labore sudoreque vescantur. Quocirca iterum ac saepius, omni cum submissione, Vestrae Eminentiae supplex accedo, ut huius causae optatissimum sortiamur effectum. Interim oro, ut Vestrae Eminentiae Dominator Dominus in excelsis residens adaugeat omne datum optimum et diutissime pro nostro conservet solatio.

Chelmae, Januarii 2, 1668.

Vestrae Em.mae et Rev.mae Dominationis humillimus servus

Iacobus Susza, Episcopus Chelmensis Ruthenus cum S.
Romana Ecclesiae unitus.⁵⁸

264.

Suprasl, 28 . I . 1668.

Gratias agit de litteris sibi datis, nec non refert de P. Gregorio Bienkovskyj et de miraculis a B. Josaphat patratis.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.* (Fondo Vienna), vol. 18, fol. 294rv.

WELIKYJ A. G., *Epistolae Metropolitanum Kioviensium*, vol. II, p. 268, nr. 48.

Eminentissimi et Rev.mi Principes, Domini et Patroni Colendissimi.

Duas in Martio, huius anni, ab Eminentissimis Dominationibus VV. accepi litteras, quae post aliquot a data pervenerunt menses. Miror equidem unde tantam moram passae. Reverenti, devotissimoque affectu

⁵⁸ Iacobus Susza, Ep. Chelmensis (1652-1685), erat agens principalis Canonizationis Beati Josaphat, praesertim ann. 1664-1665 Romae, ubi tunc temporis commorabatur. Cfr. notam 47.

veneror sacra monita Eminentissimarum Dominationum Vestrarum, ea-
que non modo recolere grato animo paratus, sed observari curabo.

Quod R. P. Gregorium Benkouski Sacra Congregatio EE. VV., mul-
tis licet obiectis reum, solita benignitate absolverit, humillimas refero
gratias. Res Russiae nostrae pacatioribus tantisper fruitur momentis. Co-
saci, Antagonistae nostri, ut suam sectam et libertates defendant, Scithas
socios, Turcas Dominos assumpserunt. Moscovia uniri S. Romanae Ec-
clesia cupit. Utinam vera vota essent; vereor tamen, ne sub hac alioqui
sancta inclinatione lateat quid politicum. Ego tamen corde et ore expecto
videre diem hanc. Nec parcam laboribus in perficiendo hoc sacro opere.
De miraculis, in reditu B. Josaphati ad propriam Cathedram Polocensem,
bis vel ter sat fuse scripsi ad EE. VV. Plura non vacat, nisi ut iteratis
iteratisque precibus locum desertum SS. Sergii et Bacchi Eminentissimis VV.
commendem. Ipse libenter subministrassem sumptus nisi expensis publi-
cis, et iniquitate temporum pressus, alio animum cogerer applicare. Glo-
riantur Armeni, aliaeque gentes, de beneficentia Eminentiarum Vestra-
rum, nec Russia in tam copiosos (f. 294v) profusa cruces, posterior meri-
tis. Sanctissimus Pontifex Alexander VII cogitavit multa in rem loci SS.
Sergii et Bacchi, fuerunt tamen eiusmodi ingenia, quae hoc divinissi-
mum pessum ire curaverint consilium. Clementiora sidera sub Sanctis-
simo Domino Clemente IX spero, cuius sacros pedes devotissime exoscu-
lans, me totum gratiae Eminentissimarum Dominationum VV. quam
impense commendo.

Supraslii, 28 Ianuarii, Anno 1668.

Eminentissimarum et R.marum Dominationum Vestrarum himilli-
mus Servus

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolita
totius Russiae (mpp).

265.

Vilna, 2 . III . 1668.

*Refert de rebus Unionis, de B. Josaphat, de Hospitio SS. Sergii et Bacchi
nec non de Alumno Collegii Graecorum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.* (Fondo Vienna), vol. 18, fol. 284rv.

WELKYJ A. G., *Epistolae Metropolitaram Kioviensium*, vol. II, p. 270, nr. 50.

Eminentissimi ac Rnd.mi Principes, S.R.E. et Propagandae Fidei
Cardinales, Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Bene semper consultum Russiae fuit, quando Eminentissimae Cel-

situdines qua tutela, qua gratiis eam fovere dignabantur. Illa clementiae Eminentiarum VV. redeant nobis summe egentibus et nunc tempora. Adhuc inimici Ecclesiae saevam in nos exerunt feritatem, dum Episcopus Premyslien. unitus Antonius Terlecki a Pseudo Episcopo Winnicio non modo pellitur sede, sed dire convulneratur, famulatum caeditur, sacerdos letalibus confectus vulneribus occumbit. Silet adhuc et cunctatur Respub. cui opportunum Eminentiarum VV. instantiae calcar additum, non modo commiserationem e cordibus eliciet Catholicis, sed et ad vindictam sumendam tanti sceleris Regem Serenissimum et Senatores movebit.

Seminaria Pontificia per Germaniam necdum patent Ruthenis. In Collegio Graeco et coarctamur, et ad parvum reducimur numerum; cum potius mallems Romae studia habere, quam alibi. Juramento nondum solutos esse ex gratia Eminentiarum VV. Ruthenos, ideoque hanc obligationem obsistere, quominus ad Collegia suscipiantur.

Hoc anno una cum Sacris Beati Martyris Josaphat exuviis redii ad Archiepiscopatum Polocensem, quatuordecem integris annis a Moschis occupatum. Mirabilia Dominus operatus est per hunc Beatum reducem in sua. Conversio Schismaticorum et Sectariorum insignis secuta. Meretur gratiam Sanctissimi quo Sanctorum adscribatur fastis, uti toties humillime supplicavimus.

Congregationem Generalem circa interna reformanda, ritus servandos, Vilnae celebravi. Multa iam correcta, alia in proximam Synodum, additis tamen bene gnaris Censoribus qui ritus genuinos notarent, reiecta. Nec mihi probantur novitatum scandalosi amatores, imo ut menti Sedis Apostolicae et Vestrarum (f. 284v) Eminentiarum respondeam, severis animadvertam paenis.

Locum SS. Sergii et Bacchi toties commendatum, uti extrema paupertate scatentem, nec nostris subsidiis iuvare valentem, ultimas interpono preces. Dignentur Eminentiae VV. commoditati loci, ecclesiae et personarum, pro sua paterna liberalitate consulere.

Lator praesentium Collegio Graeco pro Theologia destinatus Alumnus, Rn.dus Pater Josaphat Michniewicz,⁵⁹ dabit rerum nostrarum notitiam, quem diligentissime commendans, totamque Russiam, et me ipsum imperiis Eminentissimarum Celsitudinum subiiciens, maneo.

Dabantur Vilnae, in Palatio Residentiae nostrae, Martii 2, Anno 1668.

⁵⁹ Basilianus, ab anno 1669-1674 Procurator negotiorum Ordinis Basiliani et Ecclesiae Unitae.

Eminentissimarum et Revd.marum Dominationum Vestrarum humillimus Servus

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolitanus
Chiovien. Halicien. et totius Russiae (mpp).

266.

Suprasl, 20 . IX . 1668.

De Collegiis Pontificiis, de Alumnis Ruthenis, de reliquiis B. Josaphat, de recuperatione cuiusdam ecclesiae, de abdicatione Regis Joannis Casimiri aliisque negotiis (excerptum).

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.* (Fondo Vienna), vol. 18, fol. 297rv, 300.
WELKYJ A. G., *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium*, vol. II, p. 271.

Eminentissimi ac Reverendissimi Principes,
Domini et Patroni Colendissimi.

Relationes villicationis meae redditurus, ago imprimis gratias pro paterna Eminentiarum Vestrarum cura ac sollicitudine circa locum nationi nostrae destinatum SS. Sergii et Bacchi de Urbe. Atque utinam non tantum domestico cultu, sed ampliori numero personarum cumuletur. Conqueri cogor contra RR. PP. Societatis Jesu, eo quod per tot annos currente annuatim provisione per Collegia Pontificia in Germania, Bohemia, Bransbergae, Vilnae, pro Ruthenis nostris, nullum hactenus receperint; et, si receperunt, id cum summa difficultate fecerunt, tractaruntque illos adeo inhumaniter, (alioquin hoc in Regno nobilitate conspicuos), ut mancipia vilia tractari solent. Scribatur non semel ex Collegio Graeco Romano: Opprimimur per Deum Rutheni a Patribus Societatis, nec hiscere audemus propter potentiam, qua plurimum Romae pollent. Graecis sycophantis, an potius perfidae genti, plurimum deferunt, nostros vero Religiosos qua possunt mortificant arte. Mallem pellantur potius Collegio Graeco, et omnibus Seminariis, quam talibus divescentur opprobriis. Tactus dolore vehementi cordis erga meos filios iniuriatos haec scribo, exorans EE.VV., dignentur omni efficacia adhibita monere RR.PP. Societatis, ne talia praesumant. Quemadmodum etiam hic in Magno Ducato Lithuaniae passim in Comoediis nostros Sacros Ritus Graecos derident, quod est scandalo Schismaticis. Cogor quoque pro munere pastoralis apud eosdem PP. Societatis, adhibito etiam forti brachio, repetere bona Polocensia, Ostrogiensia, Ruthenis debita, per illos iniuste possessa. Et licet usque ad sidera clament, ego restitu-

tionem dictorum bonorum curabo. Nunc quid manus potentis hisce temporibus per me operata sit aggredior.

Ut Polociam post 14 annos exilii reduxi Corpus B. Martyris Josaphat (non sine magnis impensis), mentem et conatus applicui ad Sedem Vitepscensem, Schismate infectam, ubi olim B. Josaphat trucidatus, 15 ecclesias recepi, sacerdotes unitos institui, et Unionem Sanctam Civibus Vitepscensibus promulgari iussi. Expertum enim (f. 297v) mihi est, vi potius cum hac gente agendum, ac resolutio ad mortem animo, quam expectanda de Caelo evidentia miracula. Spem firmam in Deo meo habeo, quod cum hac gente schismatica, quam Dominus mirabilibus ad inventionibus amoris sui toties vocabat, ita fiet uti factum est cum Haebreis, misericordiam Dei hactenus consequi non volentibus. Jam Moschus gratia Dei his mensibus magnas Cosacorum copias ad intercessionem delevit; hinc nobis Unitis respirium, quando Schismatici inter se digladiantur.

Ecclesiam vetustate neglectam, miraculis Divae Barbarae inclarescentem salutricis, resistente licet haeretico Domino loci, per litem in Tribunali Magni Ducatus Lithuaniae hoc Anno recuperavi. Parochum unitum ad Divina ibidem peragenda introduxi. Simili in materia...

Supraslii, 20 7-bris 1668.

Em.marum et Rev.marum Celsitudinum Vestrarum humillimus et obsequentissimus Servus

Gabriel Kolenda, Archiep. Metropol. totius Russia (m.p.).

267.

Suprasl, 20 . II . 1669.

Iterum instat Metropolita pro canonizatione Beati Josaphat.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2167, fol. 148.

WELIKYJ A. G., *Epistolae Metropolit. Kiovien.*, vol. II, pag. 280, nr. 60.

Eminentissime Princeps,
Domine et Patrone Colendissime.

Non immemor nec ingrata Russia, etiamnum meditatur secum, quanta sollicitudine, quali patrocinio, quibus expensis, qua liberalitate Emin. Celsitudinis Vestrae tam arduae molis processus, videlicet Beatificationis B. Martyris Josaphat steterit. Ex vestra enim Celsissima Domo per SS.mum Urbanum VIII cultu Beati condecoratus, illustrior innotuit Ecclesiae. Sed instat aliud gravissimum unicis conatibus Emin.mae

Celsitudinis Vestrae superandum, hoc est canonizationis gloria. Hanc autem avidis oculis, tanquam nostris terris laetissimam diem expectamus. Quanta vero inde Russia, an Catholica Fides cum ea capiet emolumenta, quisque colligere potest, si nimirum post fata inclyti Herois Josaphat, et in dies nova ac nova miracula fremens ac tunc Schisma mansuescere, arma contra Unionem Sanctam exacuta deponere, Sanctam Romanam Ecclesiam, eiusque universalissimum Pastorem, uti verum Christi Vicarium profiteri et venerari, et quod mirabile dictu, sub diem, quae est duodecima Novembris, eius nomini dicatum, turmatim in ecclesias Unitorum confluere cum debita reverentia festive consuevit. Certe ex eodem Canonizato uberiores fidei sanctae expectandos fructus. Proinde his audeo Emin. Celsitudinem Vestram sollicitare, interponere dignetur suas apud SS.mum D.num Nostrum preces pro Beato Josaphat preciosissimo Unionis unione inter SS. censendo. Repetens interim eadem supplicia vota, Em.mae Celsitudini Vestrae ex voto quoque succedere apprecor, Sacramque eius Purpuram deosculans, meorum obsequiorum promptitudinem offero.

Supraslii, 20 Febrarii, Anno 1669.

Em.mae et Rdn.mae Dominationis Vestrae humillimus Servitor
Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolitane Chioviensis. Hali-
ciensis totiusque Russiae (mp).

268.

Varsavia, 8 . X . 1670.

De periculis Unionis, de Eparchia Peremysliensi, de insufficientia redituum, de pensione Volodimiriensi, de canonizatione B. Josaphat, de Alumnatibus in Collegiis Pontificiis, de editione Breviariorum in lingua slavonica, nec non de iurisdictione in cives Vilmenses (excerptum).

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, vol. 426, f. 77rv, 82rv.

WELKYJ A. G., *Epistolae Metropolitane Kioviensium*, vol. II, p. 291, nr. 69.

Eminentissimi et Rn.dissimi Principes,
Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Peracta feliciter Commissione Cosatica Ostrogiensi Dominus Coadiutor meus Archiepiscopatus Polocen.⁶⁰ expensis licet de suo tribus mil-

⁶⁰ Cyprianus Zochowskyj, dein Metropolita Kioviensis (1674-1693); tunc temporis ipse multum fecit in causa pacificationis inter Regnum Poloniae et Ucrainam cosacorum.

libus florenorum polonicalium et totque periculis exantlatis rediit sanus sub initia Comitiorum Varsaviam. Infinitae Divinae Maiestati sint gratiae eo quod hanc saeculis interminabilem Graeco-Phocianam litem tantisper fortunis nostris ac subsidio commodato apud Ill.mum Dominum Marescottum sopiverimus punctum Religionis, plane sine laesione Unionis...

Nunc ventum ad argenta Ecclesiae, et haec nihil valent in comparatione animarum Sanctae Romanae Ecclesiae unitarum. Dummodo illas cum ecclesiis vindicem, aut in pristinum reducam statum, felix sum.

Dignentur Emin.mae D. Vestrae pro gloria Dei, et quali Unitorum solatio Canonizationem Beati Martyris Josaphat, Archiepiscopi Polocen., apud Sanctissimum Dominum meum procurare, quatenus Sanctitas Sua Clem.ma Martyrem (f. 82) inclytum, imo verius Sedis Apostolicae Propagatorem, Cathalogo inscribere Sanctorum sive per Breve speciale (Martyr enim non indiget tot solemnitatibus, salvo iudicio et supremo Sanctissimi mei arbitrio) sive de more et stylo sanctae Sedis Petri referre in numerum Sanctorum, idque propriis Sanctissimi Domini Nostri expensis. Vere enim non valemus quidquam contribuere ex nobis. Quemadmodum Ill.mo Domino Marescotto (qui Unionem Sanctam, ut acerrime hoc in Regno defendit, ita pro defendenda illa commodare sumptus non dedignatus est) non sumus ullo pacto solvendo. Dolendus quoque Dominus Episcopus Chelmensis in receptione certae a Schysmaticis Ecclesia atrocissime vulneratus. Et tamen Respublica citius palpabit Schysmaticos, quam nostrae ulciscetur iniuriae.

PP. Societatis mirantur Monachos nostros Basilianos nolle pergere Collegium Graecum de Urbe...

Jam Dei gratia Breviaria Slavonica, typo noviter per me erecto, edita sunt, Sanctis Ruthenis ignotis S. Sedi Romanae eliminatis, exaratoque palam illo contra perfidos Graecos articulo: qui a Patre Filioque procedit. Rumpatur quisque, rumpitur invidia, nos licet pusillus grex S. Sedis, et Christi, resistemus Schysmaticis pro posse.

Praeteritis (f. 82v) ruptis Comitiiis vici causam iurisdictionis Metropolitanae Vilnensis circa Colonos in fundis eiusdem locatos. Nunc vero pervenerunt Brevia Sanctitatis Suae hanc rem commendantia. Interim Sacras Eminentiarum VV. Purpuras devotissimo exosculans obsequio, me gratiae Eminentiarum VV. quam impense commendo, maneoque.

Eminentissimarum et Rd.ssimarum Dominationum Vestrarum
humillimus Servus

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus.

Varsaviae, 8va 8bris, Anno 1670.



IMAGO S. JOSAPHAT IN ECCLESIA S. ANDREAE IN VALLE
ROMAE

(Relata fuit instantia in Congr. generali de Prop. Fide, sub dat. 12.I.1671, sequentibus verbis):

Supplica l'EE.VV. per la gloria di Dio a volersi degnare d'intercedere da S. Santità, acciò sia ascritto nel numero de Santi il B. Giosafat Martire, Arcivescovo di Polotia, e che ciò segua per Breve, o in altra guisa, che a loro non rechi dispendio.

Dice, che i Padri Giesuiti mostrano maravigliarsi, che i suoi Monaci Basiliani non venghino al Collegio de Greci in Roma, ma che di ciò ne essi ne l'EE.VV. etc...

269.

Varsavia, 29 . XI . 1670.

Supplicat pro canonizatione B. Josaphat.

APF, *Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, vol. 1, f. 508rv.

WELKYJ A. G., *Epistolae Metropolitaram Kioviensium*, vol. II, p. 294, nr. 70.

Sanctissime ac Beatissime Pater,
Domine, Domine Clementissime.

Post humillima pedum Sanctitatis Vestrae oscula, et submissam officiorum nostrorum commendationem. Supplicavimus non ita pridem faelicis memoriae Clementi Nono, et antehac Alexandro Septimo, Sanctitatis Vestrae piissimis Antecessoribus, Sacrisque Congregationibus de Propaganda Fide et Rituum, variisque Eminentissimis Cardinalibus nos omnes Episcopi Rutheni cum Religione Basiliana et Clero populoque rutheno unito, supplivavit Respub. Polona et Lituana simul cum Senatoribus suis, supplicavit Rex Serenissimus moderni Antecessor cum Serenissima olim Regina Poloniae, ut gloriosus Martyr Josaphat gloriam martyrii perfectam, et perfectionem Canonizationis gloriosissimam a Sanctitate Vestra et Apostolica Sede, pro qua gloriose (f. 508v) occubuit, obtineret. Sed hucusque ob defectum impensarum desolati Regni, desolatissimae Russiae, et omnibus malis hostium pressae Unitorum haereditatis, ea Divi Martyris gloria potiri non potuimus. Habuimus quidem promissum ab Antecessore dignissimae memoriae Sanctitatis Vestrae, eum cum divo aliquo hocce honore sublevandum, sed quia id nobis non obtigit, cum non abbreviatam Sanctitatis Vestrae manum sciamus, submissi omnes nomine proprio, et aliorum absentium totiusque Cleri Sanctitatem Vestram exoramus, qui hanc nobis gratiam prima occasione praestare dignetur.

Solatio id erit magnis et pusillis Ruthenis, Schismaticis ansa conversionis, et firmum stabilimentum Unionis. Interea omnia coram Deo et hominibus bona Sanctitati Vestrae apprecamur.

Novembris 29, 1670, Varsaviae.

Sanctitatis Vestrae Domini Nostri Clementissimi

humillimi Servi ad pedes.

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolita Chiov.

Halicien. totiusque Russiae (mp).

Jacobus Susza, Episcopus Chelmen. et Belzen (mp).

270.

Varsavia, 29 . XI . 1670.

Similis supplicatio pro canonizatione B. Josaphat ad Cardinalem Barberinum.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 6648, fol. 157.

WELYKYJ A. G., *Epistolae Metropolitaram Kioviensium*, vol. II, p. 295, nr. 71.

Eminentissime et Reverendissime Princeps,

Domine, Domine ac Patrone Observandissime.

Sane semper nos ab Amplissima Domo Vestrae Eminentiae Sanctissimoque olim eius Patruo plurimos experti sumus favores, maximaque percepimus beneficia; quare etiam nunc Vestrae Eminentiae Domusque eius Eminentissimis Cardinalibus nostrae Unionis negotia obnix commendamus. Fuerat nobis a SS.mo moderni Praedecessore et ab Alexandro VII benigne promissum, quod Beatus noster Martyr Josaphat aliis canonizandis coniungendus erat; verum siquidem eo Beati Martyris honore proxime elapsis occasionibus non sumus potiti, submissee tamen rogamus, ut successuris temporibus et aliorum Sanctorum Canonizandorum opportunis occasionibus eiusmodi gloriae corona Martyr noster insigniatur. Certo enim scimus id in summum decus ac emolumentum Unionis cessurum, Schismaticis vero ansam conversionis praebiturum. Quod dum per Vestram Eminentiam a Sua Sanctitate petimus, humillima eidem deferimus obsequia.

Varsaviae, 29 Nov. 1670.

Eminentissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae

humillimi Servi.

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolita Chiovien.

Halicien. totiusque Russiae (mp).

Jacobus Susza, Episcopus Chelmen. et Belzen (mp).

271.

Suprasl, 31 . I . 1671.

Metropolita et Episcopus Chelmensis rutheni, enarratis diris persecutionibus, quibus Ecclesia Ruthena perpetuo impetitur, supplicant Pontifici, ut B. Josaphat in Sanctorum album referre velit.

ASV, *Lettere di Vescovi e Prelati*, vol. 57, fol. 11rv.

WELKYJ A. G., *Epistolae Metropolitae Kioviensium*, vol. II, p. 295, nr. 72.

Beatissime Pater.

Iterum supplices recurrimus ad suam Sanctitatem, maxime cum inaudiverimus brevi aliquot Beatos in numerum Sanctorum adscribendos, ut B. Martyrem Josaphat quondam Archiepiscopum Polocensem insimul simili honore condecorare dignetur. Nobiscum pro eodem supplicat Magnus Ducatus Lithuaniae, sub cuius olim tessera in Martio campo ingens exercitus Moschorum profligatus. Supplicat Samogitia, cuius fines attingunt Prussiam et Livoniam, quam dum subiugasset ex una parte Suecus, ex altera Elector Brandenburgicus, sed uterque haereticus, iam sancta fides catholica vacillare coepit. Coepit etiam hostis, periculum nullum suspicans, perturbari et temere, e contra debellati Catholici in gaudium prosiliere, et armis viribusque reassumptis quasi in uno die, sine exercitu potentissimas hostium catervas internecioni dederunt. Quibus caesis, dum omnes singularem Dei providentiam admirantur, et ecce clam inventum in illam Regionem corpus Beati Iosaphat propalatur, cui gloriosissimam victoriam grati cives adscripserunt. Denique tota Russia nobiscum supplicat humillime pro acerrimo zelatore Sanctae Unionis, pro qua religiosissime occubuit. Intuere, Beatissime, lachrymas Sanctae Unionis, necnon sanguinem copiosissimum eiusdem, quam dum Schisma divellere a sancta fide catholica omnibus viribus conatur, impiissimos ausus contra Regnum Poloniae tentare per viginti et aliquot annos non desistit. Cosaci, Tartari, Sueci, Brandenburgici, Valachi, Transilvani, Mosci alique hostes quid aliud facere, nisi instrumenta Schismatis, inter tot tantosque strepitus armorum vox perfida ubique personabat, ubi sunt Uniti cum Ecclesia Romana, quos ab ea nec minae, nec preces, nec tormenta divellere poterant. Quot sunt fame perempti in Severia, quot sunt flammis extincti in Lithuania, quot in Russia variis cruciatibus enecati, in Volhinia hucusque ipsi Praesules uniti quanta patiantur ob fidem catholicam, non latitat Sacram Congregationem de Propaganda Fide. Respice, B.me Pater, calamitosum statum Sanctae Unionis, quinimo fidei sanctae catholicae, quam atrox haeresis necnon

perfidum Schisma eradicare intendit. Clarifica Patriae nostrae in praesidium accerrimum Sedis Apostolicae Propugnatorem, Beatum Iosaphatum, quem Sanctitatis Vestrae piissimi Praedecessores sunt polliciti in Sanctorum commercium recipere. Debebit ille Sanctitati Vestrae immortales, nos vero nunquam satis persolvendas gratias. Interim Sanctitatis Vestrae pedes submisso ac filiali veneramur osculo.

Supraly, ultimo Ianuarii 1671.

Sanctitatis Vestrae D.ni, D.ni nostri Clementissimi

humillimi Servi ad pedes.

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolita Chioviensis,
Haliciensis totiusque Russiae (mpp).

Iacobus Susza, Episcopus Chelmensis et Belzensis (mpp).

272.

Suprasl, 8 . XII . 1671.

Ampla relatio quinquennalis Gabrielis Kolenda eiusque Coadiutoris de statu Metropoliae Kioviensis et Archiepiscopatus Polocensis nec non Ordinis Basiliani (Excerptum de Beato Josaphat).

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. I, fol. 425-450.

WELYKYJ A. G., *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum*, vol. II, p. 302-329 (304-306; 322-323).

Rationes villicationis meae reddere aggrediens, statum Metropoliae Kioviensis eiusque ecclesiarum describens, ac de Religione mea Sancti Basilii Magni... etc.

In universum Archipresbiteratus, seu Protopopias, tam Metropolia Chioviensis, quam Archiepiscopatus Polocensis, Vitepscensis, Mscisla-viensis, numerat sequentes:

1. Minscen. 2. Dolhinovien. 3. Miachelen. 4. Lohoy sien. 5. Blonscen. 6. Puchonien. 7. Thumenen. 8. Bobruiscen. 9. Rohacen. 10. Polocen. 11. Vitepscen. 12. Braslavien. 13. Mscislavien. 14. Holubicen. 15. Glembocen. 16. Crasnicen. 17. Beszenkovien. 18. Osmianen. 19. Bichovien. 20. Smolnien. 21. Toloczynen. (f. 426) 22. Borisovien. 23. Horscen. 24. Novogrodecen. 25. Vilnen. 26. Grodnen. 27. Podlachien. 28. Slonimen. 29. Colhoniscen. 30. Cirinen. 31. Nesvisien. 32. Klecen. 33. Liden. 34. Curlandiae. 35. Livoniae, sed paucae hic ecclesiae.

Adhuc desiderantur quator, aut quinque, sed me ob temporis au-

gustiam, quia scire non potui, latent. Hi superius attacti Archipresbyteri sunt Iudices primae instantiae Presbiterorum, quos quisque habet sub se. Porro rara est ecclesia unita, quae non censeat supra mille animas credentium. Cura equidem amplissima, sed redditus Presbiterorum, excepto quod colant aliquantulum terrae, adeo tenues, ut calices stannei, apparatus sacer valde pauper sit per omnes quasi Ecclesias rutenicas, tam unitas, quam schismaticorum.

Extensio Dioecesium memoratarum sat magna, utpote in longum a flumine Narva usque ad confinia Moschoviae, centum viginti leucas, hoc est sexcenta millaria italica, in latum vix non totidem continens. Circumferentia vero, capacissima et spatiosissima, ut vix duorum annorum curriculo per delegatum Visitatorem terminari possit Visitatio.

Tantae molis ego per Sanctitatem Suam constitutus Athlas, redeunte Archiepiscopatu Polocensi, Vitepscensi, et Mscislaviensi, per Pacta inita cum Moscho, ad possessionem Reipublicae, primam adhibui curam, ut Sacrae Exuviae Beati Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, una cum tumba argentea triginta millibus constante Polociam reveherem. Innumeras per 14 integros annos passus difficultates ac pericula, in vehendo hocce sacro deposito, cui insimul (f. 427) concredita, et iuncta fuere sacra Divi Casimiri ossa. At tumba, ne magnum occuparet spatium, debuit in partes multas frangi ac postea in reditu Polociam magnis meis expensis reparari. Sub hosticum, dum fugerem cum Sacris Lipsanis, et thesauro Beati Josaphat, per partes Prussiae, occurrit mihi exercitus Sveciae. Querenti quonam proficiscerer, respondi: ad Regem vestrum, victorem et potentem, pro reddenda obedientia, tanquam moderno Possessori huius Regni. Exceptus humanissime, et salvoconductu provisos, conducebar usque ad Regem Gustaum. Et cum aliquod leucis ab illo distarem, conversus ad salvumconductum dixi: redirent ad exercitum, quia in tanta vicinitate Regis, opus non habebam conductoribus. Illi abscesserunt in sua, ego vero quam citissime Varsaviam, quae a Rege nostro Casimiro obsidebatur, perrexii. Sic ope Divorum Regni Patronorum e manibus Sveticis mirabiliter liberatus sum una cum Sacra Supellectili.

Anno 1667, diebus Octobris, vix unquam in Magno Ducatu Lithuanae audita pompa, introduxi Beatum Martirem Josaphat Vilnam, ad Monasterium Sanctissimae Trinitatis. Primo tamen locaveram tumbam cum Corpore extra maenia Portae Trocensis, sub tentorio Ill.mi Generalissimi Pac. Facile dixerim eo centum et amplius confluisse milia hominum, Episcopi tum latini, tum uniti, cum Capitulo, Clero Vilnensi, ac omnibus Ordinibus, miro ordine ornabant processionem. Habita concio sub tentorio a Domino Episcopo Chelmensi super illud: Ingredere, Benedicte Domine, cur foris stas? Finito sermone, sex equi

mei, soliti vehere Beatum, aptati currui; Sed his miraculose renuentibus movere triumphalem currum, sex alii equi Ill.mi Generalissimi (f. 427v) Pac mitiores admoti. Vano tamen conatu. Quia ne isti voluerunt trahere cum Sacro corpore currum. Intulit proinde omnis populus, illic adstans: trahendum esse humanis, non equinis viribus. Hinc per medium plane milliare mille manus sereno caelo Senatorum, ac Nobilium per plateas civitatis Vilmensis traxerunt currum. Quo quis proprior, eo felicior reputabatur. Perventum sic tumba et corpore sacro ad ecclesiam Sanctissimae Trinitatis, Patrum Basilianorum unitorum. Interim Schismatici Vilmenses ad ecclesiam Sancti Spiritu ex opposito degentes, iussi ad gloriam Josaphat sonare campanas, uti sonarunt, coacti licet. Tormenta vero cum innumeris bombardis, in caemeterio Schismaticorum collocata, continuum explodebantur. Hic iam exuviis sacris in aede Sanctissimae Trinitatis positis, habita concio a moderno Domino Episcopo Vitepscensi, tunc simplici Religioso, super illud: Et occurrentes Seniores Civitatis, dixerunt ad Samuelem: Pacificusne est ingressus tuus? Eadem concio dedicata fuit Ill.mo Pac Generalissimo. Octo integris diebus processionibus, communionibus, conversionibus Schismaticorum, et Haereticorum, tum eiam miraculis, uti resuscitatione unius pueri, aliisque sexcentis voluit Dominus honorare suum Martyrem, qui ad occludenda ora Schismaticorum dicentium: nil adesse in tumba argentea praeter saxa et cineres, expositus fuit palam, corpore suo hactenus integro, et habita concio super illud: Videte et palpate, a R.P. Stephano Martyszkiewicz, Basiliano, Hegumeno Vilmensi.

(f. 428) Sub illud tempus mansionis exuviarum Beati, celebrata Vilnae Congregatio Basiliana. Multa in illa, internum regimen concernentia, caepta, conclusa, post ad effectum feliciter deducta.

Imminebat tempus cum Beato Martyre pergendum Polociam, unde exulaverat. Non absimili pompa, superius nominata, ex ecclesia Sanctissimae Trinitatis, ad ecclesiam Metropolitanam Vilmensem deduxi, et habita concio ab uno ex Societate super illud: Benedictus Gad, requievit in petra tabernaculi sui. Tandem et ibi, per aliquot dies, veneratione debita cultus, instante hora et die exitus Vilna, numeroso tunc concurrente populo, fuit datum vale Civitati Vilmensi nomine Martyris Beati, ab eodem Domino Episcopo Vitepscensi moderno, super illud: Da mihi animas, quae concio dedicata fuit Ill.mo Procancellario Magni Ducatus Lithuaniae. Quibus ad solatium Unitorum, conversionem, et confusionem Schismaticorum, gloriosissime peractis, iter suscepi cum corpore sacro Polociam. Quascunque transibam vias oppida et Civitates, ingens occurrebat pro devotionibus, ex revocatione schismatis, populus.

Metam fecit laboribus, ac expensis hac in parte meis duodecima

Novembris, anni 1667, Natalis, et sacra Beato dies, qua, Divina favente gratia, licuit Polociam ingredi. Reducem Beatum Incolae ab exilio longo redeunt, quo potuerunt plausu, comitatu, apparatu, explosione tormentorum, tractione manibus currus, exceperunt, et habita concio in Cathedrali S. Sophiae Basilica, a Domino Episcopo Vitepscen. moderno super illud: Circumspice Jerusalem ad Orientem, ecce enim veniunt filii tui quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab Oriente, usque ad Occidentem in verbo Sancti, gaudentes in honorem Dei; Typo data est dicta concio. Divinis tum quoque ingressus Beati claruit portentis. Schismatica enim (f. 428v) per septennium aridam manum gestans, dum fidei plena tangit tumbam, sensit vigorem manui restitui. Blasphemus Scelopetarius schismaticus tormenti impetu in altum fertur, postea misere diicitur, et letaliter convulneratus non supervixit; aliaeque innumera, Unionem Sanctam probantia, per hunc Beatum ostendit Dominus mira. Et modo crescentibus indies votivis, prodigiosa per illum operatur Deus.⁶¹

Eodem anno Comitia Regni Varsaviae celebrata, fauste Unitis, me impendente, et Domino Episcopo Vitepscensi moderno assistente, cessarunt. Lege enim publica personae, et bona Presbiterorum unitorum, tum etiam bona foundationis Nobilium liberata sunt ab oneribus militaribus. Villa quaedam nomine Ruta et Borovicki, Monasterio Zyroviciensi Unitorum, nobis procurantibus, ad honorem miraculosissimae Virginis per Rempublicam donata. Et quod caput ei est, nihil in favorem Schismaticorum stetit. Sicut his, ita aliis Comitiiis, nullus ex Dominis Episcopis nostris cogitavit adesse, aut obulum pro Unione tuenda expendere...

...Exceptis aliquot Archimandriis, fere omnes per licentiam militarem, et hiberna annatim concedi solita, devastatae. Idem fit cum Episcopatibus, et Metropoliis. Tanta infelicitas hoc in Regno Ecclesiae, ut bonis illius et Regalibus pascantur milites. Contra quod semper in Comitibus protestantur Ecclesiastici, nullo effectu.

Gemma Unionis, et Basilianae Religionis, est Monasterium Beatae Virginis miraculosae Zyroviciensis. Huc Reges Poloniae veniunt, huc Magnates ac Senatores magna confluent frequentia. Hic passim Haeretici, Schismatici convertuntur, et quidquid Christus Dominus operatus est cum aegris, id quotidie Virgo stupenda Zyroviciensis (ovalem figuram, in Iaspide rubro, cum litteris slavonicis sculpta, regerens) operatur. Evidentius argumentum probandi Unionem esse salutarem, et lau-

⁶¹ Ingressus reliquiarum B. Josaphat Polociam locum habuit mense Novembri 1667. Cfr. documenta supra allata.

dabilem non requiritur aliud, quam quotidiana miracula Beatæ Virginis Zyroviciensis, et Beati Josaphat Martyris. Si Sacra Congregatio digne-
retur Canonisationem Beati Martyris efficaciter apud Sanctissimum Dominum Nostrum promovere, summe prodesset hoc Unioni et conversio Schismaticorum sequeretur. Plura et Magna Sac. Congregatio facit pro Unione, hoc autem statim posset efficere. Praesertim quia adest Decretum Sanctissimi Urbani VIII, in causa Beati Martiris, tale: Constat de martyrio, de causis martyrii, de miraculis; et quodocunque possit devenire ad canonisationem eius. Quid amplius desideratur, nisi expensae, quibus ego cum tota Russia penitus impar, nam quidquid habemus, pro Ecclesia contra Schismaticos tuenda expendimus, semperque vexabimur a Schismaticis, et expendemus. (f. 444v) Obtineat hanc gratiam Beatus Josaphat ope et subsidiis Sacrae Congregationis, si non propter aliud motivum, saltem propter hoc, quia mortus est pro Christo, et pro Papa et est genuine Martyr Sedis Apostolicae. Experiar ego cum Russia Unita et Ordine Basiliano hoc solatium per Sacram Congregationem de Propaganda Fide (Missam Officium de Communi Martyrum Pontificium habet quoque Beatus Martyr). Meretur et Unio hanc gratiam Sacrae Congregationis, quia copioso maduit pro fide sanguine, numerando hisce temporibus Cosatici belli, variis in locis, supra centum quinquaginta Sacerdotes pro Unione caesos. Nos porro superstites continuis aerumnis, persecutionibus, contemptibus intantum satiamur, ut praestet pro Unione mori, quam longa patientia probari.

Monasterium Zyroviciense quadraginta alit Monachos, et musicam excellentem. Post ruinas Moscoviticas erigitur ecclesia conspicua sumptibus Monasterii, et piorum eleemosynis. Pro interno decore, nempe Altaribus, Imaginibus expendit viginti millia Ill.mus Dominus Mareschalcus Magni Ducatus Lithuaniae. Brevi finietur opus.

Religiosi, ad Beatum Josaphat degentes, ex Archiepiscopatu Polocensi meis sumptibus sustentantur. Sed cura mihi est impetrandi apud Rempubicam in Comitibus aliquam Villam, victui illorum sufficientem.

De Archimandria Suprasliensi, sanguine meo vindicata, dabitur specialis informatio Ill.mo Domino Nuntio Apostolico. Ubi supplicabo Sacrae Congregationi, ut et modo humillime per amorem Unionis supplico, pro revocatione olim factae (f. 445) transactionis coram Nuntio Apostolico... etc.

Scripta Suprasly, Mense Decembris 8, Anno 1671.

273.

Roma, 11 . I . 1672.

Ex relatione Cypriani Zochovskyj: de meliori progressu negotiorum Ecclesiae Unitae, et in specie de conclusione litis cum civibus Vilnensibus et cum aliquo Principe Boguslao.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 42, fol. 16rv, nr. 36.

WELKYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. II, p. 32, nr. 577.

Jan. 11.

Dà conto Monsignor Zocowski, Coadiutore dell'Arcivescovato di Polocia, con sua lettera de 24 Aprile, che essendo già stato consacrato Vescovo Vitepscense attende dall'EE.VV. le Bolle.

Che sia stata diffinita la pretentione, che haveva Monsignor Metropolitano sopra etc...

Che oltre alle spese fatte nel particolare di Vilna gl'è convenuto farne dell'altre per una nuova pretensione de Scismatici d'haver luogo ne Magistrati per le città; ma sendo state de gl'Uniti rappresentate le loro ragioni, ne essendovi alcun Eretico, o Scismatico nel Magistrato di Vilna, è stato decretato di non innovare cos'alcuna, ma che gl'Uniti siano conservati nel medesimo posto di prima.

Rinueva finalmente l'istanze per la Canonizatione del Beato Giosafat.

Rescriptum.

Quoad instantiam porrectam a Coadiutore Metropolitae Ruthenorum, ut a Sanctissimo impetretur Breve...

274.

Roma, 2 . VIII . 1672.

Instantia Metropolitae Kioviensis pro canonizatione Beati Josaphat.

WELKYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. II, p. 33, nr. 579.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 42, fol. 193v, nr. 12.

CONG. GEN. — Die 2 Augusti 1672 (f. 189).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Aula huius Sacrae Congregationis, in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi Cardina-

les infrascripti, videlicet: Barberinus, Brancatius, Ursinus, Fachenettus, Sfortia, Otthobonus, Albitius, Vidonus, Alterius, Rasponus, Bona, Borromeus, de Maximis, Lantgravius, et Azzolinus, necnon RR. PP. DD. Casanate, Cerrus, Ubaldus, Secretarius.

Relationes R. P. D. Secretarii.

L'Arcivescovo Metropolitano de Russia supplica l'EE.VV. per la Canonizzazione del Beato Martire Giosafatto.

Rescriptum.

Ad Sacram Congregationem Rituum.

275.

Suprasl, 29 . XI . 1672.

In variis negotiis: de iurisdictione et potestate iudiciali Metropolitae, conqueritur de Nuntio Apostolico Varsaviensi, et supplicat iterum pro canonizatione B. Josaphat (excerptum).

APF, Congressi: Mosc. Pol. Ruteni, vol. 1, f. 677-678v.

WELIKIJ A. G., *Epistolae Metropolitae Kioviensium*, vol. II, p. 336, nr. 85.

Eminentissimi et Reverendissimi Principes,

Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Eminentissimis Sacrae Congregationis de Prop. Fide. Cardibus.

Inhaerendo meis supplicationibus, quibus pluries compellavi Eminentias Vestras annullationem Decretorum Ill.mi Domini Nuntii requirens, easdem quam humillimas pro abrogatione dictorum Decretorum, me inscio latorum, replico instantias. Ne alias derisioni autoritas mea Metropolitana exponatur, et iam per duos annos retardata, ad exercitium suum vigoremque redeat pristinum. Veniunt iniuriati, conqueruntur coram hoc Iudicio secundae instantiae, ac irritis abscedunt votis, eo quod Ill.mus Dominus Nuntius...

Incidendo hic epistolam patris pro transitu filii ex Dominicana ad nostram Basilianam Religionem. Est plane incomparabilis zelus promovendae Unionis Eminentissimis VV.; sit quoque conatus efficax pro dicto transitu, personae alias perutilis Ecclesiae Unitae. Dum ille persistit rogando hunc transitum, persisto (f. 678v) et ego pro expeditione gratiae EE.VV. supplicando. Hanc concessionem Sanctissimi facilitabunt duo. Quod supplicans transitum Orator sit bene Parente natus ac non mediocris ingenii virtutisque.

Facilem valde, sed gloriosissimam toti Unioni non semel, sed mil-

lies rem postulavi, ut siquidem expensis pro Canonisatione Beati Martyris Josaphat non sumus pares et ille Divus sit Martyr, habeat suam Missam et Officium, saltem in hoc Sanctitas Sua miseram afflictamque soletur Unionem, expediendo nimirum Breve declaratorium, et concessorium cultus externi per totum Orbem Beato Martyri Josaphat, Archiepiscopo Polocensi. Quid enim, per Deum immortalem, obstat, quin Sanctissimus Dominus Noster (sub cuius praesentiam in hoc Regno quondam occisus est Beatus Martyr Archiepiscopus) concedat hanc gratiam, ad perenne gaudium Unitorum, confusionem Schismaticorum. Et quis scit si non et cladem futuram Turcarum, sicuti non semel sub ipsis Martyris invocatione supra triginta millia Moshorum caesa...

Exaundiamur aliquando in hac supplicatione unice Unioni proficua. Quod EE.VV. quam pregnantissime commendans, devotissimum Purpuris Eminentiarum Vestrarum do osculum, gratiaque et protectione earundem gaudere votum mihi est, eritque semper.

Suprasly, 29 Novembris Anno 1672.

Eminentiarum et Rnd.marum Dominationum Vestrarum

humillimus Servus

Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Metropolita totius Russiae (mp).

276.

Roma, 28 . VIII . 1673.

Instantiae et informationes Coadiutoris Metropolitanae: de favoribus obtentis Varsaviae, de conaminibus Unionis Universalis.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 43, fol. 293v-294, nr. 24.

WELKYYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. II, pag. 42, nr. 592.

CONG. GEN. — Die 28 Augusti 1673 (f. 287).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Aula eiusdem S. Congregationis, in qua interfuerunt Emin.mi et Rev.mi Domini Cardinales infrascripti, videlicet: Brancatius, Ursinus, Sfortia, Otthobonus, Albitius, Vidonus, Carafa, Rasponus, Ninus, Bona, Azzolinus, et Casanate, nec non R. P. D. Urbanus Cerrus, Prosecretarius.

Relationes Em.mi Bonae.

Il Vescovo di Vitepsco, Coadiutore del Metropolita de Rutheni, con lettera de 29 Aprile, da conto d'haver nella passata Dieta spediti molti particolari, spettanti all'Unione de Rutheni, e della Religione di S. Basilio, et in particolare haveva ottenuto, che siano venerate le reli-

quie del Beato Giosafat, et assegnate certe entrate regie per sostentamento d'alcuni Monaci, che assistono al suo corpo.⁶²

Che haveva havuti varii discorsi col Re, e con Monsignor Nuntio, per comporre le cose della Russia, e ridurre quei Scismatici al grembo della Chiesa, et in S. Maestà n'haveva trovata buona dispositione, ma chè nulla si puol conchiudere, se non si erigge un Patriarcato nella Russia, e non si faccia un Sinodo alla presenza di Monsignor Nuntio, e dei Senatori del Regno...

Dice Monsignor Prosegretario, che nella Congregatione particolare de Rutheni, tenuta li 19 Settembre prossimo passato...

Il Vescovo di Vitepsco stà in Varsavia, e si porta per il Regno di Polonia col Metropolita, secondo l'occasioni.

Rescriptum.

Quoad primum, laudetur.

Quoad erectionem Patriarchatus in Russia: Nihil.

Quoad Synodum conficiendam coram R. P. D. Nuntio, scribatur eidem pro informatione.

277.

Romae, an. 1674.

Promerita G. Kolenda in cultu Beati Josaphat promovendo (excerptum).

WELIKIJ A. G., *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium*, vol. II, p. 214, nr. VI.

TABULARIUM COLLEGII GRAECORUM, ROMAE, vol. 10: *Historia Collegii Graecor. de Urbe*, P. I-a, fol. 151r-154r.

DE GABRIELE KOLENDA RUTHENO.

Gabriel Kolenda, vir antiquae fidei, probitatis, atque constantiae, ex Russia, ubi Basilio nomen iam dederat, Romam in Graecorum Collegium, reparatae salutis millesimo sexcentesimo supra trigesimo sexto venit. Triennium hic...

Illud tamen admirabilius, quod inter Moschi hostilis exercitus furores, praedas atque rapinas, incolumem sacram supellectilem praetiosissimis thesauris divitem hac illuc aufugiendo et latitando, diu multumque servaverit. Praecipua fuerunt inter haec: Arca argentea, in qua Beati *Josaphati Martyris* sanctum corpus tumulabatur, rari ponde-

⁶² Documenta in hoc negotio nondum invenimus in Archivio Secreto Vaticano.

ris atque pretii, alteraque huic non obsimilis, in qua Sancti Casimiri Principis exuviae pretiosissimae servabantur; cumque his sacri omnes thesauri Latinorum Vilnensium, quorum curam una cum ipso grege sibi ab Antistite latino traditam Kolenda suscepit. Iam vero in hac Gabrielis tam longa tamque miserabili fuga contigit, ut latinus quidam Antistes, qui ipsum consanguinitate tangebatur proxime, eundem, ut in tuto sese reciperet, magnis pollicitationibus in Prussiam invitaret, siquidem in Sede indefessus modis omnibus, prospero quoque successu, perpetuo ursit. Morum probitate totiusque integritate vitae, summa prudentia, uberique doctrina, magnam sui opinionem apud omnes, praecipue vero nobiles ac principes viros, adeptus est. Sacras aedes non paucas earumque bona de perduellium manibus recuperavit, Romanaeque sinceræ Religionis cultoribus attribuit. Sacros ritus, dum Divina in templis procurantur, in pristinum vigorem atque usum, cum foedati plurimum et superstitionibus depravati forent, restituit. Splendorem quoque sacris peragendis, ornatumque suppellectilis pretiosae adiecit. Praecipue vero templum, in quo Beati Martyris Josaphati condebantur exuviae, pretiosis auleis undique circumvestivit.

278.

Roma, 12 . XI . 1674.

Instantia pro canonizatione Beati Josaphat.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 44, fol. 296v-297, nr. 3.

WELKYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. II, p. 52, nr. 600.

CONG. GEN. — Die 12 Novembris 1674 (f. 296).

Fuit Congregatio Generalis de Propaganda Fide in Aula eiusdem S. Congregationis, cui interfuerunt Eminentissimi et Rev.mi DD. Cardinales infrascripti, videlicet: Barberinus, Ursinus, Facchenettus, Sfortia, Otthobonus, Albitius, Carafa, Alterius, Rasponus, Ninus, Pallavicinus, de Maximis, Nerlius, Lantgravius, Azzolinus, Casanate, nec non R. P. D. Cerrus, et Ravizza, Secretarius.

Relationes R. P. D. Secretarii.

Monsignor Metropoli de Rutheni supplica à operare che venga connumerato frà Santi il Beato Josafat, Arcivescovo di Polotia, Martire, senz'altra spesa, mentre per le guerre, et in questi tempi calamitosi non si è potuto raccogliere alcuna somma in quel Regno.

Nella Congregazione de 24 di Maggio 1638 fu decretato, che si

supplicasse S. Santità per la speditione della Beatificatione, o Canonizzazione del sudetto Martire.

E nella Congregatione dè 2 d'Agosto 1672 fu fatta una simile istanza, e fu rescritto: Ad Sacram Congregationem Rituum.

Rescriptum.

Ad Sacram Congregationem Rituum.

279.

Roma, 26 . VIII . 1675.

Instantiae Metropolitae Kioviensis pro canonizatione Beati Josaphat etc.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 45, fol. 217rv, nr. 13.

WELKYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. II, p. 54, nr. 604.

CONGR. GEN. — Die 26 Augusti 1675 (f. 214).

Fuit Congregatio generalis de Propaganda Fide in Aula eiusdem Sacrae Congregationis, in qua interfuerunt Em.mi e Rev.mi DD. infra-scripti Cardinales, videlicet: Barberinus, Ursinus, Grimaldus, Sfortia, Ottobonus, de Albiciis, Vidonus, Carapha, de Alteriis, Rasponus, Ninus, de Maximis, Columna, Nerlius, Crescentius, Langravius, Azzolinus, et Casanate, nec non RR. PP. DD. Piazza, Assessor Sancti Officii, Cursius, Prothonotarius Apostolicus, de Albiciis, Iudex, et Cerrus, Secretarius.

Relationes Emin.mi Ursini.

Monsignor Cipriano, Metropolita della Russia, con lettera dè 31 Maggio prossimo passato rinuova le suppliche acciò il Signor Cardinale Nerlii pigli la protettione di quelle (f. 217v) parti in luogo del Signor Cardinale S. Croce. E che per Breve s'annoveri nel Martirologio de Santi Giosaphat, Arcivescovo Polocense, che fu martirizzato per la Santa Fede, non essendovi modo di fare le spese della Canonizzazione solenne.

Passa poi ridar conto di havere assegnate tutte le sue rendite al novitiato della Religione Basiliana, ed essersi reconciliato col Vescovo Vladimirens, e che à 13 Marzo si convocò una Congregatione numerosissima, nella quale volevano elleggerlo Generale della sudetta Religione, ma egli ricusò, e fu eletto il Padre Pacomio Ohilevicz.

In più Congregationi è stata fatta simile istanza per il suddetto Giosaphat, et ultimamente in quella di 12 Novembre 1674, e fu rescritto: ad Sacram Congregationem Rituum, dalla quale non si è saputa alcuna risoluzione.

Rescriptum.

Secretarius cum Em.mo Nerlio, ut dignetur accipere in protectionem Provinciam Russiae.

Et quoad Josaphat, Arch. Polociensem : ad Congregationem Rituum.

280.

Romae, an. 1675.

Instantia Procuratoris in Urbe Josephi de Camillis pro canonizatione Beati Josaphat.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali* (Fondo Vienna), vol. 32, f. 222rv.

Beatissimo Padre.

Fra le brame maggiori che hanno i popoli cattolici di Russia, Lituania, e Polonia, et in particolare i Prelati di Rito greco, et i PP. dell'Ordine di S. Basilio Magno Uniti di quel Regno, una è di vedere maggiormente inalzata nella Chiesa militante la gloria del B. Giosafat Kuncevicio già Arcivescovo di Polocia del sudetto Ordine di S. Basilio colla sua solenne canonizatione, che pur troppo si meritò apresso questa Santa Sede Romana con lo spargere generosamente il proprio sangue in difesa di lei honore, molto in quelle parti di Russia conculcato dalli Scismatici, et Eretici. Ma dall'altro canto, considerando, che, stante le presenti circostanze, le forze loro non saranno mai bastanti per contribuire ciò che sarebbe necessario in simile solennità, però, acciò il detto glorioso Martire non rimanga totalmente privo del meritato onore, Giuseppe de Camillis, Procuratore Generale del suddetto Ordine à nome del Monsignore Cipriano Zochouschi, Arcivescovo Metropolitano di tutta Russia, e del P. Pacomio Oilevicz, Generale del medesimo Ordine nel Regno di Polonia,⁶³ con ogni più profonda humiltà, e istanza maggiore supplica la Santità Vostra che si degni con Breve speciale concedere che il detto glorioso Martire sia posto nel Martirologio Romano e nel Menologio Greco, o Rutteno fra il numero de Santi, in quella conformità che l'anno 1671 furono coll'approvazione di V. S. posti li SS. Gio. di Matta, e Felice di Valois, fondatori dell'Ordine della Santissima Trinità del Riscatto.

Dopo il beneplacito della Santità Vostra potrebbero concorrere per facilitamento della grazia i seguenti motivi.

⁶³ Pachomius Ohilevycz, Protoarchialndrita Basilianorum ann. 1674-1679.

1. L'essere Martire questo Beato. Onde essendo già stato dichiarato da questa Santa Sede il suo Martirio, pare che non vi resti altra maggiore difficoltà.

2. L'essere già compito il suo Processo con ogni validità, et approvati dalla medesima Santa Sede i suoi miracoli.

3. L'havere la Sac. Congregatione de Riti dichiarato nel decreto dato sotto li 14 Xbre 1642 et approvato dalla fel. mem. di PP. Urbano 8 (f. 222v) nell'Indulto dato li 16 maggio 1643, che questo B. Martire sia degno d'essere fra i Santi annoverato colle seguenti parole: « Ideo Sacrae Congregationi videtur, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, posse ad solemnem ipsius Servi Dei Josaphati Canonizationem quandocumque deveniri ».

4. L'essere comunemente chiamato con titolo di Santo da quei popoli di Russia, che hanno questo B. Martire in somma veneratione, per i grandi miracoli che veggono giornalmente operarsi da Dio à sua intercessione.

5. L'havere l'anno 1665 la fel. mem. di PP. Alessandro 7, ad istanza dell'Ill.mo Monsignor Giacomo Susza, Vescovo di Chelma, il quale dedicò al suo glorioso nome la vita di questo B. che egli stampò in Roma il medesimo anno, permise oretenus che nel Breve dell'Indulgenza concessa per il giorno della festa del Martire pro una vice tantum fosse scritto con titolo di Santo. La quale gratia fu poi dalla gloriosa mem. di PP. Clemente nono più liberamente concessa l'anno 1667 per sette anni seguenti, col medesimo titolo di Santo.⁶⁴

6. L'havere questo glorioso Martire fatto, e patito tanto specialmente per la Santa Unione colla Chiesa Romana, per difesa del di cui onore diede generosamente il sangue, e la vita; Onde sembrerebbe giustissimo se fosse con quest'onore da detta S. Sede contracambiato. Et accio vedendosi questa grata riconoscenza si confondano i Scismatici, e maggiormente s'animino i Cattolici à seguire le sue gloriose pedate. Che oltre il comune applauso, e ringraziamento di quei Popoli, e di tutta la Christianità, si renderà maggiormente grata à questo S. Martire e à tutta la Corte Celeste la P. V. Quam Deus, etc. etc.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, (Fondo Vienna), vol. 32, f. 221.

SOMMARIO.

Il Padre Giosepe de Camillis Procurator Generale dell'Ordine di San Basilio di rito Greco in nome ancora del Metropolita della Russia supplica, che per Breve s'annoveri nel Martirologio de Santi il Beato

⁶⁴ Cfr. *supra* sub nrr. 241, 260.

Giosafatt Arcivescovo Polocense (che fu martirizzato per la S. Sede, non essendovi modo di fare le spese della Canonizzazione solenne), come s'è praticato con li Santi Gio. di Matta, e Felice di Valois.

Dice Monsignor Segretario che nella Congregazione dè 26 Agosto prossimo passato fu questa istanza rimessa alla S. Congregazione de Riti.

281.

Suprasl, 8 . IX . 1678.

Metropolita Kioviensis rogat Pontificem, ut diem festum B. Josaphat ad diem 26 mensis Septembris transferre velit.

ASV, *Litterae Episcoporum*, vol. 61, fol. 241.

THEINER A., *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae...*, vol. III, pag. 672.

WELYKYJ A. G., *Epistolae Metropolitaram Kioviensium*, vol. III, pag. 49.

S.me ac Beat.me in Christo Pater, Domine, Domine
Clementissime.

Quod operam meam impendam reducendo ad gremium sanctae Matris Ecclesiae Domino Episcopo Leopoliensi Rutheno⁶⁵ plane nullam Sanctitatis Vestrae Apostolico dignetur elogio, id enimvero ipsum illi pondus addit, quo aliquid esse videatur, quemadmodum et ipse, qui fui nullus ex me, ore Petri in Antecessore Sanctitatis Vestrae locuto is sum, qui in Russia mea supraque illam nunc audio et sum. Itaque tantae vocis dignatione animatus, promptus abhinc in verbo tuo, Beatissime Pater, laxabo retia in capturam, totum me operi laborique huic consecrans, consecraturusque dum vivo. Porro cum promovendae Sanctae Unionis multum uniceque intersit, ut cultus B. Martyris Josaphat augeatur, erga hunc enim proni facti Schismatici, facile proni reddentur in Sanctam Romanam Ecclesiam, pro qua norunt ipsum mortem oppetiisse, illud a Sanctitate Vestra, quod cultui isti promovendo percommodum fore omnino constat, demississime supplico, ut dies divi Martyris natalis, quo ipse per pretiosam martyrii mortem coelo natus est, vitamque adiit beatam, qui in duodecimam incidit Novembris, Sanctitatis Vestrae indulto transferatur in diem ante vigesimam sextam Septembris, anniversaria pompa colendus. Nempe November mensis, uti pluviis ac

⁶⁵ Josephus Szumlanskyj, Episcopus Leopoliensis (1676-1708), qui anno 1677 clam professionem catholicae fidei fecit et anno tantummodo 1700 totam Eparchiam cum Sede Apostolica Romana univit.

immaturae glaciei cum discrimine vitae ad sacras Martyris exuvias devote proficiscentium obnoxius, facile avertit ab hac sancta peregrinatione pios fideles, quorum numerus immensus alias confluxisset. Hanc gratiam a S. V. ubi fuero consecutus, una cum Russia mea multos serosque Sanctitati Vestrae, Sanctae Ecclesiae Catholicae bono, precabor, ut et precor perenniter annos. Nunc vero sanctissimis provolutus pedibus, iisdem humillimum figo osculum, sumque quoad vivo.

Sanctitatis Vestrae Domini Domini mei Clementissimi humillimus,
devotissimus et obligatissimus filius ad pedes

Cyprianus Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis.

Suprasly, 8 Septembris 1678.

Nota: Innocentius XI, auditis precibus Metropolitanis Kioviensis, decreto S. Congregationis Rituum 2 Septembris 1679 indulsit translationem festi S. Josaphati de die 12 Novembris ad diem 26 Septembris.

Decretum descripsit in sua Monumentorum cultus S. Josaphat collectione manuscripta, t. II, pag. 166, vir piissimus Palus Szymanski, decanus Capituli Chelmensis ritus Graeci-uniti (*Ex libello supplici, asservato in S. C. Rituum, post an. 1867*).

282.

Romae, 2 . IX . 1679.

Decretum S. C. Rituum de translatione festi S. Josaphat de die 12 Novembris in diem 26 Septembris.

Bullae et Brevia Summorum Pontificum, SS. Congregationum Decreta necnon Ser-morum Poloniae Regum Diplomata Congregationem Ruthenorum OSBM concernentia, Pazajovia 1767, pag. 54.

SZYMANSKI P., OSBM, *Codex Manuscriptus*, vol. II, pag. 166.

Sacra Rituum Congregatio, ad preces Rev.mi Archiepiscopi Polociae, Metropolitanis totius Russiae et P. Generalis Monachorum Ord. S. Basilii Magni, benigne concessit, ut festum B. Martyris Josaphat Archiep. Polocensis praedicti Ordinis, quod hactenus celebratum est die 12 Novembris, ut per Indultum Apostolicum sub datum die 16 Maii 1643, in posterum, iustis de causis, transferri et celebrari possit et valeat in Regno Poloniae tantum die 26 Septembris cuiuslibet anni.

Hac die 2 Septembris 1679.

Caesar Card. Fachenettus

Bernardinus Casalius, Sac. Rituum Congr. Secr.

(Cfc. de hac quaestione articulum M. Wawryk, OSBM, in « Analecta OSBM », vol. VI, Romae 1967, sub tit. « De festo S. Josaphat in Ecclesia Rutheno-Ucraina »).

283.

Roma, 23 . I . 1691.

Instantiae Episcopi Peremysliensis Malachovskyj et P. F. Bonesana de modo uniendi Episcopum Peremysliensem non unitum, etc. (excerpta).

APF, Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari, vol. 29, fol. 379-383.

WELYSKYJ A. G., Congregationes Particulares Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantes, vol. I, Romae 1956, p. 106-110, nr. 55.

CONGR. PART. — Die 23 Januarii 1691 (f. 383).

Die 23 Januarii 1691 fuit Congregatio Particularis de Prop. Fide super rebus Ruthenorum, in qua interfuerunt Em.mi ac Rev.mi DD. Cardinales: de Alteriis, Barberinus, Nerlius, et Casanate, et resolutum fuit...

Sommario. — Tentarono li Scismatici nell'ultima Dieta generale di Polonia...

Dopo di che venne avviso dal Padre Bonesana, e da Monsignor Malacouschi medesimo, che il partito di Winicki prometteva, che in breve egli si sarebbe unito con tutto il suo Clero, e che nessuna altra cosa haverebbe più desiderata Monsignor Malacouschi di questa per potere con licenza dell'EE. VV. ritirarsi alla sua cella.⁶⁶

Insiste perciò di nuovo per suo Coadiutore, nominando il Padre Porfirio Kulciescki, huomo di somma probità, che il medesimo Winicki, quando dicesse da vero, potrebbe ancor esso accettare con futura successione.

Perciò ad effetto di stabilire una perfetta unione col Winicki supplicò l'EE. VV. à degnarsi di esaminare le seguenti condizioni da lui giudicate necessarie.

1.mo. Che debba dichiararsi Unito alla presenza del Nunzio o del Deputato da esso.

2. Che dependa dal Metropolita...

8. Che per corroborare l'Unione commandi, che il suo clero celebri la festa del B. Martire Josaphat.

9. Che proibisca la lettura de libri...

⁶⁶ Revera Joannes Malachovskyj translatus fuit anno 1692 ad Sedem Chelmensem, post unionem Eparchiae Peremysliensis.

284. - 286.

Roma, 17 . IX . 1691.

*De conditionibus Unionis Eparchiae Peremysliensis, etc.*APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 660-661, 654-660.WELIKYJ A. G., *Congregationes Particulares...*, vol. I, Romae 1956, p. 110-116, nr. 56.

CONGR. PART. — Die 17 Septembris 1691 (f. 660).

Die 17 Septembris 1691 fuit Congregatio Particularis de Prop. Fide super rebus Ruthenorum, in qua interfuerunt E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales: de Alteriis, Carolus Barberinus, Casanate, Denoff, et Palavicinus, fuitque in ea resolutum, prout sequitur:

Quoad primum, non posse capi resolutionem...

Quoad 2m: negative, nec solvendum a vinculo Ecclesiae Praemisliae D. Malacouski...

Quoad 3m: Licet videatur resolutum in praecedenti, tamen quia expedit nihilominus exquiri signa verae et sincerae Unionis Domini Winicki eademque esse manifestam, videtur scribendum D.no Nuntio, ut curet praestari ab eodem Domino Winickio sequentia:

1. Quod recognoscat Dominum Metropolitam...

2. Quod eidem Metropolitae celebranti...

5. Quod postquam totus Clerus, vel pars, omnia Monasteria, vel pars unita fuerint, mandet ab iis celebrari iuxta morem Unitorum festum Beati Josaphat.

6. Quod prohibeat libros... etc.

* * *

Eadem conditio confirmata etiam in Congregatione Particulari, die 22.VII.1692, verbis:

« E per quello riguardava a Monsignor Winicki, fu scritto al medesimo Nunzio di farli sapere, che restava da desiderarsi l'osservanza d'alcune circostanze, non per dubbio s'havesse della sua fermezza, ma per maggior sodisfattione della tenera coscienza della Santità di Nostro Signore, et erano le seguenti:

1. Di riconoscere il Metropolita Lituano...

3. D'ordinare venghi celebrata la festa del B. Giosafat, dopo l'unione di tutto o parte del Clero, o de Monasteri.

4. Di proibire... etc.

(cfr. IBIDEM, vol. I, pag. 119, nr. 58).

* * *

Nuntius vero Poloniae, sub dat. 26.II.1692, in mandatis obtinuit sequentia (excerptum):

« Si rende sempre più degna di commendatione la particolare beneficenza che la Maestà del Re s'è compiacuta d'esercitare nella persona di Monsig. Malacouschi...

Con tutto ciò per rendere un'opera di tanta importanza più perfetta e speciosa, pare che resti da desiderarsi, che Monsignor Winicki prometta l'osservanza delle seguenti circostanze; onde V. S. non mancherà d'impiegare tutta l'efficacia appresso il zelo sperimentato del Re, perche persuade detto Prelato a condescendervi per maggior sodisfazione della tenera coscienza della Santità di Nostro Signore, e sono:

Che riconosca il Metropolita Lituano...

Che ne gl'Offitii e Vicariati foranei...

Che dopo l'Unione di tutto, o parte del Clero, o de Monasteri ordini che da essi venghi celebrata la festa del B. Giosafat.

Che proibisca i libri... (cfr. *Litterae*, S. C. de *Propaganda Fide*, vol. II, Romae 1955, pag. 183-185, nr. 768).

* * *

Cfr. etiam de eadem conditione, quae habentur in *Acta S. C. de Prop. Fide*, sub dat. 7.VIII.1690, pag. 103, nr. 661: « 8. Che per corroborare l'Unione commandi che il suo Clero celebri la festa del Beato Martire Giosafat »; et sub dat. 13.VII.1694, tantum est in tractatione eiusdem negotii: « 3. Di ordinare la celebratione della festa di S. Josaphat » (IBID., pag. 125, nr. 686).

* * *

Exinde patet, celebrationem festivitatis Beati Josaphat tunc temporis consideratam fuisse ut signum catholicitatis et unionis, eamque Sedes Apostolica, eadem ratione ducta, Episcopis et Clero uniendo imponebat, ut conditionem.

287.

Romae, 17 . X . 1705.

Episcopo Luceoriensi de persecutionibus Ecclesiae Unitae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 84, fol. 223rv.

WELYKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, p. 7, nr. 626.

Venerabili fratri Episcopo Luceoriensi.⁶⁷

CLEMENS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Ingentibus curis, quibus pro praesenti luctuosissimo Christianae Reipublicae statu circumdamur, additus profecto est cumulus, ubi audivimus, quid actum sit non ita pridem in civitate Plocensi adversus nonnullos religiosos viros Ordinis Sancti Basilii,⁶⁸ Sanctae Romanae Ecclesiae in cultus catholicae fidei unitos, ut quidem casus gravitate, et acerbitate praeter modum commoti, ac perturbati metuentes etiam, ne aliis item fidelibus similia pericula impendeant, vota nostra cum ge-

⁶⁷ Ut videtur agitur de Episcopo Luceoriensi Ritus Rutheni, Dionysio Żabokryckyj, qui anno 1702 Eparchiam suam Ecclesiae Catholicae univit.

⁶⁸ Agitur de famoso excidio Basilianorum Polocensium. Ad meliorem intelligentiam Brevium huius anni nec non posteriorum anni 1710 utile duximus hic relationem Card. Pignatelli adducere, habitam in Congr. S. C. de Prop. Fide, 22 . XII . 1705.

Relationes E.mi Pignatelli.

Monsignor Metropolita della Russia, e Monsignor Vescovo di Luceoria, Ruteno unito, con lettera delli 28 d'Agosto passato ragguagliano l'EE.VV. della crudeltà usata dal Czar, di (f. 387v) Moscovia in odio della religione cattolica con i Monaci di S. Basilio, Ruteni uniti, del Convento Polocense con haverli quasi tutti uccisi. Il fatto è il seguente.

Havendo il Czar determinato di andare con grosso esercito contro il Re di Svezia in Polonia convocò tutti i Prelati del suo Dominio affinchè gli dessero la loro benedizione; questi dissero unitamente che non gli sarebbe giovata la loro benedizione, se non avesse sradicata in Polonia, e nelle circonvicine Provincie la Santa Unione, mediante la quale s'erano dalla loro fede sottratte diverse Diocesi vastissime, con aggregarsi al Pontefice, et alla Chiesa Romana. Al che dopo qualche repugnanza havendo il Czar consentito, e presa la loro benedizione subito entrato nei confini della Polonia fece lacerare tutte l'imagini che potevano travarsi di S. Giosafat, molto venerato da Ruteni uniti, per essere egli stato martirizzato per la S. Unione (f. 338). Giunto poi nella Città di Plosco, et entrato nella Cattedrale, ove si conservavano le reliquie di detto Santo, quali haverebbe fatte abbruciare, se non fossero state prima trasportate in luogo sicuro, interrogò uno di quei Monaci, cioè il P. Theofano Kalbieczynski, di chi fosse l'immagine che veneravasi sul Altare, e perchè portasse in testa un accetta; ed havendo inteso dal detto P. che rappresentava S. Giosafat, Vescovo e Martire, ucciso con quell'arme da suoi sudditi, soggiunse, e chi l'ha dichiarato, e fatto venerare per Santo, et udito dal Religioso, essere stato dichiarato tale dal Pontefice Romano, e che il medesimo Padre era unito colla S. Chiesa Romana, gli diede uno schiaffo, et una bastonata in testa, e fattolo cadere, e lacerare da un cane lo finì poi d'uccidere colla sciabla assieme col P. Giosafat Ankudowicz, che si trovava presente. Andato poi all'Altare gettò per terra il SS.mo Sacramento e perchè il P. Costantino (f. 388v) Lankoroski, Vicario di quel Convento, raccoglieva le Sacre Hostie, tagliategli l'orecchie lo fece impiccare, et abbruciare con i predetti PP. Teofane, e Giosafat, e colli PP. Giacomo Kizikowski, già Superiore di quel Convento, Clemente Rozniatouski, Giacomo Knyszewicz, Sacerdoti, Michele Kousalewski, Meletio Kondratovicz, Diaconi, e Gabriele Kolenda, Religioso Professo, uccisi in diverse maniere, assieme con i Servitori dell'istesso Convento. E perchè alcune donne presenti a tale spettacolo commiseravano il caso degl'estinti fece ad esse il Czar tagliare crudelmente le zinne. Saccheggiata poi la detta Chiesa, e Convento, la donò all'Arcivescovo scismatico, il quale per tema de Grandi del Regno havendola ricusata, fu chiusa dal Czar, e sigillata. Dopo di che ad istanza del Clero scismatico fece ammazzare molti altri Religiosi di altri Conventi, e discacciò dalla città tutte le Monache dell'istess'Ordine (f. 389) di S. Basilio.

Quali crudeltà essendosi dichiarato di voler usare con tutti i Monasterii de Ruteni uniti di quel Regno, e specialmente con il Metropolita, questi si sono fuggiti e nascosti ne luoghi

mitu ad Deum effundimus ad exorandam pacem, atque incolumitatem Ecclesiae filiis, eisdemque congruam in tanta adversitate constantiam.

Gravissimis deinde verbis per Venerabilem fratrem Horatium Philippum Archiepiscopum, Episcopum Lucensem, Nuntium nostrum, admoneri volumus Maiestatem Regis Poloniae,⁶⁹ ut ea, qua par est, diligentia, omnique studio, et quibus poterit officiis, ac mediis compe-scere satagat excitatam adversus populos Ecclesiae fideles procellam, ne si forte remissius in re tam proxime catholicam fidem respiciente se gesserit, neglecti divini honoris reus iudicetur.

Verum quod pontificiae nostrae sollicitudinis imprimis est, et prae-cipuum etiam studium catholicorum Antistitum esse debet, curandum est, ne fideles in hoc periculo constituti abduci patiantur a gremio Sanctae Matris Ecclesiae. Qua in re Fraternitatem Tuam nedum sedu-lam, sed eiam invicto zelo (ut decet catholicum Antistitem) maxime in-censam esse cupimus, ac pro spectata sua virtute fore confidimus, cuius quidem pii laboris, et egregii operis praeter summam laudem, amplissi-mam mercedem a bonorum omnium Retributore relaturum te esse am-bigere non debes, quod ut feliciter tibi, Dei ope, contingat, Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae, etc., die 17 Oct. 1705, Pontificatus Nostri Anno quinto.

288.

1723.

Supplicator pro Indulgentia plenaria in die festo Beati Iosaphat, occa-sione primi centenarii ab eius glorioso martyrio.

più deserti, e paludosi implorando l'aiuto e protezione dell'EE.VV., acciocchè partecipato alla Santità di Nostro Signore questo accidente, et il pericolo grande della Unione, si passino dalla S. Sede i più caldi officii appresso il Re Augusto di Polonia, perchè prenda valida protezione degl'Oratori, e restino salvi i Prelati, Ecclesiastici, e popoli ruteni uniti, de quali il detto Czar medita, e minaccia il totale estermínio, parendo essere venuto in Polonia per far guerra più tosto alla Santa Unione, che alli Svedesi, contro de quali è stato chiamato.

Rescriptum.

Dominus Nuntius Poloniae suspendat traditionem Brevium, et invigilet super iis, quae acta (f. 389v) sunt, et quae accidunt, et omnia referat.

Supplicetur S.mo ut dignetur scribere D. Vicecancellario Poloniae commendando ipsi res religionis catholicae.

(APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 75, fol. 387-389, n. 14, de data 22 . XII . 1705).

⁶⁹ Ut videtur per Sacretariam Status. Rex Poloniae tunc temporis erat Fredericus Augustus II Saxoniae (1697-1733). Sed annis 1704-1709 revera Stanislaus Leszczyński dominus Regni Poloniae considerari potuit, quia tunc temporis Carolus XII Rex Suetiae in bello contra Fredericum II et Petrum I Moscoviae praevalebat. Ibi tamen Pontifex scribere vi-detur ad Regem legalem Fredericum Augustum II, qui erat in foedere cum Petro I, de quo conquerebantur Monachi Polocenses, et Basiliani in genere.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1723, vol. 641, f. 23.

WELKYJ A. G., *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. II, p. 194, nr. 677.

Emin.mi, et Rev.mi Domini.

Procurator Generalis Ordinis S. Basilii Magni, Nationis Ruthenae, nomine Religionis suae devote exponit EE. VV., quatenus annus prae-sens currit centesimus, postquam Martyr Josaphat eiusdem supradicti Ordinis, et Nationis Archiepiscopus Polocen. in sua propria Dioecesi Martyrio fuerat coronatus pro unione cum S. R. Ecclesia Scismaticis, et ad Catalogum Beatorum ab Urbano VIII, per promotionem etiam huius Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, adscriptus, cum Offitio, et Missa de comuni Pontificum, et Martyrum. Ideo humillime supplicat EE. VV. Orator dignare impetrare a SS.mo Indulgentiam Plenariam ad Ecclesias dicti Ordinis S. Basilii Nationis Ruthenae pro XVI 7mbris, ubi tenerrima illarum Partium populi viget devotio erga dictum Beatum, et ut maior gloria huius Beati et singularissima protectio EE. VV. istius Ordinis Basiliani Rutheni, sub cuius tutela existit, appareat. Quam Deus, etc., etc...

289.

Roma, 27 . VII . 1723.

Indulgentia pro ecclesiis Basilianorum in occasione primi saeculi a morte et martyrio Beati Josaphat.

APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 93, fol. 419, nr. 7.

WELKYJ A. G., *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. III, p. 210, nr. 1028.

CONG. GEN. — Iul. 27, 1723 (f. 417).

In Congregatione Generali de Propaganda Fide, habita die 27 Iulii 1723, interfuere Emin.mi et Rev.mi Domini Cardinales sequentes, videlicet: Barberinus, Sacripantes, Praefectus, De Acquaviva, Gualterius, Vallemanus, Fabronus, S. Clementis, Zondadarius, Scottus, Spinola et Alexander Albanus. Nec non R. P. D. Farsettus, Prothonotarius Apostolicus.

Relationes R. P. D. Petri Aloysii Caraffae, Secretarii.

Il Procurator Generale de Monaci Ruteni di S. Basilio espone alla EE. VV., correr l'anno centesimo del Martirio, che sostenne per la S. Unione il B. Giosafat Arcivescovo Polocense dell'Ordine, e Nazione predetta, che fu beatificato dalla s. mem. di Urbano VIII, ad istanza di questa S. Congregazione.

Pertanto supplica l'EE. VV. a degnarsi impetrare dalla Santità di Nostro Signore a tutte le Chiese dello stess'Ordine un'Indulgenza plenaria pro cunctis Christi fidelibus per il giorno 16 di 7mbre prossimo (f. 419v) venturo, essendo assai particolare la devozione, che hanno quei popoli verso il predetto Beato.

Rescriptum.

Ad Eminentissimum Oliverium.

290.

Roma, 3 . VIII . 1723.

Ut scribatur Breve indulgentiarum in occasione primi saeculi a martyrio B. Josaphat.

APF, *Litterae S. Congr. et Secretarii*, vol. 115, f. 247v-248.

WELYKYJ A. G., *Litterae S. C. Prop. Fide*, vol. III, p. 228, nr. 1329.

Al Signor Cardinale Olivieri.

3 Agosto 1723.

Correndo l'anno centesimo del Martirio, che sostenne per la S. Unione colla Cattolica Chiesa il Beato Giosafat, dell'Ordine de Monaci Ruteni di S. Basilio Magno, Arcivescovo Polocen., la Religione de medesimi che si è preparata à solennizarne la memoria nel giorno 16 di Settembre prossimo venturo, desiderarebbe ottenere per quel giorno in tutte le sue Chiese Indulgenza plenaria pro cunctis Christifidelibus, essendo assai particolare la divozione, che i popoli ruteni al detto Beato professano. Monsignor Segretario pertanto, in nome, e per parte di questa S. Congregazione, à di cui istanza la S. Memoria di Urbano 8° si degnò beatificare il Servo di Dio, supplica riverentemente l'E. V. che voglia compiacersi d'impetrare dalla Clemenza di Nostro Signore all'Ordine predetto l'Indulgenza (f. 248) accennata, e pieno di venerazione, e di ossequio le fa profondissimo inchino, etc. etc...

291.

Romae, 7 . VIII . 1723.

Indulgentia plenaria pro visitantibus ecclesias Basilianorum die 16 Septembris, id est festivitate S. Josaphat.

ASV, *Arch. dei Brevi Apostolici*, vol. 2612, fol. 559.

WELYKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, p. 44, nr. 658.

INNOCENTIUS PP. XIII. Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem etc.

Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Cristifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra Communionem refectis, qui aliquam ex ecclesiis Monachorum Ruthenorum Ritus Graeci catholici Ordinis Sancti Basilii Magni ubicumque existentibus, die decimasexta mensis Septembris, a primis vespere usque ad occasum solis diei huiusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum etc. effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus pro unica vice valituris.

Volumus autem, ut si pro impetratione etc. nullae sint, utque praesentium literarum transumptis etc. ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., 7 Augusti 1723, Anno 3.

292.

1724.

Instantia ut prorogetur indulgentia plenaria.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, f. 542.

WELIKYJ A. G., *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. II, p. 202, nr. 690.

Emin.mi Rev.dmi Domini.

Pro Festo anni centesimi Martiris Beati Josaphat, Ordinis S. Basilii Magni, Archiepiscopi Polocen, fuerat concessa anno elapso Indulgentia plenaria celebrandi sollemniter diem eius Martirii. Sed quia non pervenit dicta Indulgentia suo tempore determinato ibi ad Partes, et fuerat concessa pro unica vice tantum, nec fuerat executi anno praeterito, ideo Ordo S. Basilii Magni et Hierarchicus Status Russiae supplicant EE. VV., quatenus dignentur iteratis impetrare dictam Indulgentiam a Sanctissimo pro anno praesenti. Quia Secretaria Indulgentiarum respicit instantias EE. VV. uti in similibus huius Nationis Ruthenae. Quam ut Deus, etc. etc...

293.

Roma, 22 . VI . 1724.

Ut prolongetur tempus lucrandi indulgentias concessas occasione primi saeculi elapsi a martyrio B. Josaphat.

APF, *Litterae S. Congreg. et Secretarii*, vol. 118, f. 176v-177v.

WELKYJ A. G., *Litterae S. C. de Prop. Fide*, vol. III, p. 241, nr. 1345.

Al Signor Cardinal Olivieri.

22 Giugno 1724.

Si degnò V. Eminenza nell'anno passato, ad (f. 177) istanza di questa Sagra Congregazione, d'impetrare dalla S. Memoria del Sommo Pontefice defonto una Indulgenza plenaria pro cunctis Christifidelibus per tutte le Chiese dell'Ordine de' Monaci Ruteni di S. Basilio Magno, quali avevano determinato di solennizzare il giorno 16 di Settembre prossimo passato, in cui cadeva l'anno centesimo del martirio sostenuto dal B. Giosafat, della stessa Religione, Arcivescovo Polocense, per l'unione con la Chiesa Cattolica. Non essendo però giunto in tempo in Polonia il Breve Pontificio, pensano di differire la detta solennità all'anno corrente, ed ora supplicano della rinovazione della detta Indulgenza per il giorno medesimo di settembre prossimo avvenire. Monsignor Segretario pertanto, a nome, e per parte della stessa Sagra Congregazione, prega riverentissimamente l'E. V., a volersi compiacere d'impetrargliela nuovamente (f. 177v) dalla clemenza di Nostro Signore, e farne sollecitamente seguire la spedizione del nuovo Breve, mentre con profundissimo ossequio se le inchina, etc etc...

294.

Roma, 19 . IV . 1728.

Solvuntur varia dubia de rebus Ruthenorum, et inter alia etiam de translatione diei festi B. Josaphat in diem 26 Septembris (excerptum).

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 74, fol. 1-46.

A. G. WELKYJ, *Congregationes Particulares...*, vol. I, Romae 1956, p. 245-279, nr. 75.

CONGR. PART. — Die 19 Aprilis 1728.

Congregazione Particolare sopra le materie de Ruteni cominciata li 19 Aprile 1728 e poi non proseguita, ne eseguita.

Die Lunae 19 Aprilis 1728 (f. 1).

Essendo insorte in tempo si celebrava il Sindo Ruteno di Zamoscia varie controversie, parte tra i Vescovi e il Clero così secolare che regolare di quel rito, e parte tra tutto il Clero Ruteno ed il Latino, furono tutte rimesse per l'opportuna decisione a questa Sacra Congregazione, secondo l'istruzione, che da essa erasi preventivamente data a Mons. Grimaldi, allora Nunzio Apostolico in Polonia, e Presidente allo stesso Sinodo.

Come però la materia era oltremodo voluminosa ed oscura, fu di nuovo rimesso il tutto a Monsignor Santini, odierno Nunzio, con ordine, che udite le parti, e raccolti intorno a ciascuno de punti controversi i necessarij lumi, n'informasse poi distintamente la Sacra Congregazione, con aggiungere ancora il suo proprio parere.

Ha egli con molto studio, e con esatta accuratezza adempita l'incombenza commessagli, con aver disposte tutte le controversie in forma di dubbi, divisi in due classi: una cioè che concerne i dispareri vertenti fra i Vescovi, ed ambedue i Cleri Ruteni; e l'altra, che contiene quelli insorti tra i Vescovi e tutto il Clero Ruteno e i Vescovi e tutto il Clero Latino, nella forma che segue.

Prima classe dei dubbi proposti dai Vescovi e tutto il Clero secolare e regolare di Rito Ruteno unito (f. 1v).

I. An Episcopus Metropolitanus totius Russiae... etc. (cfr. *Congregationes Particulares...*, vol. I, Romae 1956, pag. 246-253)...

XI. An annuendum sit votis petentium sibi permitti traslationem Beati Martyris Josaphat ad diem Dominicum post vigesimum mensis Septembris.⁷⁰

Nel numero delle feste immobili della Chiesa Rutena si pone dal Sinodo di Zamoscia al Tit. 16, de Jeuniis et festis, quella del B. Giosafat Arcivescovo di Polosko sotto li 16 di Settembre. E perchè il più delle volte questo è feriale ed il popolo, che vive del proprio travaglio, o che è in obbligo di obbedire al suo padrone latino, a cui è soggetto come suddito, non può distintamente celebrarlo, nè andare alla Chiesa, ove se ne fa l'Offizio, perciò si domanda dal Clero Ruteno in questo dubbio la facoltà di potersi trasferire alla prima Domenica dopo il di 20 di Settembre. E Monsignor Nunzio col riflesso, che simile traslazione risulterebbe in maggior gloria (f. 11) del predetto Beato, stima che potrebbe permettersi, a fine di coltivare la devozione di questi Ruteni.

XII. An, et quomodo providendum sit, ut in Collegio Graeco almae Urbis, et in Collegio Pragensi aliqua constituentur loca pro Clericis saecularibus Ruthenis edocendis.

Intorno a questo dubbio dice Monsignor Nunzio, che sarebbe certamente di etc. (cfr. *IBIDEM*, pag. 253-275)...

Die 19 Aprilis 1728 (f. 39). In congregatione Particulari super rebus Ruthenorum.

Prima classe dei dubbi.

Ad primum dubium: — Negative. Etc.

⁷⁰ Cfr. de hac translatione, et quidem in diem post 26 Septembris, sub anno 1678-1679, nnr. 281, 282. Nunc agitur de translatione in diem Dominicam.

Ad 11 : — Consulendum SS.mo pro gratia, favore quarumcumque Dioecesium Ruthenorum.

Etc. (cfr. IBID., pag. 275-277).

Voto del P. Zaveroni.

Ad. 1. Negative et servantur decreta...

Ad XI. Arbitrio Episcoporum.

Ad XII. Dilata etc. — (cfr. IBID., pag. 277).

295.

Romae, 14 . VII . 1756.

Indulgentia plenaria die commemorationis Beati Josaphat.

Bullae et Brevia, vol. II, p. 115-116.

Akty izdavajemyje..., vol. XVI, p. 186-187.

WELTKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, p. 165, nr. 748.

BENEDICTUS PP. XIV. Universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere paenitentibus et confessis, ac Sacra Communionem refectis, qui aliquam ex ecclesiis Monachorum Or. S.B.M. Ritus Rutheni in Polonia et Lithuania existentibus, die 16 Mensis Septembris a primis vespers, usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione etc. nullae sint. Utque praesentium literarum transumptis, etc. ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XIV Julii MDCCLVI, Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

Pro Domino Card. Passioneo. Ioannes Florius, Substitutus.

296.

Romae, 14 . II . 1768.

Consolatur Episcopus Ecclesiae Unitae Provinciae Ecclesiasticae Kioviensis in desperato fere statu eorundem Ecclesiarum (excerptum).

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 145, fol. 124v-125v.

WELKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, p. 197, nr. 775.

Venerabilibus fratribus Feliciano, Metropolitano Russiae, caeterisque
Ecclesiae Ruthenorum Episcopis.

Scripserant se de statu suarum Ecclesiarum propemodum desperare.

CLEMENS PP. XIII. Venerabiles fratres, salutem etc.

De orthodoxa vestra Ruthenorum Ecclesia vehementer sollicitos persuaserunt Nos litterae Fraternitatumstrarum, ex quibus intelleximus de eiusdem Ecclesiae statu vos propemodum desperare. Sed tamen VV. FF. etsi res vestrae pene profligatae videntur, ac perditae, tamen cavete, quaesumus, ne unquam animo frangamini...

Interea fortem animum praestare vos oportet. Confortamini et robusti estote in Domino, qui faciat, ut virtus vestra quae fortasse in prosperitate fuisset obscurior, in hac fortunarumstrarum dimicatione illustrior eluceat, vestram autem magnopere confirmabit constantiam (f. 170v). Propositum vestris animis S. Josaphat Archiepiscopi Polocensis exemplum, qui pro tuenda Unione Ruthenorum Ecclesiae cum hac Beati Petri sacratissima Sede Schismaticorum gladiis occubuit. Neque sint vobis, Cypriani Martyris utimur verbis, scandala ista, sed praelia, nec debilitent, aut frangant vestram fidem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem. Nisi praecesserit pugna non potest esse victoria. Gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Vobisque omnibus quos ob vestrum in hanc Sacram B. Petri Sedem, et erga Nos obsequium in nostrae caritatis gerimus sinu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.⁷¹

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XIV Februarii MDCCLXVIII, Pontificatus Nostri anno decimo.

297.

Romae, 25 . II . 1778.

Indulgentia pro die festo Beati Josaphat.

APF, *Udienze di N.ro Sig.re*, dell'anno 1778, vol. 16, ff. 41 e 46v.

WELKYJ A. G., *Audientiae Sanctissimi*, vol. I, p. 233, nr. 259.

⁷¹ Hoc anno exercitati sunt cruenti tumultus in Ucraina, annuente exercitu moscovitico; tumultus hi nomen obtinuerunt « hajdamaččyna », et multa damna Ecclesiae Unitae intulerunt.

Udienza 25 febbraio 1778.

B.me Pater.

Cyprianus Stecki, Episcopus Ruthenus Luceoriensis et Ostrogien., humillimus S.tis V.rae Orator, cum profundissimo obsequio supplicat pro Indulgentia plenaria perpetua per omnes Dioecesis suae ecclesiae in die festo B. Josaphat, Archie.pi Polocen et pro S. Unione martyris ac Regni patroni; sic enim et erga Sanctum Populi devotio augebitur et Unionis S.ae accrescet promotio.

Quam gratiam, etc...

(f. 46v) S.mo D.no N.ro PP. Pio VI.

Pro Cypriano Stecki, Ep.po Luceoriensi Rutheno.

Vid. Audientiam Ss.mi 25 Februarii 1778.

S. Borgia Secr.rius.

298.

Romae, 15 . III . 1778.

Indulgentia lucranda ad exuvias B. Josaphat.

APF, *Udienze di N.ro Sig.re*, dell'anno 1778, vol. 16, ff. 69 e 83v.

WELKYJ A. G., *Audientiae Sanctissimi* vol. I, p. 235, nr. 265.

Udienza 15 marzo 1778.

B.me Pater.

Theophilus Serafinowicz, Ord. S. Basilii Magni Ruthenorum Monasterii Bialensis Superior, humillimus S.tis V.rae Orator, cum profundissimo obsequio exponit in ecclesia Monasterii Bialensis, Dioecesis Brestensis, decumbere exuvias B. Josaphat Ep.pi et Martyris ob easque fraequentissimum Populum devotionis causa ad supradictam concurrere ecclesiam, ut testatur authenticum Curiae Ep.palis testimonium, quod in separato folio S.ti V.rae humiliatur, Orator itaque humillime supplicat S.ti V.rae pro Indulgentia plenaria perpetua quotidiana lucranda a concurrente Populo quotidie.⁷²

Quam gratiam, etc...

Ss.mo D.no N.ro PP. Pio VI.

⁷² Reliquiae B. Josaphat inde ab anno 1764 publice venerabantur in ecclesia Basilianorum in oppido Biala in Podlasia, ubi usque ad annum 1916 permanserunt, et quidem usque ad annum 1873 in ecclesia paroeciali et dein absconditae in subterraneis eiusdem ecclesiae, opera et studio Gubernii Moscovitici. De documentis concernentibus historiam Reliquiarum cfr. « *Analecta OSBM* », vol. VI, Romae 1967.

Pro Teophilo Seraphinowicz, Ord. S. Basilii M. Ruthenorum Monasteri Bialen. Superiore.

Vid. rescriptum separatim expeditum sub audientia Ss.mi 15 Martii 1778.

299.

Romae, 20 . II . 1780.

De custodia Reliquiarum B. Josaphat Protoarchimandritae concedenda.

APF, *Udienze di N.ro Sig.re*, dell'anno 1780, vol. 10, ff. 114 e 123v.

WELKYJ A. G., *Audientiae Sanctissimi*, vol. II, p. 11, nr. 326.

Udienza 20 febbraio 1780.

B.me Pater.

Porphyrus Skarbek Wazinski, Ord. S. Basilii M. Cong.nis Ruthenorum Protoarchimandrita, humillimus S.tis V.rae Orator, cum profundissimo obsequio exponit, Reliquias B. Josaphat, Archiepi Polocensis et Martyris, pro tempore collocatas esse in Monasterio seu ecclesia Monachorum Ordinis S. Basilii M. Bialensi, Provinciae Lithuaniae, sub cura et custodia Superioris supradicti Monasterii pro tempore existens et amovibilis; cum itaque nuper Orator haec sacra lypsana visitasset, deprehendit non omnia recte succedere deesseque quaedam ex arbitraria fortassis Superiorum pro tempore existentium dispositione et arbitrio, humillime supplicat, ut abhinc clavis ab interna custodia Sacrarum Reliquiarum perpetuus maneat penes Protoarchimandritas Ordinis, qui per se vel per alios viros Religiosos graves in officiis generalibus vel provincialibus constitutos statuto tempore eas possint visitare, aperire et vestes mutare, adstante Superiore illius loci.⁷³

Quam gratiam, etc.

Ss.mo D.no N.ro PP. Pio VI.

(f. 123v) Pro Porphyrio Skarbek Wazinski, Ord. S. Basilii M. Cong.nis Ruthenorum Protoarchimandrita.

Ex Audientia Ss.mi, hab. die 20 febr.ii 1780 :

Ss.mus annuit, prout in Audientiae folio seorsim expedito.

⁷³ Cfr. quasdam revisiones et visitationes reliquiarum B. Josaphat in « *Analecta OSBM* », vol. VI, Romae 1967.

300.

Romae, 17 . IX . 1780.

Facultas ampliandi tempus lucrandae Indulgentiae plenariae in Eparchia Luceoriensi in festivitate B. Josaphat.

APF, *Udienze di N.ro Sig.re*, dell'anno 1780, vol. 18, ff. 386 e 388v.

WELKYJ A. G., *Audientiae Sanctissimi*, vol. II, p. 32, nr. 360.

Udienza 17 settembre 1780.

B.me Pater.

Cyprianus Stecki, Episcopus R. G. U. Luceorien. et Ostrogien, S. V. devotus Orator, humiliter exponit, qualiter de benigna concessione Beatitude V.rae obtinuit privilegium Indulgentiae Plenariae in perpetuum per Dioeceses Luceorien. et Ostrogien. unitas extendendae, festivitate B. Josaphat Ep. et Mart. (quae accidit die decima sexta mensis septembr. v. kalendarii) consequendae; Quia vero tanta populi multitudo dicta festivitate ad ecclesias concurrere consuevit, ut passim accidat plurimos remanere ipso die festivo absque Sacramentorum receptione ob exiguitatem praesertim Confessariorum, qui, cum sint parochi praecipue, minime possunt sufficere illa die frequentiae populi, hinc recurrendo ad (f. 386v) S. V. aldictus O.r supplicat quam impensissime pro gratia ampliationis dictae Indulgentiae in perpetuum ad Octavam usque festivitatis hujus Poloniae Advocati, ad effectum tali modo consulendi magis devotioni fidelium, qui per octavarium nanciscirentur plus commoditatis adsequendi pia vota.

Et Deus...

(f. 387v) Ss.mo D.no N.ro Divina providentia PP. Pio VI.

Pro parte E.pi R.G.U. Luceoriensis et Ostrogiensis.

Ex Audientia Ss.mi 17 Septembris 1780 :

Pro gratia, ut in particolari rescripto separatim expedito.

S. Borgia, Secr.rius.

301.

Romae, 11 . VIII . 1782.

Indulgentia plenaria pro ecclesia in Oszca.

APF, *Udienze di N.ro Sig.re*, dell'anno 1782, vol. 20, ff. 263-264v.

WELKYJ A. G., *Audientiae Sanctissimi*, vol. II, p. 76, nr. 439.

Udienza 11 agosto 1782.

B.me Pater.

Rector Ecclesiae Parochialis Ruthenae in Oscza, tituli B. Josaphat Martyris, in Dioecesi Helmensi, sub ditione Regis Poloniae sitae, humillimus Sanctitatis V.rae Orator, obsequentissime supplicat pro Indulgentia Plenaria perpetua ad eandem Ecclesiam pro festo ejusdem B. Josaphat Martyris; solet enim hoc die devotionis gratia fraequens concurrere populus.

Quam gratiam...

Ss.mo D.no N.ro PP. Pio VI (f. 264v)

Pro Rectore Ecclesiae Paroch. Ruthenae in Hoszcza.

302.

Romae, 17 . XI . 1782.

Indulgentia plenaria pro ecclesia Hoszczanensi.

APF, *Udienze di N.ro Sig.re*, dell'anno 1782, vol. 20, ff. 355-356v.

WELKYJ A. G., *Audientiae Sanctissimi*, vol. II, p. 80, nr. 447.

Udienza 17 Novembre 1782.

B.me Pater.

Rector Ecclesiae Ruthenae Huszczensis, tituli B. Josaphat M., in Dioecesi Chelmensi, in Ditionibus Regis Poloniarum sitae, humillimis Sanctitatis V.rae Orator, obsequentissime supplicat pro perpetua ad eandem Ecclesiam Indulgentia plenaria in Festo B. Josaphat M.

Quam gratiam...

Ss.mo D.no N.ro PP. Pio VI (f. 356v)

Pro Rectore Ecclesiae Ruthenae Huszczensis.

Ex Audientia Ss.mi, 17 Novembris 1782 :

Pro gratia, ut in peculiari rescipto, separatim expedito.

303.

Romae, 1 . XII . 1782.

Indulgentia plenaria pro ecclesia monasterii Volodimiriensis.

APF, *Udienze di N.ro Sig.re*, dell'anno 1782, vol. 20, ff. 408-409v.

WELKYJ A. G., *Audientiae Sanctissimi*, vol. II, p. 82, nr. 452.

Udienza 1 dicembre 1782.

B.me Pater.

Arsenius Glownewski, Ord. S. Basilii M., Monasterii Wladimirien-
sis Superior, devotissimus Sanctitatis V.rae Orator, humillime suppli-
cat ut Altare B. Josaphat Martyris, in Ecclesia sub eodem titulo in Civi-
tate Wladimirae, et Dioecesi Wladimirien. nuperrime erecta,⁷⁴ et ad
idem Monasterium spectante, condecorare velit privilegio perpetuo pro
animabus in purgatorio, idque ad augendum cultum ejusdem B. Mar-
tyris, eo quod sit extructa in eodem loco, ubi quondam propria domus
ejusdem B. Martyris erat, et in qua prima suae infantiae et adolescen-
tiae rudimenta excoluit. Idem Orator expostulat Indulgentiam plenariam
perpetuam ad eandem Ecclesiam pro Festo S. Pantaleonis M. et festo
S. Eustaphii Martyris.

Quam gratiam, etc...

Ss.mo D.no N.ro PP. Pio VI (f. 409v)

Pro Arsenio Glownewski, Ord.is S. Basilii Magni.

Ex Audientia Ss.mi 1 Decembris 1782 :

Pro gratia, ut in particulari rescripto, separatim expedito.

S. Borgia, Sec. rius.

304.

Romae, 18 . VII . 1784.

Indulgentia plenaria pro ecclesia Potocensi.

APF, *Udienze di N.ro Sig.re*, dell'anno 1784, vol. 22, ff. 261-262v.

WELYKYJ A. G., *Audientiae Sanctissimi*, vol. II, p. 118, nr. 502.

Udienza 18 luglio 1784.

B.me Pater.

Supplicatur humillime Sanctitas Vestra ad hoc ut dignetur imper-
tiri Indulgentiam Plenariam perpetuis valituram temporibus, et appli-
cabilem per modum suffragii animabus in Purgatorio detentis in Eccle-
sia Potocensi Ritus Rutheni, sub titulo S. Georgii Martyris, Dioecesis
Brestensis, pro festo S. Josaphat, quod incidit die 16 Septembris.

Ss.mo Domino Nostro Pio Papae VI (f. 262v)

Pro introscripta Ecclesia.

Ex Audientia Ss.mi, 18 Julii 1784 :

⁷⁴ Hoc tempore paucae erant tantummodo ecclesiae sub tit. Beati Josaphat, et nonnisi
post eius Canonizationem an. 1867 peractam earundem numerus novum incrementum accepit.

Pro gratia ad quindennium, ut in peculiari Rescripto, separatim expedito.

S. Borgia, Sec.rius.

305.

Romae, 26 . IV . 1786.

Conceditur indulgentia pro ecclesia S. Praxedis in Kudryce, Pincensis Dioecesis.

ASV, *Arch. dei Brevi Ap.: Ind. perp.*, vol. 84, fol. 102rv.

WELKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, p. 275, nr. 846.

PIUS PP. VI. Ad perpetuam rei memoriam.

Ad augendam etc. intenti, omnibus etc. reffectis, qui ecclesiam Sanctae Praxedis Virginis et Martyris, villae Kudrycze, filialem parochialis ecclesiae Ostrovincensis, Pincensis Dioecesis, in eiusdem S. Praxedis Virginis et Martyris ac Transfigurationis D. N. Jesu Christi diebus, et Josaphat Archiepiscopi et Martyris, a primis etc. effunderint, quo die etc. plenariam etc. concedimus. In contrarium etc. quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, 26 Aprilis 1786, Anno XII.

306.

Romae, 26 . VIII . 1787.

Indulgentia plenaria in Ecclesia Korczowensi.

APF, *Udienze di N.ro Sig.re*, dell'anno 1787, vol. 25, ff. 309-14v.

WELKYJ A. G., *Audientiae Sanctissimi*, vol. II, p. 175, nr. 596.

Udienza 26 agosto 1787.

B.me Pater.

Supplicatur humiliter S. V. pro Indulgentia perpetua in Parochiali Ecclesia Korczowensi, sub titulo S. Josaphat Martyris, Bresten. Dioecesis, Ritus Rutheni Catholici, pro eodem festo S. Josaphat die 16 Septembris veteris styli incidenti. Et Deus...

Sacrae Congregationi Propagandae Fidei (314v)

Pro introscripta Ecclesia.

Ex Audientia Ss.mi, 26 Augusti 1787:

Pro gratia in perpetuum, ut in Rescripto separatim expedito.

S. Borgia, Sec.rius.

307.

Romae, 16 . XII . 1787.

Indulgentia plenaria pro ecclesia eparchiae Kioviensis.

APF, *Udienze di N.ro Sig.re*, dell'anno 1787, vol. 25, ff. 620-23v.

WELYKYJ A. G., *Audientiae Sanctissimi*, vol. II, p. 182, nr. 605.

Udienza 16 dicembre 1787.

B.me Pater.

Supplicatur humiliter S. V. pro Indulgentia Plenaria Perpetua ad Ecclesiam Parochialem Ritus Rutheni Catholici, sub titulo S. Georgii et pro altero Sancti Josaphat, quae Ecclesia est in diocesi Metropolitana Kioviensi.

Et Deus...

Ss.mo D.no N.ro D.no Pio PP. VI (f. 623v)

Pro introscripta Ecclesia.

Ex Audientia Ss.mi, 16 Decembris 1787 :

Pro gratia, in perpetuum in Festo titulari; in altero vero Festo ad quindennium, ut in peculiaribus rescriptis separatim expeditis.

S. Borgia, Sec.rius.

308.

Romae, 23 . IX . 1827.

Indulgentia plenaria pro die festo S. Josaphat.

APF, *Udienze di N.ro Sig.re*, dell'anno 1827, vol. 69, fol. 774, 775rv.

WELYKYJ A. G., *Audientiae Sanctissimi*, vol. II, p. 256, nr. 713.

Udienza 23 Settembre 1827.

Foglio 35 per l'Udienza di Nostro Signore.

I Cattolici Ruteni celebrano con molta divozione la festa del B. Giosafat Arcivescovo di Polosko, martirizzato per la fede ed Unità cattolica, e la santa memoria di Urbano Ottavo riconoscendo il culto di questo Beato assegnò il giorno 16 di settembre per celebrarne la memoria.⁷⁵

⁷⁵ Revera dies 12 Novembris adsignata fuit, et nonnisi anno 1679 festum translatum fuit in diem 26 Septembris, et dein saec. XVIII eidem adsignata fuit Dominica dies, post diem 20 Septembris subsequens. Cfr. supra.

La santa memoria di Benedetto XIV nel suo Breve del 14 Luglio 1756 concesse ad decennium la Indulgenza Plenaria a tutti i Fedeli che dai primi Vesperì fino al tramontare del sole del suddetto giorno 16 settembre confessandosi e comunicandosi visitassero le chiese dei Monaci Ruteni esistenti in Polonia e nella Lituania.

Il Padre Anatolio Wilczynski, Monaco Ruteno, Superiore attuale della Chiesa ed Ospizio di S. Sergio e Bacco, o sia della Madonna del Pascolo in Roma, non sapendo se più tal Breve sia stato confermato, e desiderando che nella sua Nazione si possa veramente lucrare il beneficio della Indulgenza concessa per l'indicato giorno da Benedetto XIV, supplica per la proroga del medesimo ad un nuovo decennio.⁷⁶

E siccome in quel Breve non si fa menzione che delle chiese cattoliche Rutene esistenti in Polonia e Lituania, d'altronde nella Chiesa del Pascolo in Roma, che è propria dei Ruteni, si celebra nel menzionato giorno la festa del B. Giosafat, ed in quest'anno si è incominciato a farlo con molta pompa e solennità, supplica che l'indulto d'indulgenza plenaria per le Chiese in Polonia e Lituania si estenda anche per un decennio alla sua Chiesa del Pascolo in questa capitale.

Ex audientia Sanctissimi, die 23 septembris 1827: Ss.mus annuit iuxta modum interius indicatum.

Petrus Caprano, Archiep. Iconien.
S.C. de Prop. Fide Secretarius

309.

Romae, 28 . I . 1864.

Designatio Relatoris Causae Beati Josaphat, cum facultate designandi Postulatores, ut Causa ipsa reproponi posset.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Regestum Servorum Dei*, vol. 1860-1865, fol. 39.

REGNI POLONIAE.

CANONIZATIONIS BEATI JOSAPHATI ex Ordine Sancti Basilii, Archiepiscopi Polocensis, Martyris.

Quum in Sacra Rituum Congregatione quamprimum resumi de-

⁷⁶ Utrum post decennium elapsum haec Indulgentia prorogata fuit, non nobis constat; sed postquam Procuratura Romana inde ab anno 1830 cessavit, nullus aderat, qui de hac re tempestive cogitare potuit.

beat ad Canonizationem obtinendam Causa Beati Josaphati⁷⁷ ex Ordine Sancti Basilii Archiepiscopi Polocensis, qui a Schismaticis in odium catholicae unitatis et veritatis interfectus fuit, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX de Apostolica Benignitate in Ponentem seu Relatorem Causae ipsius eligere et nominare dignatus est subscriptum Cardinalem eiusdem Sacrae Congregationis Praefectum cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, in statu tamen et terminis, in quibus eadem Causa modo reperitur, facta ulterius potestate eligendi et nominandi in Postulatores aequae principales Causae ipsius duos Sacerdotes ex Ordine Sancti Basilii, alterum e Congregatione Ruthena,⁷⁸ alterum e Monasterio Cryptae Ferratae,⁷⁹ sub conditione tamen ut hi duo Postulatores, servatis omnibus de jure, stylo et consuetudine servandis, singula Postulationis munia simul et conjunctim implere debeant et valeant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Januarii 1864.

310.

Romae, 1864.

Petitio Postulorum Causae ut aperiatur processus canonizationis Beati Josaphat.

ARCH. S. C. RITUUM, *Fasciculus separatim editus*, an. 1864.

BARTOLINI DOM., *Commentarium Actorum Omnium Canonizationis Sanctorum Josaphat Kuncewicz... Petri de Arbues... etc.*, vol. I, Romae 1868, pag. 2-7.

Beatissime Pater.

Decretum ab *suprema Pontificis maximi auctoritate*ulantibus, ex quo ad solemnem Servi Dei Josaphat Archiepiscopi Polocensis, canonizationem tuto procedi possit, iuvabit viri sanctissimi atque innocentissimi vitam resque gestas in compendium, paucis perstricta verbis oratione referre, nec non quae hucusque de processum validitate, de Martyrio, de miraculis, aliisque huius generis per Sanctam Sedem constituta sunt, singillatim exponere, ut facilius optatam valeant metam contingere.

Ex Gabriele Concevitio et Marina sacro matrimonii vinculo co-

⁷⁷ De hac re tractationes incipiunt inde ab anno 1860; cfr. « *Memorie Cryptoferratensi* » P. Antonii Rocchi, in « *Analecta OSBM* », vol. VI, Romae 1967.

⁷⁸ Nominatus fuit. P. Michaël Dombrovskyj, olim Superior Provincialis Provinciae Polonae seu Russiae, qui inde ab anno 1848 profugus patria Romae degebat in Hospitio SS. Sergii et Bacchi (obiit versus an. 1878).

⁷⁹ P. Nicolaus Contieri, Prior Archimandriae Cryptoferratensis et dein Archimandrita ab anno 1868. Cfr. de eius vita articulum P. P. PAVLYK, OSBM, *Nicola Contieri, il Postulatore e l'autore della Vita di S. Giosafat*, in « *Analecta OSBM* », vol. VI, Romae 1967.

niunctis, Dei Servus, sese circumagente anno 1584, in Civitate Vlodi-miriae, vitae in auras prodiit,⁸⁰ salutarique baptismatis unda rite ablutus est, eique Joannis nomen impositum. Christianis vere parentibus usus est, quibus adeo cordi fuit puerum singulari studio ad virtutem et sanc-timoniam educere, ut eius praecox in piis operibus exercendis ingenium nemo esset quin videret, cum a teneris annis Dei amorem, religionis stu-dium, vitae innocentiam in exemplum complexus sit.

Viginti annos natus, volens libensque Basilianos inter Monachos adlectus, et Josaphat adsumpto nomine, sollemnia vota nuncupavit, et sacerdotio auctus est. Caritate, modestia, temperantia, divinorum ope-rum exercitio, corporis afflictatione, omniumque virtutum fulgore cete-ris admirationi fuit.

Ad Basilianam Provinciae Vilmensis familiam moderandam elec-tus, singulari vigilantia ac prudentia, difficiles quidem muneris huius partes implevit; tum in divinis peragendis officiis, tum in confessioni-bus excipiendis, tum in sacris habendis concionibus adeo impigre se ges-sit ut, recepta ad se prope omnium officiorum cura, unitorum sacerdo-tum penuriae unicum in modum occurreret.

Virtutis doctrinaeque eius sic fama percrebuit, ut anno 1619 Ar-chiepiscopus Polocensis renunciatus sit,⁸¹ licet invitus, et in procinctu fugae ne ad Archiepiscopalis dignitatis gradum, quo sese indignum penitus putabat, eveheretur. Verum, vix ac de Servi Dei electione nun-tius allatus est, prae gaudio Polocenses gestire, eumque quasi parentem excipere futuram praesentientes felicitatem. Nec spem fefellit eventus. Sane, in Sacramentorum administratione, in peccatorum ad honestam vitae rationem conversione, in moribus corrigendis, vitiis exterminan-dis, virtutis amore propagando, sacramentalis confessionis frequentia confovenda adeo sollicitus fuit, ut uberrimos quamprimum laboris sui fructus colligeret.

Quid porro de eius vitae ratione dicendum erit? Somno minime indulgens primus omnium solis ortum praeoccupabat, et non raro sacra templi aera vel ipse pulsabat, ut ceteri excitarentur piae operam praeca-tioni daturi. Dum autem Dei Servus orabat, pro Ecclesiae praesertim unione et schismaticorum conversione, ita se flagris caedebat, ut terram fluenti cruore conspergeret. Ad mortem usque cilicio corpus afflixit, nullo unquam tempore carnes comedit, perraro pisces, leguminum par-

⁸⁰ Auctores sustinent sententiam de anno nativitatis Josaphat - 1584, sed alia sententia de anno 1580, ut anno eius nativitatis praevallet et hodie generaliter acceptatur a maiori-tate, prout etiam iam temporibus saec. XVI acceptabatur.

⁸¹ Revera, nominatus Coadiutor Polocensis, ingressum solemnem Polociam habuit iam die 9 Januarii 1618, et mense Martio Coadiuto successit per obitum praedecessoris; cfr. *Docu-menta Beatificationis*, vol. I, Romae 1952, pag. 115 et vol. II, Romae 1955, pag. 345-6.

vitae contentus; nec vino usus unquam esset, nisi stomachi debilitas atque aetatis ratio aliquando modicum exegissent, ne viribus omnino destitueretur. Nocturna quiete corpus levantem terra excipiebat, nudoque incedebat pede, frigore licet saeviente.

Cum vero Deiparae sese totum devovisset, idcirco dum quae ex vitae austeritate corporis afflictatione afflorescunt, pudorem et pudicitiam severissime coluit, in beatae Virginis honorem aras erigi, et sollemnia celebrari curabat. Tam porro pauperibus praesto fuit, ut nihil fere ad sui alimoniam superesset; aegrotis continuo adstitit hortator ac solator egregius; medendae eorum valetudini, leniendisque morbis, nullam Divinam humanamque opem non adhibuit.

At, dum sibimetipsi negabat, quae proprie necessaria erant ad vitae sustentationem, dum consanguineos suos qualibet rei fruitione abarcebat, haud certe retinens pecuniae erat, quoties de honore Dei, deque Religionis cultu ageretur. Hinc non mediocri auri summa Cathedralis Polocensis ecclesiae instaurationi operam dare, Monasterium pro Basilianis Sanctimonialibus exstruere, aliaque id genus peragere, quae Christianae fidei possent augere splendorem.

Ecclesiae autem iurium ac honorum rigidus quidem tutor ac vindex fuit. Evangelicae veritatis, unitatis et primatus Romani Pontificis, cum voce, tum scriptis propugnator acerrimus, et (quod sane immortalem ei gloriam comparavit) Ecclesiae Graecae cum Latina auctor unionis fuit. Tanta animi firmitas atque constantia perfecit, ut intra fines Dioecesis suae Schismaticorum valde imminueretur, Catholicorum vero numerus adaugeretur in dies.

Quapropter, ira et vindictae cupidine flagrantibus, qui tantam in homine virtutem ferre non poterant, saepe strenuum Christi militem, inita conspiratione, designarant ad necem. Verum, cum tenebrosa in haec in irritum cessissent consilia, reiecto tandem pallio, die 12 Novembris anni 1623 seditioso tumultu excitato (ex quo quidem perturbationum genere, tamque ex fonte derivata in urbes populosque clades semper effluxit) Archiepiscopales aedes, famulis vel vulneratis vel interfec-tis, pervadere, inque sanctissimum virum impias ausi sunt manus iniicere, quem impudenti, crudeli, atque immoderata inhumanitate raptatum, verberibus contusum, tandem securi percussum iniurias inter contumeliasque in flumen ejecerunt, dum eius anima, gloriosi quidem Martyrii redimita corona, ad caelum evolabat. Adeo vero inaudita in facinore perpetrando crudelitas civilem potestatem commovit, ut capite mulcetaret interfectores vel ipsos; qui tamen in procinctu mortis, catholicam fidem amplexi sunt. Salutare prodigium istud invicti Martyris intercessionem tribuendum videtur, qui, quasi beneficio gratus, illorum

hominum conversionem impetravit, quorum opera splendidam Martyrii palmam fuerat adeptus.

Statim post Servi Dei obitum, virtutum recordatione, et miraculorum frequentia excitatus eiusdem cultus coepit promoveri. Qua de re, ad Regis preces, antistitum procerumque omnium Regni Poloniae, sub die 27 Januarii 1629 ab Urbano VIII Pontifice Maximo prodiit decretum, quo peculiaribus quidem de causis mandavit, « aperiri processus auctoritate apostolica fabricatos, et ad ulteriora in qualibet Congregatione procedi, non obstante Decreto, quod non possit agi pro Canonizatione cujusquam, nisi sint elapsi anni quinquaginta a die obitus, vel Martyrium passi ».

Decretum istud aliud excepit Decretum diei 2 Martii 1641, quo declaratum est: « Processum esse validum, testes esse rite examinatos, et posse procedi ad ulteriora ».

De martyrio et causa Martyrii, nil addendum erit iis, quae ex Relatione S. R. Rotae auditorum ad S. M. Urbanum VIII excerpta sunt. Omnem vero dubitationis aleam removet Declaratio S. R. Congregationis diei 22 Decembris anni 1642,⁸² ab praelaudato Pontifice approbata, ex qua eruitur, usque ab die 13 Septembris ejusdem anni, de Martyrio et Martyrii causa ineluctabile prodiisse Decretum.

Item, de quatuor miraculorum approbatione, decretum prodierat die 22 Novembris anni 1642, per quod sancitum est « constare de miraculis et sufficienter probari ».

Quibus de causis visum fuit S. Congregationi « posse dictum Servum Dei Josaphat Martyrum Cathalogo adscribi, et ad solemnem ipsius Canonizationem quandocumque deveniri. Visumquoque fuit interim donec ad ipsam canonizationem deveniatur, facultatem concedi posse, ut ab omnibus Monachis Ordinis S. Basilii, ubique terrarum existentibus, nec non in omnibus ecclesiis Dioecesis et Provinciae Poloniae ac totius Metropolis Russiae a quibuscumque sacerdotibus tam Saecularibus quam Regularibus die Natalis ipsius S. Martyris Pontificis, 12 videlicet Novembris, Officium et Missa de communi unius Martyris Pontificis recitari respective ac celebrari valeat iuxta ritum Breviarii et Missalis Romani, nec non Graeci seu Rutheni, ab Apostolica Sede approbati ». Hanc porro S. Congregationis sententiam Summus Pontifex approbavit et Breve desuper in forma mandavit expediri.

Interim die 21 Februarii 1643, die festo eiusdem Beati Romae, pro prima vice, certa die eligenda, celebrando « Sanctitas Sua remisit ad determinationem S. Rituum Congregationis, quae, audita huiusmodi

⁸² Forsan agitur de die 22 Novembris 1642, et non Decembris.

declaratione, censuit, si SS.mo placuerit, festum praedictum celebrandum esse die ab E.mo ac Rev.mo D. Cardinali Praefecto S. Congregationis de Propaganda Fide determinanda ».

Tandem, die 16 Maii 1643 ab praelaudato Pontifice Maximo Urbano VIII Litterae in forma Brevis prodire, quibus, re undique cognita, ea omnia iterum firmavit, quae in S. Rituum Congregationis Declaratione proposita fuerant, quaeque iam usque die 22 Decembris anni 1642 singillatim probaverat.

Quae cum ita se habeant, cumque in id temporis, Divino sane consilio, Causa inciderit, quo tempore illorum praesertim Sanctorum gloria revelanda, atque omnium sermone celebranda est, qui Romanorum Pontificum primatum ab detractorum calumniis atque impetu vindicarunt, quique obscurissimorum impiorumque hominum temerariis ausibus obistere non dubitarunt, quos Ecclesiae iura, reditus et bona instatiabilis urgebat usurpandi ac devorandi libido, idcirco haud magis opportunum tempus expectari potuerat, ut fortissimi huius Christi militis fama magis magisque propagaretur.

Itaque non solum re ipsa, sed etiam allekti temporis opportunitate causae huius Postulatores P. Michaël Debrowski, Provincialis Ordinis S. Basilii M. in Regno Poloniae, et P. Nicolaus Contieri, Prior Monasterii Cryptae Ferratae Te, Pontifex Maxime, orant atque obsecrant, ut, audito R. P. Fidei Promotore, id digneris decernere, sine quo ad solemnem B. Josaphat canonizationis actum haud tuto procedi posset; id prece enixa atque eo quo decet obsequio postulant, idque flagitant sese assecuturos fore confidunt.

Quare etc.

311.

Romae, anno 1864.

Sententia fidei Promotoris de causa Beati Josaphat.

ARCHIVUM S. C. RITUUM CENTRALE, *Positiones.*

D. BARTOLINI, *Commentarium Actorum*, vol. I, pag. 18-19.

Sacra Rituum Congregazione. Eminentissimo et Reverendissimo Domino Card. Constantino Patrizi, Praefecto et Ponente. Polocen et Ruthen. Canonizationis B. Josaphat Martyris, Archiepiscopi Polocen. et Ruthen. Sententia pro veritate R. P. Petri Minetti, S. Fidei Promotoris, Romae. Ex Typographia Rev. Cam. Apostolicae, 1864.

POLOCEN. ET RUTHEN. CANONIZATIONIS B. JOSAPHAT MARTYRIS,
 ARCHIEPISCOPI POLOCEN. ET RUTHEN.

Beatissime Pater

Dum universus pene terrarum orbis seditionibus concutitur, ac non solum Christi Ecclesia, quae super firmam petram aedificata nullo potest convelli impetu; sed et ipsa huius saeculi regna appetuntur, divinae providentiae consilio opportunissime contigit, ut invicti martyr B. Josaphat ageretur causa, qui tumultuosae plebis seditione peremptus est, et catholicam fidem, quam omni ope vivens propagaret, effuso sanguine veluti sparso semine, latius amplificavit.

Iste impiorum minis nunquam deterritus eis coram profitebatur, se nil magis habere, quam pro catholica religione mortem oppetere. Scilicet bonus pastor, divini Reparatoris nostri vestigia premens, animam suam pro suis ovibus dabat, errantes colligere adnitebatur. At perduellium odia diu contineri haud poterant, ac tenebricosa consilia demum erupere. Parricidae siquidem die duodecima Novembris anni MDCXXIII in Archiepiscopi aedes invadunt, quotquot offendunt feriunt, obruunt. B. Josaphat obviam factus ita eos amice alloquitur: « Filioli, quare famulos meos caeditis? Si aliquid contra me habeti, ecce adsum ». Tum illi eum contundunt, laniant, interimunt atque vestibus exutum per urbem raptant, in flumen dejiciunt. Dolent boni omnes, ipsi ingemunt schismatici, patratum horrent facinus. Verum supremus Princeps haud sivit inultum scelus, parricidasque capite damnavit. Sed beati martyris cruor et hosce emollivit, ac ferme omnes, antequam ad supplicium raperentur catholicam fidem amplexi sunt.

Haec eodem anno eveniebant, quo s.m. Urbanus VIII Petri Cathedralis ascendit. Quae autem fuerit in hunc martyrem populorum religio, quid praestiterit idem pontifex, patet ex Summarii tabulis. Demum Patres Cardinales sacris colendis ritibus praepositi die vigesima septima novembris anni MDCXLII censuere « *posse dictum S. D. Josaphat Beatorum martyrum cathalogo adscribi et ad solemnem ejus Canonizationem quandocumque deveniri* ». Urbanus VIII sententiam hanc laudavit et approbavit, atque eximium istum Catholicae Religionis vindicem Beatorum Ordini adscripsit.

Nunc autem huiusce Causae actores, Pater Beatissime, a Te humillime deprecantur, ut praeclarum hunc heroa, qui institutum coelitus Tuae Sedis Primatum etiam fuso sanguine adseruit, in sanctorum numerum referas. Sanctitas Tua, divina licet potestate suffulta, ac Dei munere falli nescia, meam tamen opinionem benigne exquirit. Tua igitur recreatus Clementia ex animi sententia loquar.

Si veterem Ecclesiae disciplinam recolamus, dicendi ratio, qua

Patres Cardinales legitimis diudicandis ritibus praepositi usi sunt, in re nostra, eiusdem pro certo ponderis apparebit ac formula, quam de Iaponiae Martyribus adhibuere. Nihil ergo superesse videretur, nisi ut Sanctitas Tua coram ipso S. R. E. Cardinalium consilio ediceret, etiam in hac causa *tuto procedendum esse ad ulteriora*.

Haec mea quidem sententia est, quam iussus proferre audeo, atque ad Tuos sacros pedes provolutus Sapientiae Tuae obsequentissime subijcio.

Petrus Minetti, S. C. Adv. S. F. Promotor.

312.

Romae, an. 1864.

Summarium actorum ad canonisationem Beati Josaphat collectum.

ARCHIVUM S. C. RITUUM CENTRALE, Fasciculus separatim editus, an. 1864.

SUMMARIUM

N. 1 Supplex libellus Rev. morum Causae Postulatorum.

Beatissime Pater.

Decretum ab suprema Pontificis Maximi auctoritate postulantibus... id prece enixa atque eo quo decet obsequio postulant, id flagitant, idque sese assecuturos fore confidunt.

Quare etc. J. Baptista De Dominicis S.C.A. Advocatus.

Jo. Baptista Minetti.

Num. 2. Decretum Sanctae Mem. Urbani VIII, quo indulgeatur procedi posse ad ulteriora, licet nondum elapsi essent anni quinquaginta a die Martyrii Beati Josaphat.

In causa Servi Dei Archiepiscopi Polocen. et Ruthen. Martyrium pro Christi fide passi, SS. mus mandavit aperiri Processus Apostolica Auctoritate fabricatos et ad ulteriora in qualibet Congregatione procedi, non obstante decreto quod non possit agi de canonizatione cuiusquam, nisi sint elapsi anni quinquaginta a die obitus, vel martyrium passi, attento quod ultra instantiam et emissam supplicationem Regis, Antistitum Procerumque omnium Regni Poloniae, fuit hic Servus Dei Archiepiscopus in Graecia, univit Ecclesiam Graecam cum Latina, et pro Christi fide passus est, quae omnia Sanctitas Sua mandavit adnotare, ut dignoscantur causae, quibus motus fuit ad id faciendum, et non habeantur in exemplum.

Die 27 Januarii 1629.

*Num. 3. Excerpta ex Relatione Joannis Baptistae Coccini, S. R. Decani, Philippi Pirovani, et Clementis Merlini, Auditorum, ad S. M. Urbanum VIII, ex Processibus super canonizatione formatis excerpta.*⁸³

De Martyrio Servi Dei Josaphat Archiep. Polocen. et qualiter in illo sustinendo se gessit.

Josaphatus primum monachus S. Basilii, et deinde Archiepiscopus Polocen., antea Joannes Concevitijs, natus est Ulodomiriae anno a Partu Virginis 1584, ex Gabriele et Marina honestis Parentibus, orthodoxis catholicis, vinculo matrimonii rite copulatis, et sacro lavacro Baptismatis catholico Ritu fuit initiatus, atque pie ab iisdem educatus, ut depouunt sex testes in Processu Polocen., nempe primus, qui est octogenarius, secundus, tertius et quartus, qui sunt consules civitatis, et plus quam sexagenarii, et quintus et sextus, ut in fol. 22, 23 et 57. In ipsa pueritia pijs moribus institutus praematurum ac praecox adeo ad Religionem ostendit ingenium, ut vacaret assidue orationibus et quotidianis precibus, quibus cum Deo conversabatur in secessu templi Sanctae Parascevae, ubi et in depingendis formandisque Sanctorum imaginibus operam dabat, tamdiuque interdum in sacris aedibus commorabatur, ut sollicitos faceret parentes ob sui abesentiam, unde ipse Joannes tamquam exemplar virtutum atque egregiae indolis ceteris etiam provectionis aetatis adolescentibus proponebatur, ut testatur idem primus et tertius testis in Proc. Polocen. fol. 22. Post quas praeproperae pietatis ac sanctimoniae prolusiones, cum usque ad annum Christi 1604, eundem vitae honestae tenorem servasset, 20 aetatis anno Religionem S. Basilii ingressus est, et in ea professus in monastica perfectione et vitae sanctimonia ingentes progressus fecit, claruitque eximie moralibus ac theologicis virtutibus, Divinis rebus et assiduae orationi, corporis castigationi, ipsorumque librorum lectioni valde addictus, ut comprobatur in testimonio quatuor testium in Processu Polocen., nempe 32 qui est Consul, fol. 34, et testis 57 et 59, fol. 43, quorum alter est sacerdos Societatis Jesu, alter monachus Ordinis Sancti Basilii, et 71 testis, fol. 58, adeo ut paucos post annos, assumpto Josepho Vilnensi Archimandrita ad totius Russiae Metropolim, Josaphatus, in eius locum suffectus, creatus fuerit Archimandrita Vilnen. Quo in munere summa cum prudentia suas optime implevit partes, atque omnibus omnia factus, ob penuriam sacerdotum Unitorum solus omnia pene ecclesiastica munia obibat, Divinis Officiis assidue interessendo, Confessiones sacramentales excipien-

⁸³ Relatio haec edita fuit in nostra Collectione, vol. II, pag. 149-191. Agitur hic de parte tertia huius relationis (pag. 170-183).

do, frequenter concionando, et immensa cum caritate, qua omnes homines diligebat, ut de Sancto Petro inquit Sanctus Clemens Papa epistola I, salutem omnium procurando, ut testificantur in Proc. Polocen. testes 59, 68, qui est Archiepiscopus Polocen. ex Ordine S. Basilii, Alumnus ipsius Josaphati, 69, qui est Episcopus Metonen., ac 71, nec non testis 52 et 56, sacerdotes Societatis Jesu, et testis 64, Archidiaconus Ordinis S. Basilii et comes passionis Josaphati, atque alii in eodem Processu.

Donec de anno 1619, post Gedeonem Archiepiscopum Polocen., idem Dei famulus invitatus ad Archiepiscopatum evectus fuit, ut ait testis 69 in Proc. Polocen. Quam eius humilitatem ponderat etiam testis 46, fugamque meditabatur exemplo antiquorum episcoporum. Ad quod munus tali cum pompa et majestate populique alacritate exceptus fuit ut nemo alius, ut describitur in Processu, fol. 49. Incredibile dictu est, quantum in hac dignitate zelum et caritatem ostenderit, totus in corrigendis et componendi corruptis et depravatis populorum suae dioecesis moribus, omnium confessioni audiendiae publice et privatim, domi et fori expositus, suavis verbis peccatores excipiens, quae verba penetrabant et lacrymas extorquebant, ut deponunt praeallegati testes 53, 55, 61, 62 et 68 in Processu Polocen. Abusus multos circa Sacramentorum confessionis administrationem sustilit, et frequentiam sacramentalis Confessionis instituit, ut deponunt testes 52 et 103. Orationi assidue vacabat, adeo ut singulis noctibus surgeret ad orandum et implorandum cum gemitu et lacrymis pro conversione schismaticorum Divinam opem, matutinae etiam Psalmorum recitationi semper interveniendo, ut aiunt testes 59, 61 et 73 de visu subdens, se subinde clanculum pariter audivisse Archiepiscopum in praecationibus clamantem: Domine Deus, da Unionem Ecclesiae Sanctae, et conversionem Schismaticorum; 63, 68, et 74, qui ponderant Archiepiscopum consuevisse primum omnium surgere ad Matutinum, ita ut saepius ipse pulsaret campanas pro monachis convocandis, postquam etiam fuerat ad Archiepiscopatum promotus; inter orandum autem saepenumero se flagris cedebat usque ad sanguinis effusionem, adeo ut pavimentum etiam cruore conspargeret, praesertim antequam Sacrum celebraret, praemittendo Sacrificium Deo gratum, nempe spiritum per poenitentiam contribulatum. Quapropter etiam cilicio ultra 20 annos usque ad mortem absque indusio corpus afflixit, numquam carnes comedit, raroque pisces et leguminibus ut plurimum vescebatur, aquae potum adhibendo quousque ob stomachi imbecillitatem alio etiam potu uti coactus fuit, super nuda terra saepe cubabat et nudipes hieme in frigidissimis illa Regione Incedebat. Ita affirmant testes 43, 64, 68, 74 et 72, qui addit etiam, antequam procederet ad sacramentales confessiones excipiendas, consuevisse flagello se

verberare. Virgini Deiparae se se totum devoverat, cui nedum aras erigi festivitatesque solemniter celebrari curavit et semetipsum exactissimum castitatis observatorem instar Templi exhibuit, ut dicunt testes 59 et 73. Pauperes adeo fovit, ut eorum veluti parens habebatur, numquam eos dimisit afflictos, et iubebat aliquando tot erogandi eleemosynas, ut nihil relinqueretur in penu, iisque aegrotis in nosocomio iacentibus omnia exhibebat caritatis officia, lectum construens, cibum ministrans, pedes deosculans et mundans, quos et sermone salutari et spiritu lenitatis consolabatur, ut deponunt testes 15, 16, 61, 64, qui fuit dispensator eleemosynarum Archiepiscopi, et ait, cum olim pauperi viduae nihil erogandum superesset, iussisse Pallium episcopale oppignorari, test. 69 et 74, addentes consuevisse dare eleemosynam rusticis et aliis mendicis post confessionem sacramentalem apud se expeditam, ut ad Sacramenta illos alliceret; 94 inquam, vel inimicis fuisse amicissimum, 87 qui dicit, Archiepiscopo sibi delatam annuam eleemosynam per Palatinum Vitepscen. illam nec tangendo pauperibus in Xenodochiis, carceribus aliisque piis locis totam distribuere consuevisse. Cathedralen Polocen. ecclesiam plurium millium sumptu absolvit, et fere a fundamentis restauravit, ac Monialium Sancti Basilii Polociae monasterium erexit, ut aiunt testes 9, 66, 68 et 71. In consanguineos vero adeo continens et parcus fuit, ut aliquando pro datis alteri eorum 40 Florenis doluerit, quod in pauperes potius non distribuisset, ut deponit testis 45.

Iura Ecclesiarum nec non episcopalem Iurisdictionem vehementer tutatus est bonaque ecclesiastica a saecularibus usurpata vindicavit, ut asserunt testes 7, qui est Archiepiscopus Polocen., 71 et 108, qui subdunt olim Archiepiscopo Josaphat oblata fuisse per schismaticos triginta circiter millia Florenorum, ut sineret praefici regimini ecclesiarum Praesbyteros schismaticos, quam sacrilegam impiorum petitionem risit Archiepiscopus, inquiens animarum salute, non pecunia sibi opus esse, et donum Spiritus Sancti vendi non debere. Maximus fuit evangelicae veritatis et unitatis ac primatus Romanae Catholicae Ecclesiae propugnator ac praeco, et in comprimenda Haereticorum et Schismaticorum perfidia, quin Summum praesertim Romanum Pontificem et potestatis eius plenitudinem audacioribus urgebant calumniis et probris, in Coelum ponentes os suum, et Christum Dominum dilacerantes, atque in eorum conversione et aggregatione ad unitatem catholicam egregiam navavit operam. Unde et in hanc causam saepissime concionabatur et assidue disputabat pro unione, ad quam schismaticos post disputationem blandis etiam verbis et libris catholicis eisdem distributis, revocare studebat, in conviviiis et in privatis allocutionibus totus in hac unitate Ecclesiae et primatu Sedis Apostolicae, in quo toto tempore, quo Archiepiscopatum

rexit, vere universa eius desudavit industria, ut deponunt testes 7 et 30, aiens olim Archiepiscopo, pro unione disceptanti schismaticos suasisse, ut ille recognosceret Patriarcham, quo facilius eos ad se traheret, quibus respondit: Recognoscat Patriarcha Papam, et ergo recognoscam Patriarcham, et iisdem ipsi mortem minitantibus subdidisse: Pro Christo mundo moriar; 32, 57, 69, qui est Episcopus Metonen., 72, 101, 106, qui duo postremi advertunt, aliquando Archiepiscopum ostendisse ex ipsis Schismaticorum slavonicis libris comprobari, Ruthenos antea solitos reddere obedientiam Romano Pontifici; ex qua assidua Antistitis opera, Deo bene iuvante, factum est, ut triennio, quo Archiepiscopatum rexit Polociae, quae antea grassabatur schismatis lues, pro maiore parte extincta fuerit, et cum creatus Archiepiscopus paucos Polociae invenisset fideles, tempore mortis pauciores reliquerit infideles, ut dictum fuit de Sancto Gregorio Thaumaturgo Neocesareae Episcopo. Ita deponunt sex testes in Processu Polocen. nempe 29 et 31, Proconcules Polociae, et 43, nec non 63 et 70, alter decanus Bychovien., alter Archidiaconus Albae Russiae, atque etiam 71, qui omnes, excepto 70, testantur, se ab haeresi et schismate ad fidem Christi et catholicam Unionem opera ipsius Josaphati conversos fuisse, et 63 testis exprimit nomine quatuor aliorum industria eiusdem Archiepiscopi reductorum ad Sanctam Sedem, additque 29 testis, cum ad ecclesiam accederet, Antistitem in porticu prodiisse, et manu eius apprehensa, dulcissime collacrymatum fuisse exclamando: Deus, ecce errantem inveni ovem, Tibi eam commendo; 71 vero testis subdit, tot per Servum Dei conversos fuisse ad fidem catholicam, quod modo sunt Uniti Polociae, quod idem affirmat 2 testis, sacerdos Ruthenus in Proc. Urbis, iuxta 5, fol. 43 et 73 testis ait, quod millia animarum suis concionibus, disputationibus et industria convertit ad catholicam religionem.

Et ex catholicae fidei incrementis maxime afflictabatur humanae salutis hostis, efferataque eius rabies effervescebat, agnoscens Josaphat Archiepiscopum quam brevi dominum possessionemque animarum omnium Christo propagaturum fuisse atque haeresim universam eiecturum. Unde homines nefarios schismaticos excitavit, ut, facta conspiratione, ad necem quaererent Christi famulum et fortissimum pro fide bellatorem, atque, ut ipsi vocabant, animarum Praedonem interemerent. Quod impium facinus per tres vices moliri ausi sunt Vitepsci, nempe sub die 6 Augusti 1621, dum optimus Praesul piorum Christi fidelium agmen, seu processionem institueret, et de anno 1622, mense Aprili, in Praetorio, dum publice legeretur Privilegium a Regia Maestate Poloniae Josaphat Archiepiscopo concessum, in quo professio fidei eiusdem in catholica unitate astruebatur, utarrant plures testes infra,

cum de probatione huiusmodi seditionum ageretur, recensendi; sed tandem de anno 1623, 12 Novembris, scelesti Schismatici, adiuvante quodam Smotricio Pseudo Archiepiscopo Polocen., excitato ex industria tumultu atque impetu facto in aedes archiepiscopales, post familiarium caedem, totiusque supplellectilis eversionem, capite Archiepiscopo securi disiecto, sacrilegum parricidii scelus immanissime perfecerunt, ut deponunt quatuor oculati testes in Processu Polocen.; nempe 108, Nobilis Polocen., et 61, qui ambo fuerunt familiares Praesulis Josaphat, comites passionis et vulnerati ab iisdem parricidis schismaticis, et 93 testis, honesta Matrona, quae e vestibulo templi B. Mariae vidit, quando Servus Dei in aream Curiae suae extractus occidebatur, et 11 testis, Actor deputatus ab Archiepiscopo contra schismaticos testatus est, se statim, audita Servi Dei morte, venisse Vitepscum, corpus propriis manibus in tumbam composuisse, sanguine ex vulneribus adhuc defluente, idemque per flumen Dunam advexisse Polociam, ut in Processu Urbis 2 testis, sacerdos Ruthenus, de auditu a fratre suo germano, qui interfuit trucidationi et vulneribus male habitus fuit, exactissime narrat hanc historiam mortis Archiepiscopi Josaphati. Postquam truculentam Archiepiscopi occisionem saevientes adhuc in exanime corpus Schismatici illud per aream domus episcopalis et per civitatem Vitepscensem reparant fune ligatum, et solo cilicio tectum ignominie et proculcationi sacrilgae Plebis omnis sexus, omnisque aetatis exposuerunt, et demum ad ripam fluminis Duna protractum ex altiori loco praeceps dederunt, et postmodum infelicitate demerserunt, ubi iacuit per sex dies, ut deponunt testes 10, 83 et 84, et omnes Vitepscenses, atque alii Schismatici in testimonio clara et elata voce super hoc unanimiter dato, relato in Processu Polocen. fol. 76, 77 et 79, et ipsi Commissarii Apostolici affirmarunt in Processu fol. 85, dum loca omnia sanguine Josaphat sparsa, vel miraculis clara, crucibus vel aliis signis distinxerunt, nec non Episcopus Nolanus, tunc Poloniae Nuntius et Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae enarrant in litteris usque de anno 1623, ad S. V. datis. Quam Schismaticorum saevitiem vel ipsi hostes Archiepiscopi seu potius Catholicae Fidei detestati sunt, ac ingemuerunt maledicentes sicariis, et sanguinem innocentis Praesulis super illos inclamantes, et demum etiam ipsi parricidae, atque universus populus Vitebscen. publica facinoris confessione ac veniae petitione deplorarunt, suntque etiam fere omnes parricidae schismatici, antequam capite plecterentur, ad salutem animae revocati, ut habetur in Processu fol. 85, et deponunt testes 63 et 68.

Igitur de perfecto huius Servi Dei martyrio plene et concludenter constare asserunt Agentes pro venerabili Josaphato; probatio siquidem

mortis deducitur ex depositione dictorum trium testium oculatorum 61, 93 et 108, qui utique sufficiunt ad 1. Ubi numerus, ff. de test, cap. In omni negotio eod. tit. Rota decis. 209, num. 3, par. I, diu etiam firmatum fuit in Relatione Sancti Francisci de Paula, Videndum, in Relatione Sancti Hyacinthi fol. 51 vers. Superioribus annis, et in aliis ubi, quod sufficit etiam unus testis de certa scientia cum duobus de publica voce et fama, iunctis aliis testibus de auditu a personis, quae mortem viderunt, quorum multi sunt in processu et sceleris patratores id fassi fuerunt, et publico supplicio poenam luerunt. Circa quam probationem placuit etiam, Beatissime Pater, hic recensere integram depositionem testis 108, socii passionis Servi Dei Josaphati, seriem facti diligenter referentis.

Interim, inquit, Schismatici, occupata iam per vim tota Curia archiepiscopali, caesis omnibus famulis, totam diripiebant suppellectilem. Auditis his clamoribus, Antistes processit e Camera et, clausis ipse foribus Sacratissimae Crucis signavit effigiem, me a sinistra parte illi, inquit testis, astante, pro more suo dulcissime hostes allocutus fuit: Filioli, quare famulos meos caeditis? Si aliquid contra me habetis, ecce adsum. Tunc ex opposita camera erupuerunt duo, et, ut Servum Dei stantem viderunt, alter, Servo Dei stringente in modum crucis ad pectus manus, fuste caput petiit, secure divisit alter; prostratum vero quotquot in atrio fuerunt omni telorum genere confodiebant et contundeabant. Elevata tamen Servus Dei manu inter media vulnera exclamavit: O Deus meus, ibique globis sclopetariis caput sacrum trahunt et iterum fustibus caedunt. Cumque corpus vestibus exuissent, et cilicio indutum conspexissent, ex hoc suspicati, quod occisus fuisset alius, et non Archiepiscopus, totam domum perquirere coeperunt, ut Archiepiscopum invenirent, donec ex teste ipso, quem ad corpus recognoscendum adduxerunt, certiores facti fuerunt, vere Archiepiscopum ipsum et non alium fuisse occisum.

Cum qua dispositione adamussim concordat secundus testis in Proc. Urbis de auditu a fratre germano, teste ibidem de visu, et 61 testis in eodem Processu Polocen., comes itidem passionis Josaphat, qui subdit se, dum Servus Dei occidebatur, positum fuisse in terram, fustibus caesum vulneribusque affectum, in area domus et in coemeterio, asserens: ipsam meam vitam miraculum censeo; scio enim me ita caesum fuisse, ut naturaliter neque minima particula carnis ossiumque manere integra posset. Testatur vestis mea, hoc caput meum cicatricibus plenissimum; et, quod maxime rem auget praesentem, cum ante haec verbera multis distinerer valetudinis incommoditatibus, nunc Dei gratia optime valeo, ut ab obitu Servi Dei nullo modo vexatus fuerim,

nisi ut sanguinem interdum spuum; hoc tamen sine ullo dolore, et valetudinis detrimento.

Addens paulo post: Ipso die mortis Servi Dei, cum iam Schismatici Curiam archiepiscopalem invasissent, familiares Archiepiscopi defensionem parabant, sed Servus Dei prohibuit omnino ne vel vulnerarent aliquem ex parricidis, vel globo trajicerent. Et hoc fuit in causa, quod Schismatici, viribus sumptis, ardentius institerint, portam Curiae fregerint, domum occupaverint, ac me et D. Emanuele Cauntacuse-num cum tota familia caeciderint, nullus tamen ex nobis mortuus est; quod quidem Servus Dei in vita praedixisse mihi videtur, cum saepius nos monuerit, ne timeremus nobis si ille martyrio afficeretur, non peribit, inquiens, ex vobis quispiam.

Voluntariam autem per Servum Dei et absque ulla resistentia mortem acceptatam fuisse, quod pro secundo martyrii requisito a nobis supra deductum fuit, plene probari dicebatur ex iisdem testibus 108 et 61, nec non 2 in Processu Urbis, in illis verbis: Antistes pro more suo dulcissime hostes allocutus est: Filioli, quare famulos meos caeditis? Si aliquid contra me habetis, ecce adsum; et aliis paulo ante recensitis verbis testis 61, ibi. Cum iam Schismatici Curiam archiepiscopalem et, unde coligitur piissimum Praesulem prompte adeo et libenter sanguinem suum tradidisse, ut eo grassantem schismaticorum luem extingueret instar Ovis occisionis coram deglabrante non aperientis os suum et acceptatio praedicta deducitur etiam ex antecedenti desiderio martyrii, quo ardentissime flagrabat Servus Dei, super quo deponunt testes 9, 15, 26, 61, 69, 71 et 108 in Proc. Polocensi, asserentes Archiepiscopum quodammodo mortem suam praedixisse his verbis: Ego discedo Vitepscum pro martyrio, et ab amicis monitum, ne illuc proficisceretur, quia Schismatici erant illum interfecturi, a proposito visitationis episcopali munere desistere noluisse, et aliquando dixisse, se optari mori, cum ecclesia cathedralis fuerit reparata, prout post reparationem contigit, familiariaque ac creberrima verba fuisse in ore illius, dum a Schismaticis persecutionem pateretur: Utinam sanguinem pro Domino meo fundere possim: cupio dissolvi, et esse cum Christo: non possum melius mori, quam pro veritate sancta; faxit Dominus meus, ut sim dignus sanguinis effusione atque aliquando in concione ad illa verba: Omnis qui vos occiderit etc. dixisse ad populum: Vos mihi minitamini mortem, et ego vobis dico, non essem felicior quam si per manus vestras pro fide catholica occidere. Scitote ergo, me paratissimum esse ad moriendum pro veritate. Quibus caritatis et fortitudinis stimulis non tam semet ad martyrii coronam excitabat, quam lacerasset, suppliciique moras vehementer increparet, et ad certamen exhibendo paratum Servatoris

exemplum secutus, qui cum per atram noctem minime videretur, se Iudaeis manifestavit, prout Sanctus Basilius his verbis Sanctum Cordium Martyrem luculenta oratione celebrat, et simili preconio S. Gregorius Nazianz. orat. 3 commendat martyrium Marci, episcopi Aretusii, voluntarii Christi Athletae et sanctissimos Antistites Ambrosium et Thomam Cantuariensem imitatus est, qui pro defensione iurium Ecclesiae et Catholicae Fidei sanguinis proprii effusionem sitiabant, ut ex tabulis gestorum eorundem compertum est, et annotatum fuit in Relatione S. Caroli in argum. II, ad finem, nec non et exempla tot martyrum, qui sopitorum veluti canum, hoc est fidei hostium aures vellentes non extimuerant in arenam prodire, ut martyrii gloriam consummarent, complentes dictum illud: Justus, ut Leo, confidenter agit, de quibus supra meminimus in 2 parte huius Relationis, super sec. martyrii requisito.

Causam vero mortis (quae est tertium requisitum martyrii) fuisse catholicae fidei et S.R.E. et Petri primatus defensionem, Sanctissime Pater, deducebatur ex pluribus nempe, quia decem et quatuor testes singillatim recensendi super hoc signanter deponunt, comprobantes odium ingens Schismaticorum in Servum Dei, eo quia catholicae unitatis et veritatis propugnator esset, et schismatis insectator, adeo ut ter conspicerent in eius necem, et post mortem Archiepiscopi plurima a Schismaticis data fuerunt signa laetitiae et contemptus ac contumeliae in sacrum Antistitis cadaver; communisque fama et reputatio illarum Partium, quod haec fuerit causa mortis, astipulatur per testes in Processu Polocen., qui unanimiter affirmant, nulla alia de causa fuisse occisum Josaphat Archiepiscopum, quam pro obedientia Summi Romani Pontificis, pro defensione Primatus Sancti Petri et Sedis Apostolicae, pro fide catholica et Sancta Unione, suntque Supremus Polocen. Palatinatus Iudex, asserens quod nullam aliam causam in eo inveniebant hostes, 59, Igumenus Monasterii Cercinensis Ordinis Sancti Basilii, a defuncto Praesule in Religionem receptus, 61, fidus comes passionis Josaphati, iniquiens cum lacrimis et singultu: Denique vivus ipse testis sum et sanguine etiam proprio testor, Servum Dei pro fide catholica ac S.R.E. et Petri Primatu mortem oppetiisse, 55 testis, sacerdos, Rector Collegii Polocen. Societatis Jesu, qui nedum fidei defensionem causam mortis fuisse adstruit, sed et vitam Josaphat vere fuisse conformem vitae Sanctorum, ipsumque virtutum omnium speculum extitisse, et enituisse, tamquam solem in tenebris Schismaticorum; luculenter testatur, 65, itidem sacerdos Societatis Jesu, eiusdem Vicarius, 68 Archiepiscopus Polocen. 69, qui est Episcopus Metonen., dicens pro Primatu Petri interfectum, quod etiam asserit Episcopus Halicien., qui etiam recenseatur in Processu pro teste 69, cum quibus etiam concordat 70, Archidia-

conus Albae Russiae, 71 Igumenus Monasterii Polocen. Ordinis S. Basilii, qui fuit comes Josaphati in multis itineribus, 72 Igumenus pariter Monasterii Mohilovien. eiusdem Ordinis S. Basilii, asserens, denique causam mortis illius nullam aliam fuisse praeter defensionem fidei catholicae et obedientiam Romani Pontificis, 90, qui asserit Schismaticos sibi etiam et aliis mortem minitatos esse, quia Josaphatum amarent et colerent et eundem pro fide catholica Romana et Apostolica, ac Primatu S. Petri et Sedis Apostolicae interfectum fuisse, 94, 100 et 108, socius in passione, 109 Iudex Castri Vitepscen., qui ait se plures interrogasse Schismaticos, quid esset in causa tumultuum, quos excitant in Archiepiscopum, et passim respondis se: Quia Papam recognoscit, et nos papistas efficere conatur, subdens in fine: Hunc Servum Dei agnosco in martyrem tamquam pro fide et Primatu Sancti Petri interfectum, et 114 testis dicens, nullam causam mortis in illo fuisse, quam quod fuerit cum S.R.E. unitus. Additque praedictis 61 testis, hac de causa Schismaticos insidias saepius struxisse: Cede, occide Latinum, Haereticum, Papistam clamitasse; et 71 testis, qui fuit confesarius optimi Antistitis, et tamquam conscientiae illius gnarus, nonnisi pro Primatu Sedis Apostolicae et Ecclesia Catholica, quod adeo cupiebat, sanguinem fudisse. Quae etiam confirmat totius Russiae Metropolita inquiens, nullum in Regno Poloniae reperiri, qui contrarium dicat; iisdemque cohaeret etiam depositio 1 et 2 testium in Processu Urbis, quorum alter est Episcopus Nolanus, olim in Polonia Nuntius, affirmans, ipso instante, post causam legitimis probationibus instructam capitali morte meritis de parricidiis sumptas fuisse poenas ob patratum facinus necis Archiepiscopi ex causa catholicae religionis illatae, alter vero frater famuli Archiepiscopi addit, unum ex schismaticis parricidis in carcerebus constitutum, interrogatum ab ipso teste de causa mortis Josaphati Antistitis, respondisse: nonnisi pro fide catholica et Unione interfectum fuisse. Quod idem multi etiam catholicae fidei hostes, Judaei, et Heretici testati sunt, nempe 79, 80, Judaei 83, 99, 114, Calvinistae et 85 anabaptista, quorum depositio in favorem fidei admittenda decernitur per Alexandrum IV in cap. in favorem fidei, et cap. contra Christianos de Haereticis; Testimonium enim inimici in favorem inimici non rejicitur, sed majorem habet veritatis praesumptionem, ad tradita per Dec. cons. 163, n. 11, Gravet. cons. 6, n. 62.

Odium atrox Schismaticorum in optimum Praesulem, et minas mortis nec non insidias, et conspirationes instructas in odium fidei et unionis catholicae per Josaphat professae probare videntur testes quam plures in processu.

De odio quidem deponunt testes in Processu Polocen. 32, Consul

Polocen., 70, 71, 90, 91, 107, quorum; 71 ait se fuisse id expertum discendentem cum Archiepiscopo, quos Schismatici lapidibus impetentes clamabant: Occide, submerge, fidem nostram sublaturi veniunt, aliisque modis et iniuriis insectabantur; et testis 31 et 71 narrant consuevisse Schismaticos maledicere Antistiti, vocando illum animarum praedonem, et raptorem, quo ansam illi prae-buit olim respondendi: Faxit Dominus Deus, ut animas vestras rapiam, et in coelum deducam; cui Schismaticus: strangulaberis. Subdidit etiam, aliquando Archiepiscopum per Schismaticos depictum fuisse sub daemonis persona praeacutis uncis animas ad Inferos trahentem, addita superscriptione idiomate Rutheno: Duszochwat, hoc est animarum praedo. Et quod augit odii probationem, ipsorum Schismaticorum coniuratorum contra Josaphatum facta fuit descriptio, et singuli solverunt tres grossos Polonicos, ut in albo abominabilis conspirationis describerentur, ut signanter dicit testis 10 in Processu Polocen.

De minis mortis illatis Archiepiscopo, nisi destitisset ab unione promovenda, deponunt in Processu Polocen. testis 18, olim familiaris Josaphat, de auditu ab ipsis Schismaticis dolentibus, se non occidisse illum ante annum 1623, 71 et 79, qui ait, dixisse olim Archiepiscopum: Scio quod me velint occidere, sed et Sanctos Patres pro veritate occisos esse scio.

De insidiis, tumultibus, et seditionibus saepe saepius per schismaticos contra servum Dei excitatis constare videtur ex depositione plurium testium. Primo, sub die 6 Augusti 1621, in ecclesia Collegiata Vitepscen. Sacra operaturus a Schismaticis tanto impetu percussus fuit Servus Dei, ut parum abfuerit, quia occideretur; ita deponunt tres oculati testes, 61, famulus Archiepiscopi, 103 et 106; et 61 addit, hunc per Schismaticos Confessarium Archiepiscopi et Oeconomum seque ipsum fustibus male habitos fuisse. Secundo, de anno 1622, postquam Schismatici Antistitem in die Pentecostes processionem fidelium instituentem plurimis affecerant contumeliis, latere illum impetierunt processumque ulterius excitato tumultu impediverunt, ut de visu testantur dicti 61 et 107 testes atque alias Sacrum Archiepiscopo celebrante, Diaconum ministrantem, sacrumque panem ad altare deferentem colaphis percusserunt, adeo ut oblata in terram dimiserit, ut idemmet Diaconus, qui est testis 61 affirmat. Demum et eundem Archiepiscopum per insidias trucidare et praecipitem ponte altissimo in fluvium dare cogitarunt, et in Praetorio Vitepscen. coniectis insimul pileis (in signum coniurationis) arreptisque armis necem jam jam Servo Dei intenterunt inclamantes, Archiepiscopum iam latinizare, ut asserunt testes 61, 82, 103 et alii, de quibus insidiis monuisse Antistitem, ait testis, 101, a quo et gratias recepit et

responsum illud: Non timeo mortem, faxit Deus, ut sim tam felix, ut coronam merear martyrii.

Tertio, de anno 1622, mense Aprilis, cum Servus Dei in Praetorio, convocatis civibus Polocen. palam legi fecisset Privilegium sibi a Regia Maiestate Poloniae pro Archiepiscopatu collatum, in quo protestabatur, se esse et futurum usque ad mortem in unione Sacrae Romanae Ecclesiae, statim, facto tumultu, proclamaverunt, se non esse unitos, neque illum in suum Pastorem agnoscere, adeo ut pauci Catholici, qui aderant, in maximo vitae periculo fuerint, et ipse Archiepiscopus vix mortem evaserit. Ita deponunt tres oculati testes in Processu Polocen., nempe 10, qui est Vicenotarius, et 106, quorum 10 ait tunc etiam Schismaticos in vitam Servi Dei duas feminas instruxisse, ut eum e Praetorio discedentem cultris confoderent; 11 ait, ab huius seditionis tempore semper Schismaticos coniurasse in mortem Antistitis et coniurationem, postermo effectum sortitam Vitepsci, multo ante perficiendam fuisse Polotiae, sed Dominum Deum misericordia sua evertisse hoc malum ab illa civitate; 106 testis subdit, in Praetorio auditum fuisse Schismaticorum clamorem: Hic fidem nostram destruit: occidamus eum, et similia verba testatur se audivisse testis secundus in Processu Urbis, iuxta 13, dum comitabatur Archiepiscopum in visitatione Archidioecesis, addens quod multo ante Schismatici interfecissent Antistitem, nisi metu Regiae potestatis aversi fuissent a scelesto facinore, quod deinde perpetrarunt Vitepsi, dum nullus ibi aderat Minister Regius.

De saevitia et contumaci odio Schismaticorum etiam post mortem in Venerabilis Viri cadaver, testantur de visu testes 32, Consul, 33 Notarius et 93 honesta Matrona, asserentes viros, pueros, foeminas ex omni aetate pedibus caput calcasse, barbae et capitis capillos evulsisse, expuisse in faciem, aliisque ignominiiis affecisse, et 32 exprimit, quod Schismatici mortuum elevarunt et iam erectum ita alloquebantur: Numquid non dies Dominicus est hodie? Concionari te oportet, Archiepiscope, sicque aliquantulum Servum Dei irridentes, post eundem ad terram alliserunt; 33 testis addit, foeminam Servi Dei barbam vellentem visu privatam fuisse, et adhuc superstitem esse, et caecitatem suam ex praedicta causa ortam, cum lacrimis scelus suum deflendo, confiteri. Quam ultionem saepe Deus adversus martyrum contemptores ostendere consuevit, ut notant Tertull. lib. ad Scapul. cap. 3, S. Joan. Chrysost. liber contra Gentiles de Babylae gestis, et S. Paulinus Epist. 2 ad Victricium exclamans: O, Christi ineffabilis bonitas, quantum in suos ostendit affectum! Iniuriam Confessoris sui non tulit impunitam, qui suis crucifixoribus rogavit ignosci. Contumeliam martyris statim ultus est, qui passionem suam noluit vindicare. Ex quibus omnibus de legitima martyrii causa,

hoc est, fidei Christi, nec non Sedis Apostolicae et Catholicae Unitatis defensione constare existimabant, ac tuebantur Patroni causae pro Josaphato, praesertim quia huius veritatis aliunde petita consonare videntur testimonia, et adminicula et probationes, quae si per se non sufficerent, debent coniungi ad hoc, ut plena probatio ex illis colligatur, ut dixerunt Alex. cons. 11 in princ. lib. 4; Cravell. cons. 216, n. 12, et in his terminis animadversum fuit in Relatione B. Thomae de Villanova, tit. de Virt. cap. de fide.

Fama nimirum illius martyrii et communis opinio, et reputatio omnium, qui Servum Dei tamquam Christi Martyrem venerantur, de qua deponunt decem testes in Processu Polocen. nempe 59, 68, 69, 71, 72, 77, 103 et 109, et duo testes hic in Urbe examinati, atque universus populus Polocen. unanimi viva voce affirmavit, Servum Dei pro fide catholica, pro Primatu S. Petri et obedientia Summi Pontificis, pro unione Ecclesiae Graecae cum sacra Romana Ecclesia, et amore salutis animarum occisum fuisse; atque Archiepiscopus Polocen. cum toto suo clero et episcopatu clara et elata voce, astantibus et acclamantibus suis, Servum Dei in suum, totius Archiepiscopatus Patronum sumpsit, pro canonizatione S.V. supplicans, quod idem praestiterunt clara itidem et elata voce Episcopus Halicien. Coadiutor Metropolitae Kiovien. nomine Metropolitae ac pro tota Metropoli Russiae, Rector Collegii Societatis Jesu Polocen. pro toto Collegio nec non Magistratus Palatinatus, Castri et Civitatis Polocen., ut habetur in Processu Polocen., fol. 70. Quae fama et constans totius populi testimonium in Sanctorum canonizatione plurimi semper facta fuit argumento cap. Quatuor 12, quaestio 2, cap. Si opus hominum, 2, quaest. 3, 1. Decurionum, cap. de Poenit., Cassad. decis. 1, num. 13, art. 3. Simonett. in Relatione S. Francisci de Paula, in Proem. vers. Plurimum quoque, et fuit dictum in Relatione S. Franciscae Romanae, part. 2, art. 9, et bene animadversum et probatum fuit in Relatione B. Thomae de Villanova cap. de fama sanctitatis. Immo fama in facto recenti per testes legitime probata facit semiplenam, in antiquis vero plenam et concludentem probationem, praesertim iunctis adminiculis, ut tradunt canonistae in cap. I de Reliqu. et Venerat. Sanct. et dixit Simonett. in Relatione S. Francisci de Paula, vers. plurimum quoque, fol. 31 et vers. Fama, fol. 4 in Relatione S. Raymundi, part. 2, art. 10 vers. Supradictis, in Relatione S. Hyacinthi cap. 2 vers. Et quamvis, fol. 24 et in Relatione B. Petri de Alcantara, part. 3, in primo et secundo miraculo.

Testimonium Synodi Provinciae Gnesnen. habitae anno 1628, die 22 Maii, praesentibus totius Regni Poloniae Episcopis et eorum Vicariis, ubi Josaphat a Schismaticis pro Religione Catholica interemptum Patro-

num Regni nuncupat, et S.V. supplicat, ut dignetur in Sanctorum numerum referre.

Tot epistolae Episcoporum Ruthenorum transmissae Reverendis-
simis Cardinalibus S. Congregationis de Propaganda Fide, nec non in-
clytae memoriae Sigismundi III, Poloniae Regis et Serenissimae Con-
stantiae, Poloniae Reginae, Serenissimi Vladislai, tunc Principis, modo
Regis feliciter regnantis, D. Leonis Sapia, Palatini Vilnen., D. Francisci
Skumin Tischievicz Palatini Trocen., D. Alberti Stanislai Radivil Sacri
Romani Imperii Principis, Supremi Cancellarii Magni Ducatus Lithua-
niae, atque etiam epistolae totius Palatinatus Polocensis et Palatinatus
Vitepscensis, Archiepiscopi Metropolitae totius Russiae et Episcoporum
Vilnensis, et Metonensis, atque Commissariorum Apostolicorum direc-
tae S. V. et aliae Rev.mis DD. Cardinalibus Francisco et Antonio Bar-
berinis, Nepotibus S. V. transmissae,⁸⁴ eorum zelum pro causa optimi
Praesulis advocantes, in quibus asseritur Servum Dei ob singularem in
propaganda tuendaque orthodoxa fide constantiam ac fervorem gloriosa
morte occubuisse, et suffragia luculenta martyrii eius praestantur gau-
dio expresso, Ecclesiam Ruthenam diu sterilem novi martyris sanguine
irrigatam esse atque ad hanc Sanctam Sedem fluentum eius sanguinis
transmitti, et praetiosam mortem fortissimi Athletae extollunt ea solum
de causa, quia Cathedram Petri impense colebat, constanter profiteba-
tur, et alios ad eam verbo et opere manu ducebat multaue ibi referun-
tur miranda et gloriosa, Martyris cultus et veneratio supplicatur et prope
iure suo exigitur, in quo vota totius Regni Poloniae conspirare constan-
ter asseveratur. In quibus epistolis, attestationibus et precibus piissimo-
rum Principum, Antistitum et populorum multum momenti positum
est ad probandum martyrium et causam martyrii, ad not. in cap. Vene-
rabili, de Testibus, Simonett. in Relatione S. Francisci de Paula, in
Proem. vers. Plurimum et Illustre, et per Pavin. in Relatione S. Bona-
venturae part. 1 art. 1, et in Relatione S. Raymundi, part. 1 art. 5,
et part. 2 art. 10 et saepe in aliis.

Frequens fidelium devotio ad venerationem sepulchri huius Servi
Dei eius cultus, de quibus praecitati testes tamquam martyris et reliquia-
rum loquuntur et signanter 11, 53, et 59, quo sanctitatis et veritatis
martyrii indicium est et veteri Ecclesiae consuetudine receptum ex D.
Augustino, De Civit. Dei lib. 22, c. 8, Theodoret. lib. 8 de Curat. Graec.
affect. circa finem, Doct. in cap. 2, de Relig. et Venerat. Sanct., et fuit

⁸⁴ Epistolae hae, quae numerosae supponuntur, non inveniuntur in Archivo S. C. Rituum, et forsitan manserunt in Archivo familiae Doria-Pamphylj, ubi depositatae erant, postquam Cardinalis Pamphilius anno 1644 electus fuit in Summum Pontificem. sub nomine Inno-
centii X (1644-1655).

dictum in Relatione S. Raumundi, par. 2, art. 9 vers. Et quamvis, et in Relatione S. Caroli, de part. 2 de Sanct. argum. 24, et in Relatione B. Thomae de Villanova caput. de frequentia populi ad sepulchr. Atque etiam votivae tabellae ad sepulchrum Servi Dei appensae, de quibus ex visitatione relata in Proc. fol. 69 ad finem, insignia sunt sanctitatis praestantia, illum, in cuius honorem dedicantur, virum esse Deo gratum mosque fuit antiquus in Ecclesia suspendendi hac tabellas beneficia accepta testantes, ut docet D. Augustinus, de Civit. Dei, lib. 22, cap. 8 et fuit dictum in Relatione S. Hyacinthi de miraculis pag. 28.

Demum praemissis astipulatur integritas corporis, quod constat spatio quinque annorum incorruptum, cute ossibus superintensa, conservatum fuisse membraque etiam tractabilia et tamquam viventis flecti, ut ex visitatione facta per Iudices Remissoriales in Proc. Polocen. fol. 68, quam incorruptionem et flexibilitatem sanctitatis indicium esse compertum est ex traditis per D. Augustinum, Confess. lib. 3, cap. 7 et fuit dictum in Relatione B. Paschalis Baylon. in 3 miraculo, in relatione S. Theresiae, in tit. de exhumatione corporis ad finem, in Relatione S. Francisci Xaverii, in primo miraculo post mortem, circa quam incorruptionem aliqua mira per Visitatores Apostolicos observata fuerunt. Primo, quod vestitus corporis sericus minus putrefactioni obnoxius, quam corpus, inventus fuerit totus putridus. Secundo, quod schismatici, visa integritate corporis, non sine lacrymis peccatum suum detestati sint, et se futuros fideles unitissimos conclamarunt. Tertio, quod idem corpus fuerat per 6 dies sub altissimis aquis ulnarum 15 submersum, et ab altiori loco praecipitatum, ut dicunt testes 10, 83 et 84, atque in loco humidissimo reconditum, ut dicunt in visitatione, et tamen integrum atque incorruptum inventum fuit non citra astantium, Cleri nempe utriusque ritus, Magistratus et fere totius populi admirationem, miraculum id esse testantium. Nec non accedunt alia mirabilia signa, quae post mortem huius Servi Dei acciderunt in sequenti parte recensenda.

Unde his simul iunctis cum probationibus, eo facilius ab Agentibus pro Antistite Josaphat asserebatur de illius martyrio et causa martyrii satis constare.

Defensionem autem fidei esse germanam et legitimam martyrii causam, exploratum est ex traditis supra in 2 parte de Martyrio, et signanter martyrium pro unitate servanda et pro reductione Schismaticorum ad Matris Ecclesiae sinum Deo gratissimum esse, gravissime confirmat Dionysius apud Euseb. 6 Histor. cap. 37, ubi ait: Oportere omnia incommoda pati potius, quam Ecclesiae discidis concordiam; et saepissime docuit S. Cyprianus, magnus unitatis praeco, et schismatis

insectator, ut observat P. Raynaud in tract. de martyrio per pest. cap. 4 Schismati Martyrium vanum, et sequitur Baron. in Annal. ad Martyrolog. ad diem 19 Julii, ubi multum extollit martyrium ob unitatem servandam, et illud plus habere commendationis, quam quod suscipitur ne idolis immoletur, et monet, inter celebres Martyres annumeratos fuisse, qui adhaerentes S. Joanni Chrysost. tunc exulanti occisi sunt Constantinopoli, cum nollent communicare cum Arcatio intruso, atque Schismatico, quorum dies natalis agitur die 12 Januarii.

Num. 4. Decretum super approbatione quatuor miraculorum quod iam prodierat die 22 Novembris.

Polocen.: Servi Dei Josaphat Archiepiscopi.

Proposita sunt per Em.mum Cardinalem Pamphilium quinque miracula Servi Dei Josaphat... (etc. conf. supra, nr. 194).

Num. 5. Congregatio censuit: posse ad sollemnem S. D. Josaphat Canonizationem quandocumque deveniri.

Commissa dudum a SS.mo Domino Nostro Urbano Divina Providentia Papa VIII Sacrae Rituum Congregationi ad instantiam Serenissimorum Poloniae etc... (cfr. supra, nr. 195).

Num. 6. Festum Romae celebrandum.

Polocen.: Beati Josaphat Archiepiscopi.

Em.mus et Rev.mus Dominus Cardinalis Pamphili retulit decretum SS.mi in Congregatione de Propaganda Fide aub die 7 Ianuarii 1643 editum, ut scilicet in decreto declarationis martyrii Beati Josaphat addatur etiam quod ad instantiam Congregationis de Propaganda Fide ad eandem declarationem... (cfr. supra, nr. 201).

Num. 7. Breve Urbani Papae VIII.

Urbanus PP. VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

In sede principis Apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis... (cfr. supra, nr. 202).

313.

....., XII . 1864.

Postulatio quorundam Nobilium polonorum in exilio degentium de Canonizatione B. Josaphat.

GUEPIN ALPH., *Un Apôtre de l'Union des Eglises...*, II, pag. 556-560, Paris 1898.

S. S. D. N. PIO PAPA IX

DE CANONIZATIONE B. JOSAPHAT NOBILIIUM POLONORUM

SUPPLEX LIBELLUS.

Illa sollicitudo paterna quam erga Polonos tum in prosperis tum in adversis rebus indesinenter per tot saecula exhibuit sancta Sedes Apostolica, mirum in modum, ex quo in throno Beati Petri resedit Beatitudo vestra, exarsit. Pastoris vigilantissimi partes tenens gregique tuendo contra ingruentem hostem incunctanter addicta, quum novissime ipsa gens nostra in ultimum redacta esset discrimen, non cessavit Beatitudo vestra quin veterum pro Ecclesia meritorum memor, solemni supplicatione indicta, corda nostra desperatione dejecta sursum erigeret; rursus, cunctis aliis obmutescentibus, vel aversos ab immanibus facinoribus quibus opprimebamur oculos tenentibus, sola vocem extolleret qua indifferentismo aut scepticismo, ut aiunt, laborantibus hominibus aeternae justitiae principia in mentem revocaret persecutoresque ad summum Dei tribunal appellaret. Igitur quum dextram admoveret his qui nunc dejecti quondam potentia valuerunt, tunc novis Poloniae populos vinculis Sedi Apostolicae sane adstrinxit Beatitudo vestra, in diesque poenitentiae quam nobis hisce temporibus inscrutabili iudicio Deus indixit animum roburque subministravit.

Tot ergo et tanta beneficia recolentes, ad pedes Beatitudinis vestrae memoris animi vota deponentes, ad novam impetrandam gratiam filiali confidentia supplices nunc devenimus: nempe ut Beatum Josaphat, archiepiscopum Polocensem Ritus Graeci, ob assertionem Primatus Divi Petri a schismaticis occisum, in sanctorum catalogum referre dignetur.

Ad talia oranda nos imprimis movit extrema Ecclesiae utriusque ritus in Polonia necessitas, qua quidem ita urgetur ut nulla nisi coelesti interventione ipsi occurrere possit. Quo fit ut Beatus Josaphat inter Sanctos per totum orbem Christianum acclamatus, illam interventionem pro nobis certo impetraret.

Illa etenim per laborem sanguinemque Beati Episcopi obfirmata pene tota corruiit Unio, quae quidem ubi aliquantulum adhuc habet locum, modo vi aperta, modo infestiori dolo impetitur. Quum enim ad pristinos usus et ad antiquam et fidiorem Patrum traditionem remeandam nos revocare prae se ferunt, Graeci Ritus clerum fidelesque ad Latinorum contemptum excitant, legitimisque Pastoribus ut debita de negetur obedientia. Sed ubi solemnis sanctorum ubique Beato Josaphat adhibitus fuerit honor, tum his gloriosum et dulce videbitur pro Sanctissima Ecclesia persecutionem ipsamque mortem pati, illis vero non posse Ruthenae Ecclesiae ritus ingenua sinceritate servari, quin simul a Sancta Sede Apostolica minimo tramite discedatur.

Sancti Basilii monasticus Ordo qui Beatum Martyrem primum inter reformatos suos habuit, pene totus, ingruente schismaticorum furore, extinctus jacet. Qui tamen ubi inter sanctos Ecclesiastica aucto-

ritate evectus fuerit ipsius Martyr clarissimus, ad priora redibit, et ex ipsius restauratione, Vestra Beatitudine sic favente, profecto fiet ut iterum ex ipso exoriantur tum austeri poenitentes, tum indefessi praedicatores, dogmatum invicti defensores, docti scriptores, sancti praesules, et quod majus est, praeclara martyrum seges.

Nec ideo minus ad nos Ritus cultores illa Beati Josaphat attinet gloria quam ad Graecae Liturgiae astrictos fratres. Etenim ex Unionis conservatione ipsa pendet conservatio ecclesiarumque nostrarum securitas. Illa vero ablata, statim in pejus persequutorum in nos redundabit furor, in his praecipue regionibus ad orientales meridionalesque Poloniae plagas vergentibus, in quibus Graecorum praevalet ritus; nobisque ipsis ad praelium majores infundendae sunt vires quas Beatus Josaphat, ubi Christianus Orbis, jubente Vestra Beatitudine, illum colet, certo impetrabit.

Has demum humillimas ad Vestrae Beatitudinis pedes deponimus supplicationes ex persona tot millium cujuscumque aetatis, sexus atque conditionis, qui nunc etiam in ergastulis Moscoviae et Poloniae ingemiscunt vel in frigidis Siberiae regionibus miserrime exulant; qui sane, modo inter pseudo-orthodoxae Ecclesiae sectatores se annumerari, vel solum reputari concederent, statim praedia paternasque domos reciperent, quosque Polonos esse liceret si Catholicos esse ad posterum taederet. Tales majori animo efficiet, constantesque praemio donabit Beati Josaphat apostolica Canonizatio.

Quod vero nunc expostulamus, sic agimus paternis vestigiis inhaerentes, semper enim reges et ordines Reipublicae Polonae una cum plebe pio laetoque corde Beatum archiepiscopum et martyrem colere studuerunt.

Igitur postquam anno MDCXXIII martyrium a schismaticis Beatus Josaphat subiit, tot subsecuta sunt miracula, tanta cunctorum animis pia exarsit devotio, ut nostrorum regnum felicitis recordationis Sigismundi III et Vladislai IV, necnon Rutheniae metropolitae et Episcoporum, multorum etiam Regni Senatorum precibus annuens gloriosus Beatitudinis vestrae antecessor Urbanus VIII, vigesimo tantum post martyris necem anno, illum Beatum declaraverit, jusseritque ipsius quotannis pridie Idus Novembris per Rutheniae dioeceses festum celebrari. Quo factum est ut Poloniae cunctae Unionique patronus renuntiatus, per longas afflictationes saeculo XVII jam labente, nostrae patriae incumbentes, ab omnibus pie et fidenter fuerit invocatus.

His siquidem temporibus, in extremo periculo Polonia redacta, alieno milite Lutheri vel Photii sectatore occupata, nihil aliud praeter divinam opem ad tam multis hostibus simul accurrendum visum est.

Quam opinionem res ipsa probavit; ubi primo cum Suecis, Borussis, Transylvanis, deinde cum Moscovitis, dimicandum necesse fuit. Quum quidem anno MDCLX, hos inter et Polonos inita fuisset pugna, Polonorum duces Czarniecki et Sapieha suis Beati Josaphat nomen pro signo ad recolligendam aciem dederunt; vixque tandem devicto, e patriisque finibus profligato hoste, non dubitaverunt quin Beato victoriam totam attribuerent. Itaque re fideliter perspecta, rex Johannes-Casimirus una cum Senatu, Metropolita et Episcopis, summo Pontifici Alexandro VII enixas direxit preces, quatenus tandem inter Sanctos renunciaretur Beatus Josaphat « in dominiis nostris, uti ferebat, plurimis miraculis clarus ». Tunc temporis nihil hujus modi statuisse Apostolicam Sedem sane tribuendum est providae existimationi quod in aevo futuro tale et tantum Regno Poloniae Unionique opportuniore modo certiorique discrimine auxilium adhiberetur.

Neque ideo populorum vota omnino irrita cesserunt; nam Sanctae Sedis auctoritate festum a pridie Idus novembris ad iv Kalendas octobris translatum fuit, quo melius peregrinorum in dies auctiori numero Beati tumulum invisentium contra saevam hyemem consuleretur.

Praeclarum insuper venerationis gratitudinisque suae ipsa Respublica praebeuit documentum, quando in Comitiiis anni MDCLXXIII amplissimis praediis tumulum Beati Josaphat donavit, quem « multis miraculis clarum uterque populus (Polonus scilicet atque Lithuanus) sibi peculiares gratias impetrantem utique senserit ». Anno MDCLXXVII idem Decretum aliis comitiis confirmatum, necnon Beatus Josaphat tamquam Regni Poloniae Unionisque Patronus acclamatus. Postremo quum e primoribus Regni quidam Monachorum Sancti Basilii asceterium in ipso loco fundasset in quo, martyrium Beatus passus fuerat, pium consilium Rex et ordines in comitiis publico instrumento laudaverunt confirmaveruntque, tam praeclari martyris merita celebrare summopere studentes.

Omnes satis norunt quam a multis hostibus, quot saevis bellis infelix assidue impetita fuerit Polonia. Inter quae inceptis temperare consiliis ad exaltationem Beati Josaphat pertinentibus necesse fuit. Quin et ipsius corpus pluries ab hostibus exquisitum; nempe a Tsare Petro qui illum flammis abolere cupiebat, nec non recentioribus temporibus aliis Moscovitarum ducibus, ne ultra tam sancto pignore Polonia gauderet. Unde sacrae reliquiae non semel latere debuerunt, sed tandem post varias fortunas monachi Sancti Basilii qui fidei studio illas etiam in castris asservaverant, dominio Principis Radziwill, scilicet in urbe Biala recondere statuerunt; ubi postquam aliquandiu latuerint, aliquo pacis radio interlucente, publicae venerationi expositae sunt, tanto qui-

dem populorum concursu, tanta miraculorum frequentia ut sat ejus nomine videre sit plures institui sodalitates, atque inprimis piarum foeminarum Congregationem pro puellis educandis fundari, insuperque a Summis Pontificibus Clemente XII et Pio VI indulgentias tum praedictis sodalitatibus, tum ipsi Ecclesiae in qua Beati reliquiae sacratissimae asservantur concessas in ipsius festo die lucrandas.

Quae pia instituta horrenda tempestate, qua ipsa obruta est Polonia, passim eversa sunt, indeque illa indifferentia paullatim erga illos praecipue qui Ritum Unitum sectantur grassari coepit. Poloniae Ecclesia sub schismaticorum dominatu magna ex parte translata, in una tantum dioecesi, in illa nempe quae Beati corpus asservat, perseveravit Unio, quasi ab ipso martyre qui pro illa vitam sanguinemque fudit, defuncto custodiretur, ejusque sacrae exuviae Unionis exstarent fidei efficacieque pacto symbolum.

Nunc vero, ubi primum in Orientis partibus jam renovari visa est Unio, statim apud Polonos reviviscere erga Beatum Josaphat vetus amor, piaque veneratio coepit; piae peregrinationes numero fervoreque pietatis ad urbem Bialam iterari; scripta plurima per populum diffundi, avidaque mente perlegi, quibus tum Unio, tum Beati Martyris celebrabatur honos. Itemque ut antea, sub ipsius nomine renovari sodalitates quibus Beatitudo vestra dignanter duobus hisce elapsis annis, gratias spirituales concedere acquievit.

Cuncta ergo undique, nisi fallimus, coalescere et conjurare videntur ut jam nunc canonizationis plenarium honorem consequatur optimus noster atque dilectissimus patronus, Beatus Josaphat, Polocensis archiepiscopus, martyr inclytus. Ejus quippe in Polonia tanta alacritate, tanto omnium concursu acceptus cultus, praecipue ex decreto Urbani VIII vires incrementumque coepit; ipsique Unionis conservatio difficillimis temporibus adtribuenda. Ideoque quando et Vestra Beatitudo Sanctum Josaphat proclamaverit, itemque Unioni Patronum renuntiaverit, ad adultam virilemque aetatem nunc parvulam vixque redivivam promovebit, novumque ipsi triumphum, incrementique aetatem digito signabit.

In tam gravi nostra necessitate adversus hunc nisum Ecclesiae hostium summis viribus se accingentium nullum quacumque terrarum inveniri potest subsidium, nisi quidem in coelo potentem Patronum nobis certissimum dederit, illoque fidei Unionisque vinculo populos diversos in Polonia degentes adstrinxerit, solatioque animarum quam efficacissimis artibus consuluerit Vestra Beatitudo.

Ad cujus pedes humiliter amanterque provoluti atque Apostolicam Benedictionem implorantes, nos profiteamur,



IMAGO S. JOSAPHAT CRYPTOFERRATENSIS AN. 1867

Vestrae Beatitudinis

Filios devotissimos et obsequentissimos.

Mense decembri anni millesimi octingentesimi sexagesimi quarti.

(Sign.) Leo princeps Sapieha, Ladislaus princeps Czartoryski, Desiderius Chlapowski general., Ladislaus Comes Zamoyski gen., Deodatus Zaleski, Breanski gen., Barzykowski, Ludovicus comes Bystrzonowski gen., Leontius comes Rzewuski, Th. Morawski, Plichta Andreas, etc, etc.

314.

Posnania, 25 . II . 1865.

Leo, Archiep. Posnanien, supplicat Pontifici Pio IX pro canonizatione B. Josaphat.

ARCH. S. C. RITUUM CENTRALE, *Postulatoriae*, v. K. 1 (charta).

Beatissime Pater!

Eximiae virtutes, clarissimum martyrium, miracula frequentissima Beati Josaphat Kuncewicz, Archiepiscopi Polocensis, tantum inter omnes Poloniae Rutheniaeque catholicos excitaverunt ardorem fidei ac pietatis zelum, ut Sacra Rituum Congregatio de voluntate felic. record. Urbani PP. VIII processum canonicum de beatificatione inclyti martyris fieri indiceret, quum inclyta christiani orbis lumina Sigismundus III et Vladislaus IV, Poloniae ac Suaciae reges Rutheniaeque duces, ad Petri Sedem preces ardentissimas deposuissent, quas Summi Praelati e clero latino ac rutheno Poloniae et Lithuaniae humili postulatione inflammaverunt. Peractum Poloniae anno salutis 1634 sacrum processum S. R. Congregatio anno 1641 validum agnovit Summoque olim Pontifici Urbano VIII praesentavit, martyrium anno 1642 firmissimis rationibus commonstravit, Inclytumque Episcopum pro fide vita functum canonisandum censuit. Quibus Supremus Ecclesiae Pastor persuasus, Spiritus Sancti gratia instructus strenuum militiae christianae propugnatorem anno 1643, die 16 Maji, Beatum proclamavit.

Nunc autem accepimus a nuntiis non dubiis causam Beati Josaphati in Urbe coram Sacra Rituum Congregatione denuo revolvi, ut ad promovendam Divinam gloriam inter Sanctae Ecclesiae Catholicae cives canonisationis decretum promulgetur. Qua spe elati omnes in septentrionali regione Polonorum nationis catholici gratissimo erga Sedem Apostolicam et Te, Beatissime Pater, animo laetem hanc diem expectant sperantes fore, ut refloret catholica religio in ovili trucidati pastoris, quae temporum iniquitate misere nunc humi prostrata jacet, ob deplorandam crudelitatem hostium veritatis ac justitiae.

Quo circa Te, Pater Beatissime, instanter obtestor, ut tanti viri vitam ac martyrium ponderanda Sacrae Rituum Congregationi agnoscendaque committas, ut Apostolico iudicio coelestes honores Sancti Canonisati Beato Josaphat decernantur inserique coetui Sanctorum novum fidei ac morum exemplum proponatur.

Interim profundissimo obsequio et devotissima obedientia Apostolicam benedictionem, ut mihi impertiaris, efflagito ad Pedes Sanctitatis Tuae, Beatissime Pater, provolutus.

Posnaniae, die 25 Februarii 1865.

Obedientissimus, humillimus filius ac servus

Leo, Archiepiscopus Gnesnensis et Posnaniensis (mp).

Retro : Postulatoria per Giosafat. Riti.

315.

Romae, 2 . V . 1865.

Decretum « de tuto » in causa Canonizationis B. Josaphat.

ARCHIVUM S.C. RITUUM CENTRALE, *Acta Sanctorum*, an. 1865, p. 33 A.

BARTOLINI D., op. cit., I, pag. 35-38.

CONTIERI N., *Vita di S. Giosafat*, Romae 1867, pag. 403-5.

Cum autem schismatis sectatores ephemeridum articulis, editisque libellis venerandae Beati Josaphat memoriae, mirandisque ejus gestis infamiam inurere, atque Apostolicam Sedem probbris contumeliisque prosequi satagerent ut eadem Sedes Apostolica haesitans a sententia desisteret, mihi maxime curae fuit ut ex Processuum tabulis selectiores atque in vulgus edendi depromerentur paragraphi, quibus Beati Viri virtutes splendidius elucebant. Sanctissimus autem Dominus schismaticorum studia intercipiens diem statuit ad Decreti promulgationem satis accomodatum, II scilicet diem mensis Maii in qua Sancti Athanasii Orthodoxae fidei strenui propugnatoris sollemnis recolitur commemoratio.

Ideo Ecclesiam Doctori huic sanctissimo dicatam Summus Pontifex adiit, et postquam sacro ruthenicis ceremoniis celebrato adstitisset, et in solio consedisset Decretum hujusmodi mihi legendum commisit:

DECRETUM

POLOCEN. ET RUTHEN. CANONIZATIONIS BEATI JOSAPHAT KUNCEWICII

ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS ET RUTHENENSIS MARTYRIS

EX ORDINE SANCTI BISILII MAGNI

Super Dubio — *An tuto procedi possit ad solemnem ejusdem Beati Martyris Canonizationem?*

Qua Christus Jesus dum in terris ageret tunica desuper contexta per totum amiciebatur, ea, quam sibi desponsavit Ecclesiam in Unitatis symbolum mystice convestivit. Hanc vestem, quam ne milites quidem qui Christum in Cruce confixere scindere ausi fuerant, superbissimi Unitatis hostes foedo prosciderunt schismate. Hujusmodi pestis in orien-

talibus exorta regionibus, occidentales quoque plagas pervadens populos nonnullos qui evangelicam fidem ab Apostolicis Viris Cyrillo et Methodio susceperant miserrime infecit: et quemadmodum Unitatis adsertores in Orientali Ecclesia coedibus ipsa mulctaverat ita Slavicam gentem effuso iterum Martyrum sanguine purpuravit. Hos inter praeclarissimus ille eminet Athleta Josaphat Kuncewicius qui juvenia morum candore conspicua inter Monachos Alumnos S. Basilii transacta, ad Metropolitanam Polocensem Sedem evector tanquam sol refulsit in Domino Dei. Siquidem non modo virtutum fulgore gregi sibi commissio forma factus est ex animo, verum oves quae ob schisma perierant ad Catholicae Ecclesiae ovile adducendas strenue adlaboravit. At iniquissimi schismatis sectatores tantam execrantes virtutem agmine facto Archiepiscopales aedes tumultuantes aggrediuntur: famulis vel vulneratis vel interfectis sacrilegas in Archiepiscopum iniecerunt manus eumque verberibus contusum, immaniter raptatum, atque securi in capite percussum inter injurias contumeliasque in flumen ejecerunt pridie Idus Novembris anni MDCXXIII. Statim post Servi Dei obitum ita undique Sanctitatis ejus fama diffusa est ut quamvis Urbanus VIII sa. me. eo ferme tempore legem edixerit *de non procedendo in causis Servorum Dei ad effectum Canonizationis seu Beatificationis, aut Declarationis Martyrii nisi lapsis quinquaginta annis ab illorum obitu*, tamen ipse Summus Pontifex, lege hujusmodi specialiter derogata, sexto kalendas Februarii anni MDCXXIX decreverit « *aperiri posse processus Auctoritate Apostolica fabricatos, et ad ulteriora in qualibet Congregatione procedi* ». Deinde quum juxta vetustiore disciplinam Sacrae Romanae Rotae Auditores accuratissimam Urbano VIII de ejus Martyrio, et causa Martyrii exposuissent narrationem, Summus ille Pontifex eam Decreto suo confirmavit Idibus Septembris anni MDCXLII.

Postea aliud prodiit Decretum decimo kalendas decembris anni ejusdem quo Sacra Rituum Congregatio declaravit *Constare de quatuor Miraculis* a Deo intercedente Venerabili Josaphato patratis.

Denique actorum examine rite absoluto Sacra eadem Congregatio undecimo kalendas Januarii anni MDCXLIII sancivit « *posse dictum Servum Dei Josaphat Beatorum Martyrum Catalogo adscribi, et ad solemnem ipsius Canonizationem quandocumque deveniri: interim vero donec ad ipsam Canonizationem deveniatur visum fuit facultatem concedi posse... ut in die Natalis Beati Martyris Officium et Missa de Communi unius Martyris Pontificis recitari et celebrari valeat* ». Quam Sacrae Congregationis sententiam Urbanus VIII datis Litteris in forma Brevis decimoseptimo kalendas Junii anni ejusdem solemniter confirmavit: simulque jussit ut dies ad celebrandum hujus Beati Martyris

festum a Cardinali Sacrae Congregationi de Propaganda Fide Praefecto constitueretur, quoniam eadem Sacra Congregatio in Causae hujus pertractatione alacrem suam interposuit operam.

Verum ejusmodi iudicium mira successus prosperitate huc usque adductum substitit quia investigabili Dei consilio nostris hisce temporibus absolvendum reservabatur: cum enim infensissima seditiosorum hominum turba universo pene orbe exagitato ad Apostolicam praesertim Petri Sedem labefactandam omnem vim exerat suam, occurrit e coelo Beatus Josaphat qui ejusdem Sedis Primatum sanguine effuso strenue adseruit, suoque interventu tenebricosa conspirantium consilia confundet.

Quare Sanctissimus Dominus Noster PIUS PAPA IX cum audiisset *sententiam pro veritate* R. P. Sanctae Fidei Promotoris qua statuebatur Causam hanc in eodem prorsus statu esse ac illa erat Martyrum Japonensium jam inter Coelites adscriptorum, Consilium habuit Reverendissimorum Cardinalium Sacrorum Rituum Congregationis in Palatio Apostolico Vaticano sexto Idus Januarii vertentis Anni, in quo per Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae eidemque Sacrae Congregationi Praefectum, Causaeque Relatorem proposito Dubio « *An tuto procedi possit ad solemnem Beati Josaphat Martyris Canonizationem?* » omnes Patres Cardinales affirmativum protulere responsum. Attamen Beatissimus Pater noluit illico suam pandere mentem ut precibus ingeminatis lumen a Domino impetraret et auxilium.

Tandem ad id perficiendum hanc selegit diem qua solemnis recolitur memoria Magni illius Athanasii qui Ecclesiae Orientalis praesertim lumen extitit praeclarissimum, fideique orthodoxae egregius adsertor. Quare cum prius Sanctissimus Dominus Noster salutarem Hostiam in suo privato Vaticano Sacello piissime immolasset, ad hoc se contulit Graeci Ritus Templum, ibique sacro graecanicis caeremoniis oblato adstans inclito ejus Titulari Orientalis Ecclesiae necessitates ex animo commendavit. Dein ad se accersivit Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum Causaeque Relatorem, una cum R. P. Minetti Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisdemque adstantibus rite pronuntiavit: « *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Josaphati Kuncewicii Archiepiscopi Polocensis et Ruthenensis Martyris Canonizationem* ».

Hujusmodi Decretum in vulgus edi, in Sacrorum Rituum Congregationis Acta referri, Literasque Apostolicas sub plumbo de solemni Canonizationis Ritu in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque

celebrando expediri mandavit sexto Nonas Majas anni MDCCCLXV.
C. Ep. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S.R.C. Praef.
D. BARTOLINI S.R.C. Secretarius

Loco ✠ Signi

316.

Leopoli, 24 . VIII . 1865.

Epistola postulatoria Episcoporum Galitiae.

BARTOLINI D., *op. cit.*, I, pag. 39-40.

Perjucunda quidem extitit editi Decreti hujus notitia, et Galitiae Antistites qui Russiacae persecutionis saevitiis haud premebantur suavissimam hanc ad Summum Pontificem miserunt epistolam gratias ei referentes de decretis Beato Josaphato Sanctorum honoribus, eumque postulantes ut quamprimum id Canonizationis solemnii perficeret.

BEATISSIME PATER

Infrascripti Episcopi Provinciae Leopoliensis ritus latini, rutheni et armeni in Galicia Austriaca ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti cum ingenti animi sui gaudio rescierunt Causam Canonizationis Beati Josaphati Archiepiscopi Polocensis et Martyris, ultra duorum saeculorum spatio interruptam, de mandato Sanctitatis Vestrae reassumptam atque feliciter prope terminum promotam extitisse Decreto diei 2 Maii a. c. in Ecclesia S. Athanasii publicato, quo Sanctitatis Vestrae venerandissimo ac infallibili oraculo pronuntiatum habetur ad solemnem Canonizationem ejusdem Beati tuto procedi posse.

Integra Polonorum Ruthenorum ac Armenorum gens, qui omnes Beatum Josaphat patronum ac protectorem suum venerantur, exultat laetabunda coelitem honores concivi suo tribui videns, qui sanguine suo unionem cum Sancta Ecclesia Romano-catholica tanto zelo a se praedicatam obfirmavit.

Verum ea est tristissima temporum nostrorum conditio ut longe major celebris quondam Poloniae Regni pars et praesertim ea quae Beati Josaphat sudore et sanguine tam abunde aspersa fuit, nunc recte pareat jugo illorum qui acerrimi unitatis catholicae hostes majorum suorum, a quibus Beatus Josaphat martyrio affectus fuit, impia vestigia prementes nunc quoque proh dolor! religionem catholicam gravissimis affligunt malis et acerbissimis insectantur persecutionibus. Dum itaque hi infelices Confratres nostri prohibentur quominus gaudium et gratitudinem suam de exaltatione Patroni sui Sanctitati Vestrae pandant nos saltem ad thronum Sanctitatis Vestrae accurrimus et cum

filiali affectu ex intimo corde humiles agimus gratias tam nostro quam dioecesanorum nostrorum nomine pro tam insigni gratia et vere paternam, quam alioquin jam toties experti sumus, benevolentia.

Simul vero enixas exponimus preces, digneris, Beatissime Pater, glorioso huic operi coronam imponere et solemnem Canonizationem in celeberrima Vaticana Basilica de more instituendam demandare. Spe erigimur fore ut sanctus Patronus noster venerationi totius catholici orbis expositus, multiplicatis fidelium orationibus tanto potentiores apud Majestatem divinam intercessorem sese exhibeat gentique nostrae Ruthenorum, inquam, Polonorum et Armenorum gratiam constantiae in fide tot inter aerumnas et perseverantiam in avita erga S. Matrem Ecclesiam addictione tanto facilius impetret.

Irremissis denique precibus Patrem misericordiarum exoramus, ut Sanctitati Vestrae pro nobis nostraque gente remunerator existat, et pro sua suaeque Ecclesiae gloria longissimos in annos saluum incolumemque servet, vires necessarias ad bellanda hisce iniquis temporibus praelia Domini largiatur et augeat atque causae suae triumphum quantocyus intueri permittat.

Humiliter exosculantes sacratos pedes Benedictionem Apostolicam pro nobis nostrarumque dioecesium fidelibus enixe imploramus.

Sanctitatis Vestrae obedientissimi filii.

Leopoli die 24 Augusti 1865.

Franciscus Xaverius Wierzhleyski, Archiep. Leopoliensis. lat. rit.

Spiridion Litwinowicz, Archiep. Metropol. Leopoliensis. ruthen. rit.

Gregorius Michael Szymonowicz, Archiep. Leopoliensis. rit. armeni.

Josephus Aloisius Pukalski, Episc. Tarnov. rit. lat.

Thomas Polanski, Episc. R.G.C. Premisliensis.

Antonius Josephus Manastyrski, Episc. Premisliensis. rit. lat.

317.

Romae, 11 . V . 1866.

Indicatur Consistorium secretum in causa B. Josaphat.

D. BARTOLINI, *op. cit.*, I, pag. 60-61.

E.me et R.me Domine

In proximo secreto consistorio per cursores de more indicendo, post allocutionem SS.mi Domini Nostri PII PAPAE IX, E.me et R.me Dominus Cardinalis Patrizi Congregationis Sacrorum Rituum Praefectus dilucida et compendiosa narratione primum referet Martyrium, cau-

sam martyrii, ac signa Beati Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus orientalis ex Ordine S. Basilii Magni, ac deinde B. Petri de Arbues, alias Magistri Epilae, Canonici Regularis Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae, ac primi Inquisitoris Regni Aragoniae, nec non acta universa in causa beatificationis, et canonizationis eorundem Beatorum, qui pro Christo passi sunt.

Qualibet relatione expleta SS.mus Dominus Noster E.morum, et R.morum Cardinalium suffragia exquiret « An scilicet deveniendum sit ad solemnem praefatorum Beatorum Canonizationem » et singuli Cardinales, ordine servato, per verbum PLACET vel NON PLACET sententias aperient, uti ad Dei gloriam, et catholicae Ecclesiae praesidium, ac decus magis eis expedire videbitur.

De Mandato SS.mi D. N. Papae

Aliosius Ferrari, Proton. Apost. Caerem. Praefectus.

318.

Romae, 11 . V . 1866.

Relatio Praefecti S. C. Rituum de causa B. Josaphat.

D. BARTOLINI, *op. cit.*, I, pag. 63-66.

Mox Reverendissimus Cardinalis Constantinus Patrizi Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, salutato Pontifice, haec breviter retulit de gestis, martyrio, et miraculis Beati Josaphat Archiepiscopi Polocensis:

BEATISSIME PATER

Incomprehensibili Dei judicio statutum est ut nostris hisce temporibus, quibus nefarii homines Petri Cathedram evertere contendunt, strenuus inter Coelites defensor in aciem prodeat, qui quondam ejus primatum effuso sanguine vindicavit. Heros tam inclitus est Josaphat Kuncewicius ex piis nobilibusque parentibus in Civitate Wladimirae vertente anno millesimo quingentesimo octuagesimo quarto ortus. Cum salutari baptismatis ablueretur unda ei Joannis nomen impositum est. Sub pervigili parentum cura, quibus cordi erat ut filiolum ad virtutem et sanctimoniam educarent, summa animi innocentia pueritiam ac adolescentiam transegit. Viginti annos natus inter Basilianos Monachos adlectus et Josaphat assumpto nomine solemnia vota nuncupavit et sacerdotio auctus est. Modestia, humilitate, temperantia, divinatorum exercitio, charitate in Deum et proximum ita enituit ut omnibus admirationi esset. Interim ob Unitorum Sacerdotum penuriam tum in sacris habendis concionibus, tum in confessionibus excipiendis, tum in divinis peragendis officiis adeo impigre se gessit, ut prope omnium ecclesiasticorum munerum curam ad se recepisse videretur.

Virtutis atque doctrinae fama praeclarus anno millesimo sexcentesimo decimo nono Archiepiscopus Polocensis Graeci Ritus renunciatus est. Tunc sicut Sol in axe circumquaque lucem diffundit, sic Josaphat effulsit in domo Dei. Nam in sacramentorum administratione, in peccatorum ad honestae vitae rationem conversione, in schismaticis ad catholicam fidem revocandis, in moribus corrigendis, vitiis profligandis, virtutis amore excitando, sacrae exomologesis frequentia confovenda adeo enituit ut veluti homo missus a Deo omnium labiis praedicaretur. Quod vero attinet ad ejus vitae rationem, ipse somnio minime indulgens primus omnium solis ortum praeoccupabat ut matutinae psalmodiae persolvendae interesset. Dum pro fidei catholicae propagatione et pro unione schismaticorum cum Ecclesia Romana preces fervidius funderet, ita se flagris caedebat ut terram fluenti cruore conspergeret. Ad mortem usque cilicio corpus afflixit; nullo unquam tempore carnes comedit, perraro pisces, leguminum parvitate contentus; modico vino usus est ne viribus prorsus destitueretur. Nocturna quiete corpus laboribus attritum nuda excipiebat terra; nudoque incedebat pede frigore licet saeviente. Deiparam Virginem tenerrimo prosequens affectu, pudorem et pudicitiam severissime coluit. Dum sibimet gravem admodum indixisset contradictionem, cunctis tamen benignum se praebeuit atque mitissimum: pauperibus enim praesto semper fuit; aegrotis continuo adstitit hortator et solator egregius, medendae eorum valetudini leniendisque morbis omnem divinam humanamque impendit operam. Insuper decorem domus Dei diligens non mediocre auri summam erogavit in Ecclesiae Cathedralis Polocensis restauratione. Ecclesiae jurium et bonorum alacris tutor et vindex extitit. Ecclesiae unitatis et Primatus Romani Pontificis qua voce, qua scriptis propugnator acerrimus, pro unione Ecclesiae Graecae cum Latina ad exitum usque adlaboravit, quod sane immortalem ei gloriam comparavit. At nequissimi schismatis sectatores tantam in hoc homine virtutem ferre non sustinentes, inita conspiratione, eum designarant ad necem. Verum cum semel iterumque tenebrosa isthaec in irritum cessissent consilia, tandem die decima secunda Novembris anni millesimi sexcentissimi vigesimi tertii conspiratorum turba tumultum civitati praebens Archiepiscopales aedes famulis vel vulneratis vel interfectis pervadens, impias in beatum virum manus injecit, quem crudeli inhumanitate raptatum, verberibus contusum, tandem securi in capite percussum et dicentem *Oh Deus meus!* inter injurias contumeliasque in flumen propellit. At cum penes ripam sacrum corpus constitisset, illico advolavere scelesti naviculatores, cilicium quo adhuc obtegebatur ad collum fortius alligantes saxisque replentes, in loco ad viginti cubitos alto demersere. Verum Martyris pre-

ces suis interfectorebus conversionis et poenitentiae gratiam a Dei miseratione impetrarunt.

Statim post ejus obitum ob virtutum recordationem et miraculorum frequentiam auctoritate Apostolica instrui coepere Processus; quin etiam ab Urbano VIII Pontifice Maximo decretum prodiit derogatorium, quo permittebatur aperiri posse Processus, etiamsi quinquaginta anni ab interitu Martyris adhuc elapsi minime essent, et ad ulteriora procedi posse. Dein juxta eam quae tunc temporis obtinebat disciplinam Sacrae Romanae Rotae Auditores Summo Pontifici Urbano VIII accuratissimam exposuere narrationem de Josaphat Martyrio et causa Martyrii, quam idem Pontifex suo confirmavit Decreto. Postea altero edito Decreto Sacrorum Rituum Congregatio declaravit *constare de quatuor miraculis* a Dei virtute, intercessore Josaphato, patratis. Denique Actis omnibus ad hanc Causam pertinentibus severe perpensis, Sacra eadem Congregatio sancivit *posse Servum Dei Josaphat Beatorum cathalogo adscribi et ad solemnem ipsius Canonizationem quandocumque deveniri: interim vero donec ad ipsam Canonizationem deveniatur. visum fuit facultatem concedi posse... ut in die Natali ejusdem Martyris Officium et Missa de Communi unius Martyris Pontificis recitari et celebrari valeat.* Quam Sacrae Congregationis sententiam asseruit confirmavitque idem Summus Pontifex Urbanus VIII desuper datis litteris Apostolicis in forma Brevis decimo septimo Kalendas Junii anni millesimi sexcentissimi quadragiesimi tertii.

Verum ad Causam hanc splendidissimam Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi interrogarentur « *An tuto procedi possit ad solemnem ejusdem Beati Josaphat Canonizationem?* » Quod Tu, Beatissime Pater, qua polles sapientia ac judicii maturitate, praestitisti sexto Idus Januarii anni millesimi octingentesimi sexagesimi quinti: ac deinde sexto Nonas Majas anni ejusdem post fervidas ad Patrem luminum effusas preces, affirmativam omnium Patrum suffragatorum sententiam manifestans, Suprema Auctoritate Tua solemniter decrevisti: *Tuto procedi posse ad Beati hujus Canonizationem.* Hujus porro sententiae alteram confirmationem in hoc amplissimo Coetu juxta receptum morem humillime instanterque exposco.

Pii PP. IX, Acta, pars I, vol. IV, p. 37-40, Romae 1869.
D. BARTOLINI, op. cit., pag. 61-63.

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
 DIE XI MAI MDCCCLXVI.

VENERABILES FRATRES.

Cum ob luctuosissimam temporum acerbiteriam tot tantisque Ecclesia Christi undequaque calamitatibus urgeatur maximam patimur cordis tristitiam, nec adhuc satis factum est doloribus. Ubique nos luctus, undique desolatio circumdant: sanctissima enim Evangelii praecepta impugnantur, inviolabilia Sedis huius Apostolicae iura proculcantur, vanae ac peregrinae doctrinae in populum proferuntur, societas ipsa civilis dissolvi videtur. Infernae siquidem potestates durissimum adversus Dominum et adversus Christum eius bellum exercent, quo fidem catholicam, si fieri posset, labefactare contendunt. Quare oculos nostros in montem Dei excelsum ad beatam scilicet Hierusalem levamus, unde auxilium cito Nobis adfuturum confidimus, ibique novos Patronos quaerere statuimus, qui, humanis deficientibus auxiliis in aciem prodeant ad Domini bellum strenue pugnandum. Praeprimis occurrunt Beatus Josaphat Kunvewicius Archiepiscopus Polociensis Ruthenorum, et beatus Petrus de Arbues in Regno Hispanico inquisitor. Unus inter cetera egregia virtutum facinora pro asserendo Sedis huius Apostolicae Primatu certavit usque ad mortem, ac uti bonus pastor animam suam pro ovibus posuit, quae foedum ob schisma a Christi ovili discessarant... Quapropter in id animum Nostrum ac studia nostra convertimus ut ad exitum amborum Martyrum Canonizationis Causae perducantur. Tali modo splendidissima eorum merita super candelabrum posita collucebunt omnibus qui in domo sunt; fideles populi glorificabunt supremum bonorum omnium datorem atque habebunt in utroque ad oculos virtutum exemplar, quod imitentur, firmissimum in hisce calamitatibus praesidium quo tueantur.

Servatis igitur Praedecessorum Nostrorum more ac instituto in praesenti amplissimo Conventu de praeclaris eorundem Beatorum gestis ac portentis ad Nos referri et a Vobis audiri exoptamus. Ac primum de Beato Josaphat Kuncewicio, deinde de Beato Petro Arbuesio.

Hic Summus Pontifex loquendi finem facit, et Cardinalis Patrizi Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus de Beato Josaphat Kuncewicio relationem facit. Qua absoluta, Sanctitas Sua ita loquitur:

Excepistis, Venerabiles Fratres, quam miti et humili corde Beatus Josaphat erga gregem sibi commissum se gesserit, quanta pertulerit ut Catholicae Ecclesiae unitati consuleret, et quomodo illum Deus prodigiorum virtute mirabilem fecerit ad ostendendam hominibus pretiosam

Martyrii coronam, quam in capite eius super sidera posuerat. Haec iam serenissimo examine perpensa cunctis fuere comprobata suffragiis. Placet ne igitur vobis, ut ad sollemnem eius Canonisationem per decretoriam sententiam procedamus?

Postquam omnes responderunt Placet, Sanctitas Sua sic prosequata est.

Summa quidem laetitia, Venerabiles Fratres, nunc cordis Nostri amaritudines solatur, cum unanimes de hoc tam gravi negotio sententias excepimus. Verumtamen cum hac super re alia colligenda apud Nos Consistoria, dies ad id operis designatos vobis significare curabimus. Interim preces fundite, ut in admirabili Dei lumine mens Nostra lumen videat.

320.

Romae, anno 1866.

Breve compendium vitae et Causae Beati Josaphat.

ARCHIVUM S. C. RITUUM, fasc. S. *Josaphat*, Romae 1866.

Compendium historiae martyrii et miraculorum nec non actorum in causa Canonizationis Beati Josaphat Kuncevitii, Archiepiscopi Polocensis et Rhutensis Martyris ex Ordine Sancti Basilii Magni. Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, Romae Typis Reverendae Camerae Apostolicae, 1866.

Josaphat Kuncevitius ex Gabriele Kuncevitio Consule et Marina filia consulari nobilibus parentibus anno a partu Virginis 1580, in civitate Vladimiriæ vitae in auras prodiit; salutarique baptismatis unda in ecclesia Sanctae Martyris Parasceves ablutus est; eique Joannis nomen impositum. Christianis vere parentibus usus est, quibus adeo corde fuit puerum singulari studio ad virtutem et sanctimoniam educare, ut ipse praematurum ad pietatem ostenderet ingenium. Siquidem vel precibus in eodem Sanctae Parasceves templo assidue vacabat, ibique saepe a parentibus de diuturna eius absentia sollicitis conquisitus inveniebatur, vel Sanctorum imaginibus depingendis efformandisque operam dabat. Quare Joannes tanta pietatis laude praestans ceteris adolescentibus provectoris etiam aetatis veluti exemplar proponebatur. Juventutis florem morum puritate et conversationis gravitate condecoravit. Expertissimos habuit conscientiae moderatores e Societate Jesu, quorum incitamentis mundi atque Schismaticorum seductionum pertaesus celestia tantum quaerere statuit. Proinde viginti annos natus volens libensque Ordini

S. Basilii Magni in Monasterio Vilnensi nomen dedit, et Iosaphat assumpto nomine solemnia vota nuncupavit, et sacerdotio auctus est. In hac nova religiosae vitae palaestra caritate, modestia, temperantia, divinorum officiorum assiduitate, acerbissima corporis afflictione, sacrorum librorum lectione, proximorum salutis zelo mirifice inclaruit. Cum vero Josephus Rutscius Vilnensis monasterii Archimandrita ad metropolitanam totius Russiae sedem evectus esset, Josaphat ad Basilianam Vilnensem familiam regendam eligitur. Singularem vigilantiam ac prudentiam difficiles quidem muneris huius partes implevit ac interim ob unitorum sacerdotum penuriam praeter quotidianas regulae monasticae exercitationes, tum in divinis peragendis officiis, tum in confessionibus excipiendis, tum in sacris habendis concionibus adeo impigre se gessit, ut prope omnium ecclesiasticorum munerum curam suscepisse videretur.

Cum fidelis iste servus haec agens tam bene in domo Domini versaretur, anno 1617, die 12 Novembris Gedeoni Brolnickio, Archiepiscopo Polocensi, senio confecto coadiutor et post fata successor datus est, licet ipse invitatus fugam meditaretur ne ad archiepiscopalis dignitatis gradum, quo sese indignum penitus putabat, eveheretur. Verum vix ac de Josaphati electione nuntius allatus est, prae gaudio Polocenses gestire, eumque tamquam bonum pastorem divinitus sibi missum summo honore magnaue exceperunt reverentia. Nec spem fefellit eventus: nam ipse gregi forma factus, ex animo pravos verbo et exemplo emendavit mores, errantes ad bonam frugem reduxit, quorum corda suavi ac forti sermone penetrans, saepe lacrymas ab eorum oculis eliciebat; plures quoad Sacramentorum administrationem removit abusus ac exomologesis frequentiam induxit; nimio charitatis fervore tactus nil intentatum reliquit, ut Schismaticos omnes ad ovile Christi adduceret. Brevi post Josaphati in dioecesim ingressum senex Archiepiscopus Gedeon, annis et aegritudine gravis, vitam finivit. Quem ille, uti iam schisma redolentem, cum in fide sancta gravibus Sanctorum Patrum firmasset sensibus, confiteri etiam peccata sua pluries persuasit, Sanctoque Christi Corporis viatico refecit. Quod vero attinet ad eius vitae rationem, somno minime incumbens primus omnium ad matutinum officium persolvendum surgebat, ac reliquum noctis Deum gemitibus adprecando ducebat, saepe inclamans: Domine Deus meus, da unionem Ecclesiae Sanctae, et Schismaticorum conversionem, et tunc ita se flagris caedebat, ut terram fluenti cruore conspargeret. Ad mortem usque cilicio corpus afflixit, et dum Sacrum solemne pontificali ritu litabat, zona ad nudum ferreis obducta aculeis cingebatur. Nullo unquam tempore carnes comedit, perraro pisces, leguminum parvitate contentus; nec vino usus unquam esset, nisi stomachi debilitas aliquando modicum

exegisset, ne viribus destitueretur; nudo semper incessit pede, frigore licet saeviente, eumque noctura quiete parumper cubantem nuda excipiebat terra. Virginis Deiparae, cui se totum devoverat, nedum aras erigi et solemnia celebrari curabat, verum etiam semetipsum utpote eximiae castitatis cultorem mundissimum habitaculum perpetuo exhibuit. Aegrotis assidue adstitit, hortator ac solator egregius; medendae eorum valetudini leniendisque morbis, nullam divinam humanamque opem non adhibuit. Pauperum inopiae sublevandae tam anxius fuit, ut nihil fere ad sui alimoniam superesset; quod praesertim addicit cum extremae cuiusdam viduae necessitati occurrere satagens, ministro, qui ei ab eleemosynis erat, pretiosum pontificale Homophorium oppignorrare iussit. Ad novam excitandam cathedralem ecclesiam Polocensem multa aurerorum millia impendit; quod etiam praestitit in aedificando monalium S. Basilii caenobio. Quemadmodum vero haud certe retinens pecuniae fuit, quoties de honore Dei, deque religionis cultu ageretur, ita consanguineos suos qualibet rei fruitione abarcebat.

Ecclesiae iura ac bona fortiter asseruit eaque a laicis usurpata vindicavit. Viros ecclesiasticos recte de fide cathollica sentientes parocciis praefecit. Quondoque ei triginta circiter florenorum millia oblata sunt ut praesbyteros schismaticos ecclesiarum regimini praefici sineret, at bonus pastor oblatorem irridens simul et obiurgans ait, se animarum salute divitem fieri, ac donum Spiritus Sancti non esse pecunia comparandum.

Ecclesiae Unitatis et Primatus Romani Pontificis propugnator extitit acerrimus; et ad id operis conciones, scripta disceptationesque egregie adhibuit. Schismaticos alloquens Christi mansuetudinem praeferabat; tantamque in verbis habuit suavitatem, in argumentis gravitatem, in persuasionibus felicitatem, ut animarum raptor (duszochvat) slavice nuncupabatur. Nonnumquam, ut evenit in celebri Kioviensi Monasterio Peczarensi dicto, ex ipsis schismaticorum slavonicis codicibus annalibusque ruthenicis demonstrabat Ruthenos antea Romano Pontifici parere consuevisse. Hac arguendi ratione eorum fundebatur perfidia, qua in coelum os suum ponentes Summum Pontificem Christi Vicarium calumniis probrisque urgebant, atque inconsutilem Christi vestem dilacerabant. Quadam die cum schismaticis viris disserens excitabatur ab illis, ut Patriarcham Constantinopolitanum agnosceret, sicque facilius eos ad unitatem pertrahere poterat. Quibus respondit: recognoscat Patriarcha Papam et ego recognoscam Patriarcham. Iisdem autem mortem minitantibus ait: pro Christo mundo moriar. Tam graves diuturnique labores, Deo favente, in fidei catholicae bonum cessere; cum enim dioecesis Polocensis gubernacula suscepit Josaphatus parvus erat catho-

licorum numerus; post triennium moriens pauciores ibi dereliquit schismatis sectatores, multa siquidem hominum millia ad Ecclesiae unitatem reduxit.

Quapropter vaferrimus humani generis hostis, timens ne sibi animarum in errore versantium Josaphati consilio et virtute abriperetur imperium, nefarios exagitavit homines schismaticos, qui Dei famulum, inita conspiratione, designarent ad necem.

Quod impium facinus per tres vices moliri ausi sunt; nempe die 6 Augusti 1621, dum in festo Transfigurationis Domini Sacrum solemne Beatus Antistes operabatur; in mense Aprili anni 1622, dum publice in Praetorio legerentur litterae a Rege Poloniae ad Archiepiscopum missae, in quibus mandabat Princeps, ut Josaphato Unito et Sanctae Romanae Ecclesiae obedienti, minime vero Smotricio pseudo-archiepiscopo omnes in Polocensi dioecesi existentes ritus graeci Rutheni obsequerentur, et eandem catholicam profiterentur unionem; denique in sacra Pentecostes solemnitate eiusdem anni, dum piam cum Christifidelibus bonus Pastor supplicationem instituebat. Exeunte mense octobri anni 1623 Vitepscum petiit, cuius cives utpote magna parte schismati adhaerentes odio capitali eum prosequabantur. Instabant amici ne illuc iter capesseret, discrimen evitaret, vitam Ecclesiae utilitati servaret; quibus ille affirmabat se ad martyrium paratum, dummodo dignus a Deo haberetur, qui pro eius gloria sanguinem litaret. Octiduo antequam impiorum gladiis occumberet, pulpitem conscendens homiliam ad populum habiturus, in laudem S. Demetrii martyris, cuius dies festus colebatur, illud evangelicum effatum usurpavit: venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium praestare Deo; inde populum sibi infensum compellavit his verbis: Vos me, Vitepscenses, ad mortem quaeritis in fluminibus, in pontibus, in viis, in civitatibus insidias struitis: ecce me sponte ad vos venisse videtis, ut sciatis me vestrum pastorem; atque utinam pro vobis, pro unionem sancta, pro Sede Petri, Successorumque eius Romanorum Pontificum, animam effundam meam.

Tandem conspiratorum manus, cum die 12 Novembris anni 1623, tumultum ex industria commovissent, favente Meletio Smotricio Pseudo Archiepiscopo, aedes pontificales confractis foribus hostilliter invadunt, Dorotheum Archidiaconum et famulos acerbissime caedunt et sauciant, cunctam diripiunt supellectilem. Clamoribus excitatus Beatus Antistes, precibus quibus fervidissime vacabat intermissis, a cubiculo prodiit, et in atrio constitit, dein crucis signo sicariis impertito, blande affatur: Filioli, quare famulos meos insontes caeditis? Si aliquid contra me habetis, ecce adsum. Hac voce veluti perculsi steterunt impii; at duo, qui verba non audierant, ex adverso erumpentes cubiculo confodiendum

Latinum, Papistam inclamabant; et illico Archiepiscopi, manibus ad pectus crucem signantis, alter fuste caput percussit, alter bipenni horrendum dissecuit. Humi prostratum quotquot in atrio aderant gladiis confodiunt. Media inter vulnera elevat manum Josaphat dicens: O Deus meus! Tunc a latronibus vociferantibus eum adhuc vivere ballistae igneae globulo iterum in capite percussus animum efflavit. Hinc efferrati illi homines e Presulis corpore vestes detrahunt illudque cilicio tecum cinguloque ferreis aculeis intertexto praecinctum inveniunt; stupefacti haerent pontificem an simplicem trucidarint monachum, non fuisse eam Josaphati virtutem, mollibus assuetam, ut eiusdem uteretur armis, dictitantes. Duos igitur famulos vulneribus iam affectos e latibulis protrahunt, et quisnam esset ille occisus verberibus fateri adigunt.

Cum plane de Josaphati persona sibi persuasissent, alii super nudato eius corpore sedebant vinumque bibebant, aliis illud conspuere libuit, nonnulli barbam caesariemque vellicabant. Quin etiam, cilicio detracto, corpus ad pedes funibus circumligant, perque urbem iniurias inter ac contumelias, foedissime reptant, denique ex alto praecipitoque monte in flumen propellunt. Integrum ad ripam martyris corpus non sine prodigo constitit; quod cum vidissent homines scelestissimi, illuc advolare et corpus lintri imponentes ad mille passus adverso flumine avexerunt; inde cilicium ad collum fortius obligatum saxis replentes, pedibusque ingentem annectunt lapidem, in loco ad viginti cubitos alto demersere.

Aliquot post dies Vitepsensis resipuit multitudo; ubique luctus apparuit, undique insonuerunt clamores: occisum Patrem; demersum Pastorem; averteret coelum poenas; dimitteret tantam Josaphat crudelitatem. Magistratus copiosam promiserit piscatoribus mercedem, ut Praesulis corpus inquirerent. Quod cum ob summam loci profunditatem perficere nequirent, tandem, promicante e corpore demerso per aquas luce, illud inveniunt et ab aquis elevant. Jam eius integritatem ac pulchritudinem vivo persimilem adeo demirati sunt omnes, ut lacrimas funderent, et Joannes Chodeska cordis dolore tactus schisma illico ejuravit. Sacris denique vestibus indutum Josaphati corpus ac solemni pompa Polociam delatum, post aliquot menses incorruptum perseverans summo honore conditum est. Interea supremus Princeps haud sivit inultum scelus paricidasque capite damnavit. Sed beati Martyris cruor et hosce emollivit, et ferme omnes in procinctu mortis fidem catholicam amplexi sunt. Et quem admodum Stephani Protomartyris preces impetrarunt, ut Saulus minarum et caedis adversus Ecclesiam spirans in Vas electionis converteretur, ita, Josaphato adprecante, Meletius Smotricius, conspiracy auctor et acerrimus unionis oppugnator, facti poenitens, Petri Cathedrae

Romanoque Pontifici ardenti studio adhaesit, fidem catholicam strenue asseruit, diemque suum piissime obiit.

Statim post beati Antistitis obitum virtutum recordatione et miraculorum frequentia eiusdem cultus promoveri coepit; ac in dies auctus est. Qua de re Poloniae Reges, Sigismundus III et Wladislaus IV, illiusque Regni Antistites, Proceres, Clerus et populus universus una cum monachorum familia Ordinis S. Basilii efflagitarunt Summum Pontificem Urbanum VIII, qui eodem anno, quo Josaphatus interiit Petri Cathedram ascendit, ut eundem inter Sanctos Coelites adscriberet. Quamvis Summus hic Pontifex eo ferme tempore legem constituisset, quod non posset agi de Canonizatione cuiusquam nisi fuerint elapsi anni quinquaginta a die obitus, vel martyrium passi, tamen ob praeclarissima Josaphati merita qui univit Ecclesiam Graecam cum Latina, et pro Christi fide passus fuit, mandavit aperiri processus Auctoritate Apostolica fabricatos, et ad ulteriora in qualibet Congregatione procedi; voluit tamen ut hae causae non haberentur in exemplum. Deinde, veteri servata disciplina, iussit idem Pontifex, ut a tribus Sacrae Romanae Rotae Auditoribus Joanne Baptista Coccino, Philippo Pirovano et Clemente Merlino Processus huiusmodi examinarentur. Cum accuratissimam tres Rotae Auditores pertexuissent Relationem de eius Martyrio et causa martyrii, Urbanus VIII eam Decreto suo ratam habuit die 13 Septembris anni 1642.

Paucis elapsis mensibus iudicium de miraculis actum est penes Sacrorum Rituum Congregationem, prodiiitque decretum die 22 Novembris anni eiusdem, quo declaratur: Constare de miraculis et sufficienter probari. Primum in personam Petri Danchovii Consulis Polocensis illuminati. Secundum in personam Marinae foeminae pedum usui restituae. Tertium in persona Michaelis Viceducis Polocensis a podagra liberati. Quartum in persona Gennadii Monachi Ordinis S. Basilii et Prioris Monasterii Novogrodensis a paralytico morbo liberati. Quibus de causis visum fuit eidem Sacrorum Rituum Congregationi posse dictum Servum Dei Josaphat Martyrum catalogo adscribi, et ad solemnem ipsius canonizationem quandocumque deveniri. Visum quoque fuit interim, donec ad ipsam canonizationem deveniatur, facultatem concedi posse, ut ab omnibus Monachis Ordinis S. Basilii, ubique terrarum existentibus nec non in omnibus ecclesiis diocesis et Poloniae ac totius Metropolis Russiae a quibuscumque sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus die natalis ipsius B. Martyris Pontificis, 12 videlicet Novembris, Officium et Missa de Communi unius Martyris Pontificis, recitari respective ac celebrari valeat iuxta Ritum Breviarii et Missalis Romani nec non Graeci seu Rutheni ab Apostolica Sede approbati ».

Hanc porro S. Congregationis sententiam Summus Pontifex Urbanus VIII probavit die 22 Decembris anni 1642. Et quoniam Sacra Congregatio de Propaganda Fide in causae huius pertractatione alacrem suam interposuerat operam, ideo voluit idem Summus Pontifex, ut dies ad celebrandum Beati Josaphat festus a Cardinali eidem Sacrae Congregationi Praefecto seligeretur.

Demum Pontifex Maximus Urbanus VIII per literas Apostolicas, in forma Brevis expeditas die 16 Maii 1643, haec omnia solemniter confirmavit atque eximium hunc catholicae religionis vindicem Beatorum catalogo accensuit.

Idcirco nil aliud deerat, ut eiusmodi iudicium ad exitum perduceretur, quam decretoria Summi Pontificis Canonizationis sententia. At Josaphati gloria revelanda omniumque erat sermone celebranda hisce temporibus, quibus perditii homines ex universo terrarum orbe in unum convenientes saevissime dimicant adversus Catholicam Ecclesiam Sanctamque Petri Cathedram, ut a civili societate extrudantur.

Quare Sanctissimus Dominus Pius Papa IX, Episcoporum Galitiae et Monachorum Ordinis S. Basilii precibus annuens, cum exquisisset sententiam pro veritate a R.P.D. Sanctae Fidei Promotore, qua statuebatur Causam in eodem reperiri statu ac illa Martyrum Japonensium, loco Consistorii in consilium advocavit Revendissimos Patres Cardinales sacris tuendis ritibus praepositos in Palatio Apostolico Vaticano, sexto Idus Januarii anni MDCCCLXV. Ibi proposito dubio a Reverendissimo, Cardinali Constantino Patrizi, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, eidemque Sacrae Congregationi Praefecto, atque Causae Relatore: An Tuto procedi possit ad solemnem Beati Josaphati Martyris Canonizationem? Patres Cardinales concorditer responderunt: Tuto.

Itaque Sanctissimus Dominus Noster cum prius a Patre luminum effusis precibus auxilium et lumen sibi comparasset, die 2 Maii Sancto Athanasio egregio fidei orthodoxae vindici sacra, ad ecclesiam se contulit Graeci ritus, ibique Sacro adstitit graecanicis caeremoniis oblato. Dein accitis Reverendissimo Cardinali Constantino Patrizi, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, Causaeque Relatore, una cum R.P.D. Petro Minetti, Sanctae Fidei Promotore et Dominico Bartolini, eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, Acta haec exarante, iisdemque adstantibus rite pronunciavit: « Tuto procedi posse ad solemnem Beati Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis et Ruthensis Martyris Canonizationem », iussitque, ut sub Sphragide Litterae Apostolicae expedirentur. Hoc ut quam citissime exequutioni detur, Galitiae Episcopi et Monachi Ordinis S. Basilii tum Regni Poloniae, tum Italo-graeci ferventissime orant obtestanturque.

321.

Romae, 28 . I . 1867.

Instituitur Congregatio Oeconomica ad paranda sollemnia Canonizationis.

BARTOLINI D., op. cit., I, 97-99.

Post haec maxima erat mihi, Architecto, atque Postulatoribus in multiplicibus praeparandis operibus sollicitudo. Jamque anno MDCCCLXVI vertente perfectorum operum moles adeo in dies excreverat, ut nil aliud propemodum providendum foret. Attamen ut cuncta ex ordine procederent, anno MDCCCLXVII incipiente a Sanctissimo Domino Congregationem Oeconomicam, quemadmodum alias obtinuerat, constituendam curavi. Selegit itaque Sanctitas Sua Reverendissimos DD. Patres Cardinales Constantinum Patrizi Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, Ludovicum Altieri Episcopum Albanensem, et Nicolaum Clarelli-Paracciani Episcopum Tusculanum; meque invitum ejus tamen voluntati obsequentem aliisque gravibus curis distentum hujus Congregationis a Secretis atque Postulatorum Praesidem nominavit hisce datis litteris a Reverendissimo D. Cardinali Jacobo Antonelli summo Scriba a Statu:

Dalla Segreteria di Stato, 28 Gennajo 1867

Dovendosi stabilire secondo l'uso la Congregazione Economica per la predisposta solenne Canonizzazione, Sua Santità si è degnata nominarne i componenti qui sotto notati, cioè :

Il Sig. Card. Costantino Patrizi Prefetto della S. Congregazione de' Riti, Procuratore della Canonizzazione e Relatore delle cause del B. Giosafat Arcivescovo Martire e del B. Paolo della Croce.

Il Sig. Card. Ludovico Altieri relatore delle cause dei XIX Martiri Gorcomiesi, e del B. Leonardo da Porto Maurizio.

Il Sig. Card. Niccola Clarelli-Paracciani.

Mons. Domenico Bartolini Segretario della S. Congregazione dei Riti con l'incarito di Presidente dei Postulatori, e di Segretario del ragguardevole Consesso.

Tanto si partecipa a Monsig. D. Bartolini per sua intelligenza e norma.

Monsignor D. Bartolini Segretario
della S. C. dei Riti

G. C. ANTONELLI

Neque hic silentio praetereundum erit R.P.D. Josephum Sembratowicz Archiepiscopum Nazianzenum Summi Pontificis venia aliis duobus Postulatoribus Causae B. Josaphat fuisse cooptatum; opportunius siquidem erat ut collectae ad Urbem missae ab Antistitibus Galitiae susciperentur ab illustri hoc gentili suo, qui istuc accitus fuerat ut clericos graeci ritus sacris ordinibus initiaret. Quo munere optime functus est Archiepiscopus Nazianzenus.

322. - 323.

Roma, 17 . IV . 1867.

*Preces indicuntur de Canonizatione B. Josaphat.*D. BARTOLINI, *op. cit.*, I, pag. 114-118.

*COSTANTINO per la Misericordia di Dio Vescovo di Porto
e S. Rufina, della S. R. C. CARD. PATRIZI,
Arciprete della Patriarcale Basilica Liberiana,
della SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE Vicario Generale,
della Romana Curia e suo Distretto Giudice Ordinario ec. ec.*

NOTIFICAZIONE

E' già noto come per antichissima disciplina il Clero di quest'Alma Città muove in divota Processione nel giorno 25 di Aprile sacro all'Evangelista S. Marco, dalla sua Basilica alla Vaticana; e poi nelle ferie seconda, terza, e quarta, lunedì, cioè, martedì, e mercoledì precedenti il giorno dell'Ascensione, e che in questo anno cadono nel 27, 28, e 29 di Maggio, va supplicando con egual rito, la prima volta da S. Adriano alla Basilica Liberiana, la seconda da S. Maria Nuova alla Basilica Lateranense, la terza da S. Lorenzo in Damaso alla Basilica Vaticana; ed è perciò che que' tre giorni diconsi *Rogazioni*.

Il consueto scopo di queste ordinarie Supplicazioni si è impetrare dall'Altissimo la ubertà de' campi, ed altre grazie del cielo non meno necessarie allo spirito, di quello che al corpo le produzioni della terra.

Ma in questo anno, come già nel 1862, la Santità di Nostro Signore ci comanda esortare che uniscasi al santo fine delle accennate solite Processioni l'implorare lumi e assistenza per procedere al grande Atto della Canonizzazione, già stabilito, del B. Giosafat Arcivescovo, del B. Pietro de Arbues Canonico Regolare, de' BB. diciannove Martiri Gorcomiensi di varî Ordini religiosi, del B. Paolo della Croce, e del B. Leonardo da Porto Maurizio ambidue Apostolici uomini del secolo XVIII, della B. Maria Francesca delle cinque piaghe Monaca Alcantarina, e della B. Germana Cousin secolare.

Perchè dunque e il Clero ed il Popolo prenda parte in quest'anno con maggior divozione alle ridette Processioni de' giorni 25 di Aprile e 27, 28, e 29 di Maggio, il S. Padre concede, siccome già fece nell'avvicinarsi dell'altra Canonizzazione eseguita nel 1862, l'Indulgenza parziale di 30 anni, ed altrettante quarantene per ogni volta a chiunque v'interverrà con le dovute disposizioni dell'animo, e con esemplare pietà,

overo visiti nello stesso giorno le due Chiese, la Chiesa, cioè, d'onde parte, e quella cui si dirige la Processione, e quivi preghi pel su espresso motivo Sua Divina Maestà secondo la mente del Sommo Pontefice.

E purchè facciano divota Processione nel recinto de' loro Monasteri, o delle loro Pie Case recitandovi le Litanie Maggiori, e visitino la Chiesa o Cappella interiore, potranno conseguirsi le medesime Indulgenze dalle Monache, Oblate, Giovani, ed altre viventi in Comunità.

Autorizziamo ancora in beneficio di chi fosse legittimamente impedito ad eseguire queste opere ingiunte per l'acquisto delle Sante Indulgenze i RR. Confessori, affinchè le possano commutare a' penitenti in quelle pratiche, le quali crederanno espedienti ed opportune.

Data dalla Nostra Residenza li 17 Aprile 1867.

C. Card. Vicario

Vincenzo Canonico Martini Segretario

Mense Majo exordiente idem Reverendissimus Cardinalis in Urbe Vicarius aliud proposuit Edictum, quo in Protobasilica Cathedrali Lateranensi, aliisque Patriarchalibus Ecclesiis precationes coram Augustissimo Sacramento cultu solemniter exposito indicebantur:

INVITO SAGRO

*COSTANTINO per la Misericordia di Dio Vescovo di Porto
e S. Rufina, della S. R. C. CARD. PATRIZI,
Arciprete della Patriarcale Basilica Liberiana,
della SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE Vicario Generale,
della Romana Curia e suo Distretto Giudice Ordinario ec. ec.*

Fin da quando, raccolta nel Cenacolo di Gerosolima, era la Chiesa per procedere al primo de' religiosi suoi fatti, che fu allora la elezione di un nuovo Apostolo, tutta si unì a pregare col suo Capo visibile, col Principe degli Apostoli Pietro. Per simil guisa ogni volta che si debba procedere ad alcuno de' più autorevoli atti dell'Apostolica Sede, il Vicario di Gesù Cristo chiama seco a fervorose preghiere tutto il popolo de' Fedeli, acciocchè si degni il clementissimo Iddio di comunicare gli opportuni suoi lumi, e tutto dirigere alla sua maggior gloria, e all'edificazione della stessa diletta sua Chiesa.

Ora voi, o Fedeli, non potete ignorare come una delle più solenni azioni dell'Autorità Pontificia, ella è certamente la Canonizzazione de' Santi, e questa azione è ora in sul punto di compiere la Santità di N. S. proclamando Santi, giusta le Apostoliche norme, il B. Giosafat Arcivescovo, il B. Pietro de Arbues Canonico Regolare, i BB. diciannove Martiri Gorcomiensi di varî Ordini Religiosi, il B. Paolo della Croce Fondatore della Congregazione della Passione, il B. Leonardo da Porto

Maurizio Riformato del Ritiro di S. Bonaventura, la B. Maria Francesca delle Cinque Piaghe Monaca Alcantarina, e la B. Germana Cousin povera e semplice pastorella.

In tale occasione vicina ormai ad avverarsi, noi abbiamo già esortato, con Sagro Invito del 17 di Aprile del corrente anno, a prendere divota parte alle annue Processioni di S. Marco, che già ricorse, e delle Rogazioni che avranno luogo il 27, 28, 29 di Maggio.

Oltre a ciò, come fu pure adoperato nel 1862, Sua Santità ordina: che nella settimana la quale corre dalla Domenica 19 del corrente Mese al Sabato 25 nelle infrascritte Chiese Patriarcali si esponga l'Augustissimo Sacramento, nei giorni e col metodo che notiamo.

Dalla mattina della Domenica 19 di Maggio alla mattina del seguente Martedì 21, l'Esposizione sarà fatta nella Basilica Lateranense.

Dalla mattina di detto Martedì alla mattina del Giovedì 23, nella Basilica Vaticana.

Dalla mattina del detto Giovedì alla sera del Sabato 25, nella Basilica Liberiana.

L'Esposizione avrà luogo dopo la Messa Conventuale, premettendovi la Processione che si pratica nell'Esposizione denominata dalle *Quarant'ore*, col canto dell'inno *Pange lingua*.

Sarà poi riposto l'Augustissimo SACRAMENTO in ogni sera prima dell'*Ave Maria*, dopo le Litanie de' Santi, con gli annessi versetti, ed orazioni, e per più il *Veni Creator Spiritus*, colla sua orazione ancor'esso; e da ultimo dando al popolo collo stesso divin Sacramento la benedizione.

E queste preghiere saranno pur quelle colle quali verrà riposto nella mattina in cui cambia luogo la Esposizione, siccome sopra.

Le Confraternite qui sotto notate si porteranno in ciascuno dei giorni assegnati alla visita delle sopradette Basiliche.

Sette anni d'Indulgenza, ed altrettante quarantene concede il S. Padre a tutti i Fedeli ogni volta che visiteranno il SANTISSIMO SACRAMENTO esposto nelle indicate Patriarcali: concede poi la Plenaria a tutti quelli, che confessati e comunicati, visiteranno una delle assegnate Basiliche, e digiuneranno nel Mercoledì 22, Venerdì 24, e Sabato 25 dello stessa Maggio, pregando secondo la mente del S. Padre. Riguardo però a questo digiuno dichiariamo: che la SANTITÀ SUA si è degnato, nell'escludere l'uso delle carni, permettere l'uso de' latticini nell'unica commestione, e dei condimenti di grasso tanto in detta unica commestione, quanto nella refezione della sera.

I Confessori hanno pe' loro penitenti facoltà di commutare a chi di loro ne è legittimamente impedito le opere ingiunte per l'acquisto dell'Indulgenze.

Fedeli! I Beati che debbono ottenere il supremo onor degli altari saranno altrettanti Protettori novelli di un mondo, le cui colpe troppo hanno provocato, e provocano tuttavia ogni giorno di più la divina Giustizia. Essi presso al Trono di Dio, colla potente intercessione della Vergine Immacolata Regina di tutti i Santi, implorino pietà a tanti traviati fratelli, i quali corrono le vie d'iniquità, e abusando della divina longanimità, che tuttora li attende, precipitano nel baratro di perdizione, e coi loro perversi esempi vi trascinano pure tant'altri. Ah sì! preghiamoli questi Beati Comprensori, perchè ottengano da Dio un potente raggio di luce, che illumini la mente e muova efficacemente la volontà di tutti a seguire il vero, il giusto, ed il retto, onde rinsaviti gli erranti, il popolo Cristiano goda finalmente i frutti di quella vera pace, che Dio solo può dare.

Dato dalla Nostra Residenza, li 13 Maggio 1867.

C. Card. Vicario

Vincenzo Canonico Martini Segretario

324.

Romae, VI . 1867.

Intimantur Consistoria publica in Causa Canonizationis B. Josaphat aliorumque Beatorum canonizandorum.

D. BARTOLINI, *op. cit.*, I, pag. 224-225.

Hisce antehabitis publica erant cogenda Consistoria in quibus Sacrae Aulae Consistorialis Advocati luculentissimis Orationibus pro Canonizatione perorarent. Denunciatum itaque est Summi Pontificis mandato primum Consistorium ad diem III Junii sequenti schedula:

Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari.

Feria II die 3 mensis Junii anni 1867 *hora decima ante meridiem* in aula regia Palatii Apostolici Vaticani erit Consistorium publicum pro futura Canonizatione Beatorum martyrum JOSAPHAT KUNCEVICH Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus Orientalis ex Ordine S. Basilii Magni; PETRI DE ARBUES, alias Magistri Epilae canonici regularis Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae, ac primi Inquisitoris Regni Aragoniae; Et NICOLAI PICHI cum octodecim sociis ex utroque Clero, ac diversis Regularium familiis, qui Brilae in Hollandia pro Christo passi sunt.

E.mi ac R.mi DD. Cardinales convenient in aulam paramentorum,

ibique Summi Pontificis adventum expectabunt, ex qua Sanctitatem Suam comitantes ad praefatam aulam regiam procedent.

Praestita obedientia Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPAE IX ab E.mis et R.mis Dominis, D. Franciscus Morsilli sacrae consistorialis aulae Advocatus referet martyrium, causam martyrii, et signa Beatorum martyrum, qui superius commemorati sunt, atque pro illorum canonizatione de more instabit.

Demum R. P. D. Lucas Pacifici Apostolicarum litterarum ad principes Secretarius, DD. Advocatis in genua provolutis, Sanctitatis Suae nomine, stans a sinistro pontificii solii latere cappa indutus, respondebit.

Ideo intimentur omnes, et singuli E.mi et R.mi DD. Cardinales, ut hora praefata ad memoratam aulam paramentorum accedant cappis *violaceis* induti.

Intimentur etiam R.mi DD. Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Vice-Camerarius, Princeps solii, R. C. A. Auditor et Thesaurarius, Antistes Pontificiae domui praepositus, Senator et Conservatores Urbis, Magister S. Hospitii, ac Priores Collegiorum omnium tam Praelatorum, quam Officialium, ceterique intimari soliti, qui Collegas suos admoneant, ut cappis de more induti, una cum sacrorum rituum Congregationis Secretario, Fidei Promotore, et Advocatis Consistorialibus in publicum Consistorium conveniant.

De Mandato SSmi D. N. Papae

Aloisius Ferrari, Proton. Apost. Caerem. Praefectus

325.

Romae, 3 . VI . 1867.

Oratio Advocati consistorialis de novis Beatis canonizandis, et praesertim de Beato Josaphat.

D. BARTOLINI, *op. cit.*, I, pag. 226-231.

Praefinita igitur die Sanctissimus Dominus magna pontificali rubra Penula phrygii operis contactus, ac mitra ex auro textili redimitus ex Aula Vestiarum egrediens, praelata cruce et praeerantibus Reverendissimis DD. Cardinalibus, Sella gestatoria ad Aulam Regiam evehctus est; quae et ornamentorum fulgore, et caeremoniarum maiestate Regium iure sibi vindicavit nomen. Paratum solium conscendit, seditque, et Reverendissimos Patres Cardinales ad osculum manus excepit. Tum Cardinalibus in propriis subselliis considentibus, ceterisque stantibus; R.D. Franciscus Morsilli Advocatus Consistorialis de Beatis Martyribus Josaphat Kuncewitio Archiepiscopo, Petro de Arbues, et novendecim Gorcomiensibus disertissimam hanc ad Pontificem Maximum Orationem dixit:

Si omni aevo, B.me Pater, cuique hominum pro Christo militanti iterare fuit necesse cum Apostolo Paolo « *Repletus sum consolatione, superabundo in omni tribulatione nostra* », quanto magis, quanto opportunius, ac utilius hoc luctuosissimo tempore, quo, praeter intrinseca et varia incommoda, praeter crebros durosque corporis cruciatus, quibus affligimur, fatigamur, et quatinus, extrinseca quoque ab impiis inquiruntur nobis mala, ubique contra nos loquuntur vanitates, et tota die dolos meditantur, illa indigemus mentis tranquillitate, animi fortitudine, et corporis immobilitate quibus tanquam surdi non audiamus, et in iis omnibus tametsi acerbis tolerandis adeo non deficiamus, ut in medio igne nullatenus aestuemus, considerantes ipsos nobis esse longe infeliciores, qui firmiter tenemus praeter culpam et peccatum homini accidere nihil posse quod sit horribile aut pertimescendum.

Est hoc quidem aliud martyrii genus etsi horrore mitius, diuturnitate tamen molestius, ajente Chrisostomo « *non solum in ligno suspendi martyrem facit* »: idcirco ut martyrio hujusmodi efficiamur digni, Christum et nosmetipsos lucrifaciamus ab hac palaestra haud profecto est nobis discedendum, immo in agone tam strenue est certandum ut accipiamus bravium.

Quamobrem non sine Divinae Providentiae consilio factum esse putem, ut hoc praesertim tempore quo Fidelium charitas frigescere quoque videtur, alter utique ipsis et nobis per TE NONE MAXIME PIE, sollemni ritu, pompa ac celebritate opportunissime proponatur triumphus, quo bonorum omnium ingenti laetitia Gorcomiensium aliorumque Martyrum extollitur, et imitanda proponitur extrema pro Christo patientia, ex qua spirituale quisque solatium, spiritualemque capiat usuram, et Ecclesia nostra Catholica majori gloriae luce, clarioribusque virtutum exemplis magis ac magis illustretur.

At ingenii mei tenuitati, et coram TE BEATISSIME PATER, patientiae victoriam, quam Martyres isti retulerunt, gloriae triumphum, quem egerunt, sanguinisque trophaea quibus vitam cum gloria commutarunt, quis dabit ut digne enarret?

Verumtamen officii ratione ductus, si quid in tanta et loci amplitudine, et Virorum frequentia audere mihi fas est, aggrediar, et qualemcumque Orationem hanc, quae tribus saltem uberrimam praeberet segetem, sic contraham ut nec despiciam Tullii monitum ajentis « *Quaecumque Patribus aguntur modice sunt* » neque diversarum rerum necessariae cognitioni defraudem, licet plus oneris in imminuendis, quam in extollendis horum Martyrum laudibus in me videam et sentiam.

Quare ab ipsorum gradu digniori dicendi sumam exordium. Beatus Josaphat e Consulari Kuncewicia Familia anno 1580 in civitate Wladi-

mirae ortus fuit, et in Baptismate Joannis nomen recepit. Piissimi ejus parentes toti in eo fuerunt, eoque maxime spectarunt ut puerum ad omnigenam virtutem et sanctimoniam educarent; quibus tamen Ipse adeo superabunde respondit, ut multa pietatis laude ceteris adolescentibus provectoris etiam aetatis brevi praestiterit, et veluti exemplar proponeretur. Expertissimos habuit conscientiae moderatores ex inclyta Societate Jesu, quorum exemplo atque incitamenti mundi, et Schismaticorum seductionum tempestive pertaesus, caelestia tantum quaerere statuit.

Hinc viginti annos natus volens libensque Ordini S. Basilii Magni nomen debet, et, Josaphat assumpto nomine, solemnia vota nuncupavit, et Sacerdotio auctus est. Monachus igitur sic prae ceteris regularum custodia, laboribus, sollicitudinibus, vigilantia, zelo, omniumque virtutum ornatu resplenduit, ut ad Basilianam Vिल्nensem Familiam regendam primum, dein, licet invitissimus, sed Polocensibus prae gaudio gestientibus, ad Polocensem Archiepiscopalem sedem fuerit evectus.

Praefulgenti hoc dignitatis gradu insignitus ea omnia et impigre gessit, quae optimi Pastoris sunt: ea fuit suae vitae ratio, quam extrema et continua sui corporis tum afflictatio, tum abstinencia commonstrabat. Beatissimam Virginem ardens amavit, atque omnimode honoravit. Eidemque semetipsum eximiae castitatis cultorem mundissimum habitaculum perpetuo exhibuit. Deum assidue gemitibus adprecabatur inclamans « *Domine Deus meus da unionem Ecclesiae Sanctae, et Schismaticorum conversionem* »: et tunc ita se flagris caedebat, ut terram fluenti cruore conspergeret. Tanta porro in pauperes exarsit charitate, ut, cum extremae cujusdam viduae necessitati alio modo succurrere minime valeret, pretiosum suum pontificale *Homophorium* oppignorare jusserit.

Verbis hic exprimi vix potest quam avide, quamque impense animarum salutem, conversionem, unionemque curavit, quippe is fuit qui tot hominum millia ad Ecclesiae unitatem reduxit, ut Summus Pontifex Urbanus VIII illum fuisse dixerit « *qui univit Ecclesiam Graecam cum Latina, et pro Christi fide passus est* ».

Ne vix quidem libare valeo quam fortiter Ecclesiae jura ac bona asseruerit, et usurpata vindicaverit; quam acerrime Ecclesiae unitatem, et Romani Pontificis Primatum concionibus, disceptationibus, et scriptis propugnauerit. Id unum pro omnibus sit, quod die quadam cum Schismatibus de themate disserens, et ab ipsis excitatus ut Patriarcham Constantinopolitanum agnosceret, et sic facilius seipsos ad unitatem pertrahere posset; audacter respondit « *Recognoscat Patriarcha Papam, et ego recognoscam Patriarcham* ». Illustre quidem exemplum nostris hisce temporibus prae oculis continuo habendum!

Tot tantaque Dei opera, et tanta schismaticorum ad unitatem reductio nefarios exagitavit homines, qui inita conspiratione Josaphatum designarunt ad necem. Ter impium hoc facinus moliri ausi sunt. Beatus Antistes Vitebscum petiit, cujus cives utpote magna ex parte schismati adhaerentes, odio capitali ipsum prosequerentur. Instabant amici ne illuc iter capesseret, ut discrimen evitaret, et vitam Ecclesiae unitati servaret. At ille affirmabat se ad martyrium paratum, dummodo dignus a Deo haberetur, qui pro ejus gloria sanguinem ligaret. Octiduo antequam impiorum gladiis occumberet pulpitem Vitebsci conscendens Homiliam ad populum habiturus in laudem S. Demetrii Martyris, illud evangelicum effatum usurpavit « *Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur se obsequium praestare Deo* ». Inde populum sibi infensum hisce compellavit verbis: « *Vos me Vitebscenses ad mortem quaeritis: in fluminibus, in pontibus, in viis, in civitatibus insidias struitis: ecce me sponte ad vos venisse videtis, ut sciatis me vestrum Pastorem: atque utinam pro vobis, pro unione sancta, pro Sede Petri, successorumque ejus Romanorum Pontificum animam effundam meam* ».

Refulsit tandem praeoptata dies decima secunda Novembris anni 1623 quo conspiratorum manus, favente Meletio Smotricio Pseudo-Archiepiscopo, tumultum ex industria commoverunt, aedes Pontificales, confractis foribus hostiliter invadunt, Dorotheum Archidiaconum, et famulos acerbissime caedunt et sauciant, cunctamque diripiunt suppellectilem. Clamoribus excitatus Beatus Antistes, et, precibus quibus ferventissime vacabat, intermissis, e cubiculo prodiit, et in atrio constitit: dein crucis signo sicariis impertito, blande sic affatur: « *Filioli mei, cur famulos meos insontes caeditis? Si quid contra me habetis, ecce adsum* ». Hac voce veluti perculsi steterunt impii: at duo qui verba non audierant ex adverso erumpentes cubiculo, confodiendum Latinum Papistam inclamabant, et illico Archiepiscopi manibus ad pectus crucem signantis alter fuste caput percussit, alter bipenni horrendum dissecuit. Humi prostratum quotquot impii in atrio aderant gladiis confodiunt. Media inter vulnera Beatus Martyr manus elevat dicens « *O Deus meus* ». Tunc a latronibus vociferantibus eum adhuc vivere ballistae igneae globulo iterum in capite percussus beatissimam efflavit animam. Ejus corpus omnigenis affectum ludibriis, funibus circumligatum, perque urbem foedisime reptatum, ex alto praeuptoque monte in flumen propellunt.

Primum hinc apparuit prodigium. Integrum siquidem B. Martyris corpus ad fluminis ripam constitit. Quare homines scelestissimi illuc statim advolant, corpus linteri imponunt, ad mille passus adverso flumine evehunt, cilicium saxis repletum ad collum obligant, pedibus ingentem annectunt lapidem, et in loco ad viginti cubitos alto demergunt. Inde

secundum prodigium; nimirum cum Beati corpus ob loci summam profunditatem a piscatoribus avide quaerentibus reperiri nullatenus posset, per promicantem ex ipso demerso lucem illum inveniunt; ab aquis eleuant, et ob corporis integritatem atque pulchritudinem non solum nemo ex poenitentibus pertimescentibusque civibus a lacrimis temperare valuit, verum etiam Joannes Chodeska cordis dolore vehementer tactus schisma illico ejuravit. Tandem homines illi scelestissimi capite damnati, Beato Martyre intercedente, in mortis procinctu fere omnes Catholicam Fidem amplexi sunt. Meletius vero Smotricius conspiracy ille auctor velut alter Saulus facti et ipse poenitens Petri Cathedrae, Romanoque Pontifici ardenti studio adhaesit, Fidem Catholicam asseruit, diemque suum piissime obivit.

Quid modo super Beati Petri de Arbues altero martyrio singillatim dicere temporis pressura, ac taedii timor sinet, nisi quod sanctissimus iste Vir ab ineunte aetate ad adolescentiam adeo Dei timore, morum candore, orandi studio, scientiae ac sapientiae summo ornatu, doctrinaeque fama, cum ceteris virtutibus in dies adeo inquam praefulsit, ut maximum apud suos eum Bononiae studiis vacantem possidendi subito exarserit desiderium?

Quamobrem ab Archiepiscopo, et Capitulo inter Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini...

326.

Romae, VI . 1867.

De modo agendi in Consistoriis semipublicis ante Canonizationem Beati Josaphat aliorumque.

D. BARTOLINI, *op. cit.*, pag. 262-265.

METHODUS SERVANDA IN SEMIPUBLICIS CONSISTORIIS

*Ante proxima indicendae Canonizationis solemnia habendis
et peculiariter intimandis.*

In semipublicis consistoriis de causis Beatorum, qui in Sanctorum album cooptandi proponuntur, agetur nempe de Beatis martyribus JOSAPHAT Archiepiscopo Polocensi Ruthenorum ritus orientalis ex ordine S. Basilii Magni; PETRO DE ARBUES, alias Magistro Epilae, Canonico regulari Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae, ac primo Inquisitore Regni Aragoniae; NICOLAO PICHI cum octodecim sociis ex utroque Clero, ac diversis Regularium familiis, qui Brilae in Hollandia die 9 Julii anni 1572 pro Christo passi sunt; de Beatis Confessoribus PAULO A

CRUCE, fundatore congregationis clericorum excalceatorum SSmae Crucis et Passionis D. N. JESU CHRISTI, et LEONARDO A PORTU MAURIZIO Missionario Apostolico Ordinis Minorum S. Francisci strictioris observantiae; de Beatis Virginibus MARIA FRANCISCA a quinque vulneribus D. N. JESU CHRISTI Tertiaria professa Ordinis Minorum excalceatorum S. Petri de Alcantara, et GERMANA COUSIN saeculari, oppidi Pibrac Tolosanae dioecesis.

Opportune tam E.mi, et R.mi DD. Cardinales, quam R.mi Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi suffragium laturi, de Causis, quae in unoquoque ex memoratis Consistoriis proponuntur, particularibus schedulis per cursores transmittendis, certiores fient.

E.mi Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi omnes in Urbe praesentes, nec non DD. Protonotarii, duo antiquiores Rotae Auditores, et Camerae Apostolicae Procurator Fiscalis eas respective deferent cappas. quibus in Pontificio Sacello uti solent.

Sanctissimus Dominus noster PIUS PAPA IX brevi allocutione initium dabit actioni, Fratrum suffragia exquirens.

E.mi Cardinales, ac R.mi Patriarchae et Primates, nec non sex antiquiores tum Archiepiscopi, tum Episcopi proprio servato ordine dignitatis et promotionis, brevissima oratione suam sententiam dabunt. Reliqui vero Archiepiscopi et Episcopi, servato ut supra promotionis ordine, habita ratione magnae Antistitum frequentiae proprium sensum aperient per verbum PLACET vel NON PLACET (uti ad Dei gloriam expedire videbitur) addendo tamen verba OB RATIONES A ME IN VOTO SCRIPTO ET SUBSCRIPTO ALLATAS.

DD. Cardinales dum sententiam prodere incipient, singillatim nudato capite assurgent, eamque, capite tecto, prosequuntur sedentes.

Superius recensiti Praesules, ferentibus suffragia E.mis Patribus, sedebunt capite aperto, stabunt vero cum Summus Pontifex verba faciet.

Post E.mos Patres primus Patriarcha sententiam dicturus, capite detecto assurget, et facta Sanctissimo Patri genuflexione, stans exponet, caeteris Antistitibus interim sedentibus, atque ita deinde caeteri ut supra designati. Idem servabunt reliqui cum per verbum PLACET vel NON PLACET suffragium dabunt.

Mox Procurator Fiscalis Camerae consueta forma adstantes DD. Protonotarios rogabit, ut publicum actorum documentum conficiant.

Tunc eorumdem decanus sui Collegii nomine respondebit « *Conficiemus* » et ad Pontificis familiares conversus, qui stant circa solium, eosdem in testes appellans, dicet « *Vobis testibus* » sicque Consistorium absolvetur.

Aloisius Ferrari Prot. Ap. Caerem. Praefectus

MONITA

I. *Omnes Eminentissimi Cardinales, et Reverendissimi suffragatores, propriam quisque sententiam scriptam, atque subscriptam tradere debent in unoquoque ex futuris semipublicis consistoriis in aula consistoriali habendis, R. P. D. Secretario Congregationis Sacrorum Rituum, vel ejus loco uni ex apostolicarum caeremoniarum magistris.*

II. *Absentes vero ab hujusmodi semipublicis consistoriis, et in Urbe praesentes tam Eminentissimi Cardinales, quam Reverendissimi Episcopi suffragium unusquisque suum transmittet enunciato Sacrorum Rituum Congregationis Secretario.*

III. *Antistites, quibus cappae praesto non sint, ex benignitate SANSTITATIS SUAE ad praefata consistoria accedere potuerunt induti mantelletto supra rocchetum, quo tamen in casu quisque per se videt sedendum ipsis esse post Episcopos, qui cappas deferunt, servato semper inter eos ordine dignitatis et promotionis.*

* * *

In proximo Paulino Sacello Summus Pontifex easdem uti in Consistoriis publicis induit vestes, et pedes, praevia Cruce, in Aulam Consistorialem accessit. Duo priores ex Ordine Diaconorum Cardinales magnae Penulae, et bini Protonotarii Apostolicae faldae oras sustentabant. In solium ascendit, conseditque; Cardinales et Antistites considerare omnes.

Haud verbis scriptisve exprimere quis poterit amplissimum hunc Antistitem Conventum in quo primitus cum capite Christi nempe Vicario totum propemodum Ecclesiae Corpus compactum, connexumque coaluerat!! Praeter Italos aderant ibi Galli et Hispani; Angeli, Hiberni, atque Scoti; Germani, Slavi ac Pannonici; Graeci et Armeni; et qui habitabant Syriam, Aegyptum, Indica Regna; necnon universas Americae partes, Australiam simul, atque extremas Oceani oras: quos omnes audivimus loquentes variis linguis magnalia Dei quae fecit in servis suis ut solium gloriae coelestis teneant.

Tunc toto silente loco Sanctissimus Dominus ita affatus est.

327.

Romae, 12 . VI . 1867.

Allocutio Pii PP. IX in Consistorio, qua sententiam PP. Cardinalium de canonizatione Josaphati Archiepiscopi Polocensis expetit.

PII PP. IX, P. M. *Acta*, vol. IV, p. 85-86, Romae 1869.

D. BARTOLINI, *op. cit.*, I, pag. 265-267.

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO SEMIPUBLICO DIE XII JUNII MDCCCLXVII.

Catholica Ecclesia, quae viris sanctimonia insignibus, et rerum gestarum gloria praeclaris semper effulsit, habet etiam hisce calamitosis temporibus, quorum gloriatur triumphis et virtutibus, ac exemplis sanctissimis illustretur. Scilicet enim, Venerabiles Fratres, quantam sibi forti

fidei confessione et eximia vitae sanctitate gloriam vindicent Beati viri Josaphatus Archiepiscopus Polocensis Ruthenorum Ritus Orientalis ex Ordine S. Basilii Magni, Petrus Arbuensius, Canonicus Regularis Metropolitani templi Caesaroaugustani, nec non Nicolaus Pichius eiusque duodeviginti Socii, ex utroque clero ac diversis religiosis Familiis, qui omnes a catholicae religionis hostibus varie vexati, vitam pro Christo inter saevos cruciatus fortiter dederunt. Hi sunt nimirum ex viris fortibus, qui amaverunt Chrisum in vita sua, imitati sunt Eum in morte sua et nobilissimum sane exemplum omnibus Christianis reliquerunt, quo fideliter persequi omni studio et imitari contendant. Multum itaque interesse arbitramur, Venerabiles Fratres, et ad divinae gloriae incrementum, et ad fidelium utilitatem, ut Beatorum horum Martyrum Nomina Sanctorum Coelitum ordinibus auctoritate Nostra Apostolica accenseantur. Sed in hac gravissimi sane momenti deliberatione haud possumus, quin ex instituto Praedecessorum Nostrorum, in hoc amplissimo Vestro Consessu etiam Vobis, qui illorum illustre martyrium, eximias virtutes, ac prodigia tum ex historia vitae, tum ex iis quae in publico Consistotio audivistis, probe nostis vestram sententiam de hac ipsa re perquiramus. Igitur dum Divini Luminis opem a Domino humillime imploramus, vestra hodie suffragia libentissimo quidem animo excipimus, quo de ipsis Beatis Sanctorum Ordini adscribendis supremum Nostrum iudicium proferamus. (*Hic fuit suffragatio Patrum*).

Magnam plane consolationem accipimus, Venerabiles Fratres, cum videamus unanimes omnium vestrum sententias cum animi Nostri sensu convenire, et intelligamus ex hac Beatorum Martyrum Canonizatione novum ornamentum et decus, novumque praesidium catholicae Ecclesiae comparari. Nostra igitur ac vestra vota explere cupientes, in proximo Consistorio, cum de aliis Beatis in Sanctorum Ordinem cooptandis deliberatum fuerit, faustissimum indicemus diem, quo haec sacra solemnia peragantur. Interea vero ne desinatis, Venerabiles Fratres, precibus et aliis piis operibus sedulo Dei Optimi Maximi lumen et auxilium Nobis implorare, ut in re tam gravi illud agamus, quo divinae Maiestatis voluntatem, et beneplacitum cumulate perfecisse laetemur.

328.

Romae, 12 . VI . 1867.

Excerpta ex votis Cardinalium et Episcoporum, habitis in Consistorio semipublico de Canonizatione Beati Josaphat, simul cum aliis Beatis, quae omittuntur.

D. BARTOLINI, *op. cit.*, I, pag. 267-492.

Unusquisque Cardinalium assurgens detecto capite, ac salutato Pontifice, iterum sedens suam dixit de scripto sententiam; cum fere omnes sermonem eorum scriptam incipiunt a verbis: « BEATISSIME PATER », dictio haec brevitatis causa a nobis omittitur.

CARD. MARIUS MATTEI

BEATISSIME PATER

Vertente saeculo decimoseptimo, ad exitum jam properabant nobilissimae causae Canonizationis Beatorum Josaphati Polocensis Archiepiscopi, Petri De Arbues primi Inquisitoris in Regno Aragoniae, et Nicolai Pichii, cum sociis duodeviginti, Gorcomiensibus nuncupatis; qui omnes praeclaro martyrio, ac coelestium prodigiorum fulgore Dei Ecclesiam mirifice illustrarunt. Ad negotium gravissimum explendum non deerat, nisi requisita temporum opportunitas; quam tandem, imperscrutabili Dei dispositione, adesse hac nostra misera aetate fateri oportet, Pater Beatissime. Ut clarius pateat mundo, virtute ex alto Ecclesiam indui quae inter tumentes fluctus valet quiescere, et luculenter edocere homines omnem veritatem ab ipsis impugnata, quam fortissimi isti Martyres, ceu liquet ex actis, sanguine suo confirmarunt: Primatum praesertim divinum, super quo totum orthodoxae Ecclesiae immortale aedificium consurgit. Rogo ergo Te, Beatissime Pater, ut divina, qua polles auctoritate, eos albo Sanctorum quantocius adscribas.

Feria IV die 12 Junii 1867.

Marius Episcopus Ostien. et Veliternen. Card. Mattei S. C. Decanus
D. BARTOLINI, I, pag. 268. 329.

CARD. PATRIZI

Cohors inclita Martyrum jam triumphans in Ecclesia Sanctorum in Coelis, a Te, Beatissime Pater, expectat ut infallibili iudicio Tuo etiam Ecclesia militans de eorumdem coronis laetetur in terris.

Primus inter hos invictos Heroes est Josaphat Polocensium Pontifex qui boni Pastoris exemplo dum errantes oves suas ad pascua salutaria reducere satagebat, dato fortiter capite pro Catholica unitate occubuit a schismaticis interemptus.

Alter sequitur ejusdem constantiae Athleta Petrus Arbuesius Canonicus Regularis.

Tandem veniunt decem et novem Martyres Gorgomienses.

Omnium horum Martyrum Causis plenissime discussis nil aliud restat nisi ut loquente Petro per os tuum, Beatissime Pater, Sanctos eos appelles, ad cujus vocem omnes quotquot sunt fideles acclamabunt laudantes Dominum in Sanctis ejus.

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi.

D. BARTOLINI, I, pag. 269.

330.

CARD. A. AMAT

Glorioso Christianorum Heroum agmini, qui pro Catholicae Fidei propugnatione martyrio defuncti sunt, jure merito Beatos viros Josaphat Kuncewich Polocensium et Ruthenensium Archiepiscopum; Petrum de Arbues, et Nicolaum Pichium ejusque duodeviginti socios accensendos esse arbitror. Hi sunt enim qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas in sanguine Agni: quos si diversum Divinae Religionis nostrae hostium genus perculit, omnes tamen eadem illius tuendae causa magnae animae prodigos effecit. Quapropter eosdem martyrii laurea emeritos aeterna in Caelis gloria, miris testantibus signis, exceptit; et coronae aureae super capita eorum impositae, fuere expressae signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

Quae cum ita sint nihil ad Ecclesiae hujusque Apostolicae Sedis laudem; nihil in hac praesertim temporum calamitate ad Christifidelium exemplum et praesidium accomodatius esse duco, Beatissime Pater, quam ut hi fortissimi Viri in Sanctorum Martyrum Album referantur, ut tandem et de iis liceat in Ecclesia canere: Gaudent in Caelis animae Sanctorum, qui Christi vestigia sunt sequuti, et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine. Quod ut facias a Te, B. P. enixis precibus obsequentissime postulo.

A. Card. Amat Epis. Praenest. S. R. E. Vice-Cancell.

D. BARTOLINI, I, 269-270.

331.

CARD. L. DE ALTERIIS

In causis Canonizationis Beatorum Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues, et novemdecim Martyrum Gorgomien-sium, martyrii extrema sicut et miracula, eorum ope a Deo patrata, solidis momentis undique circumspectis, tali evidentiae lumine fulgent probata, ut nihil quidem impediat, quominus laeto animo et absque haesitatione meam sententiam ingenue promam, Te, Beatissime Pater, ad eorum solemnem glorificationem quam tutissime procedere posse; eo vel magis quod procul dubio conjicere datur, nullam unquam futuram aetatem hac nostra aptiorem ad supremas eorundem Christiadam Heroum glorias celebrandas.

Ludovicus Card. De Alteriis Episcopus Albanensis.

D. BARTOLINI, I, 270.

332.

CARD. N. PARACCIANI

Divino sane consilio factum est, ut dum Ecclesiae iniquum bellum inferunt hostes, Deus eam novis palmis illustret, novisque triumphis. Proinde Sanctitati Tuae, Pater Beatissime, ex animo gratulamur, et quas gratias possumus majores agimus, quod ad fidem augendam, ad

animos catholicis addendos, in Sanctorum numerum recensere velis Beatum Josaphat Archiepiscopum, qui pro communione cum Sede Apostolica, et conjunctione cum Cathedra Petri martyr occubuit: et Beatum Petrum de Arbues, qui ob munus Praefecti Sanctae Inquisitionis integre in Aragonia gestum a Judaeis in Ecclesia principe Caesaraugustana gladiis confossus est: et novemdecim Martyres Gorcomienses, qui pro veritate augustissimi Sacramenti Eucharistiae vitam gloriose profuderunt. Hi omnes non cessabunt orare pro Ecclesia Dei, pro Urbe hac, et pro Sanctitate Tua, quae illis tam insignem gloriam solemnī Canonizatione confers.

Nicolaus Episcopus Tusculanus S. R. E. Card. Paracciani-Clarelli.
D. BARTOLINI, I, pag. 271. 333.
CARD. ENGELBERTUS.

Censeo in tribus causis Beatorum Martyrum, de quibus Sanctitas Vestra sententiam nostram inquit, omnia rite peracta fuisse et summos Sanctorum honores fortibus istis fidei athletis tuto decerni posse...

Instante igitur rogo, Beatissime Pater, ut opus susceptum perficere digneris, pro quo Deus longam vitam et amplam in coelis mercedem largietur.

Engelbertus Car. Archiep. Mechl.

D. BARTOLINI, I, pag. 271-2.

331.

CARD. A. VANNICELLI

Ut nova corona Martyrum Dei Omnipotentis gloria augeatur, et insigne Potestatis Pontificiae munus impleatur, oro etiam atque etiam, ut inter Sanctos recensere velis Beatum Josaphat Kuncevicium Archiepiscopum Polocensem, Beatum Petrum de Arbues Canonicum Regularem Congregationis Augustinianae, et Beatum Nicolaum Pichium cum octodecim Sociis Utriusque Cleri pro Christi fide necatis, quos omnes effudisse sanguinem patet clarissime, ne promissus Ecclesiae Catholicae triumphus unquam deficeret.

Eorum siquidem primus B. Josaphat fortiter usque ad mortem praelium certavit pro erroribus Schismaticorum refellendis, pro Graecorum emendatione, et unione cum Ecclesia Latina. Omnia vero martyrii gloria complevit, et pluribus Deus, eo intercedente, miraculis coronavit.

Nec aliter sentiendum est de Beato Petro de Arbues... Idipsum denique licet adprecari pro singulis Martyribus Gorcomiensibus... Nondum itaque expedit, sed inter divinae Providentiae consilia praestatutum arbitror in exercitum Martyrum eos fore adscribendos, quorum fortitudinem, et virtutes hodiernis praesertim temporibus Christifideles sectaturos confido. Quo enim majori perturbatione Christi Ecclesia affligitur ob iniquas machinationes, et fraudes, eo splendidiori triumpho Summi

Pontificis portentum praefulget, cum sit tempus in quo plures sanam doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria coacervant sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent. Ut itaque falsa horum doctrina pereat, toto animo, totisque viribus precor a Te, Sanctissime Pater, ut opus magnum perficias, quo novus Ecclesiae Catholicae splendor addatur.

* Aloisius Tit. S. Prax. S. R. E. Presbyt. Card. Vannicelli-Casoni
Arch. Ferrariae.

D. BARTOLINI, I, pag. 273-275.

335.

CARD. C. CORSI

Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus, in pace et in aequitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. Verba haec quae 2. Malachiae habentur capite. versiculo 6 B. Josaphat apprimè conveniunt.

Praeventus a Deo in benedictionibus dulcedinis, miram vitae innocentiam pari poenitentiae socians, ecclesiasticis studiis intentus uti lex veritatis fuit semper in ore ejus, ita nunquam in labiis ejus inventa fuit iniquitas.

Dato nomine Ordini S. Basilii Magni, solemnibusque votis nuncupatis, lex veritatis in pace et aequitate ambulavit cum eo, ideoque virtutum omnium exemplar se reddidit, ut ad montem qui Christus est perveniret.

Ad Archiepiscopalem cathedram reluctanti animo promotus nil aliud intendit nisi multos avertere ab iniquitate.

Versabantur eo tempore atque in illis regionibus Calvinistae qui duo impetebant acriter christianae Religionis dogmata, nempe Christum Dominum esse vere realiter et substantialiter praesentem in SSmo Eucharistiae Sacramento, ac Romanum Pontificem esse legitimum Petri successorem Christi in terris Vicarium, et caput totius Ecclesiae.

Contra Novatores istos vocem extulit B. Josaphat Archiepiscopus. Vox ejus apostolica virtute solidata vox fuit commoventis desertum quando impiorum sophismatibus ea opponebat argumenta quibus adversarii non poterant resistere, vox fuit intercidentis flammam ignis quando Religionis hostes veluti ab igne jaculati eorum impetus comprimere tenebantur, vox tandem fuit confringentis cedros quando plures ab erroribus avertit, et viam veritatis elegerunt.

Ex his facile quisque intelliget quo odio qua ira inflammarentur Calvinistae contra Josaphat, qui tamen fortior semper evasit donec tempus advenit quo martyr palma coronaretur.

Mansuetudine agni fortitudine leonis sicariis occurrit, atque ut agnus qui ad occasionem ducitur ita os summ aperuit « Filioli quare

famulos meos insontes occiditis: si aliquid contra me habetis ecce adsum » quae mitiora ac dulciora poterant proferri verba?

Fortitudine leonis truces impiorum adspectus sustinet, minas ludibria injurias spernit, tandem invictus Christi athleta occiditur.

Nec satis, denudatur corpus super ipsum nequiores etiam facti sedent bibunt clamitant, ac dein funibus ad pedes ligatis ex alto prae-ruptoque monte in flumen propellitur.

Quis de martyrii veritate dubitavit unquam cum Deus fidei B. Josaphat firmitatem prodigiis et portentis illico ostendit?

Primum prodigium fuit quod Vitebsceneda multitudo grave facinus quod patrarat agnosceret, ac Josaphat perditum fleret tanquam pastorem et parentem amantissimum ac magistratus ingentem pecuniae summam piscatoribus promisisset, si requisitum corpus invenissent.

Aliud atque etiam clarius quando ex demerso corpore lux per aquas effulsit, atque illud integrum et vivo simile deprehenderunt.

Ut de veritate martyrii constat ac de prodigiis quae Deus eo tempore operari dignatus fuit, ita de caeteris quae proposita discussa et bene examinata fuere ut ad Canonizationem procedatur.

Concludam itaque opportunius non dari tempus quo publicis honoribus B. Josaphat dignus habeatur.

Vaferimus ex gallicis scriptoribus Renanus infami suo opere velut alter Arius humanitati denegat hypostatice conjunctam esse divinam naturam. Si verum hoc, nec Christus sub speciebus panis et vini verus Deus contineretur.

Quid Romano Pontifici nostrorum temporum adversarii denegant? omnia illa divina jura quae Christus Dominus in persona Petri contulit omnibus legitimis successoribus. Intentarent adversarii destruere fundamentum ut eruant aedificium.

Contra hanc solidissimam petram inferorum nunquam portae erunt praevaliturae.

Oppotrunum vero est ut fideles omnes agnoscant quo praemio a Deo condecorentur illi qui duo haec fidei dogmata firmiter tenent, qua virtute Ecclesiae hostibus facienda sit vis, ac suas in terris conjungant preces cum illis in coelis B. Josaphat, ut avulsis errorum tenebris vividior lux veritatis appareat.

✠ Cosmas Card. Corsi Archiep. Pisanus.

D. BARTOLINI, I, 280-1.

336.

CARD. FABIVS MARIA ASQUINIUS

Dum alibi, Beatissime Pater, in rebus terrestribus quae hominum commercia industrias et artes respiciunt non sine magna ostentatione humani ingenii potentia, concurrentibus terrae principis, et ingenti po-

pulorum, copia adventante admodum exaltatur, supplex oro, ut Venerabilibus ecclesiae Principibus et tu circumdatus, divinae tuae potestatis potentiam ostendas, et populos ad contemptum rerum temporalium et spiritualium ac caelestium desiderium et amorem, exemplis et virtutibus Beatorum Josaphati Kuncevicii Archiepiscopi, Petri Arbuesii... qui pro Christi nomine martiria facere, impellas et erigas, eosdem ad supremos altarium honores elevando, fastisque Sanctorum, infallibili tuo oraculo, adscribendo.

Indubie enim constat et actis, tanta sapientia et diligenti studio confectis, nihil omnino deesse quin iuxta sacratissimas Ecclesiae leges iidem ad hunc honorem sublimentur. Quapropter cum eo tempore heroes isti proponantur exaltandi, quo ius novum, aeternae iustitiae repugnans. fatua nationum et populorum cum ipsorum discordia unitas, et bellum acerrimum contra civilem Romanae Ecclesiae principatum, ad supremum tuum in Universa Ecclesia Primatum evellendum adstruitur; cumque ipsi pro pro tuendis aeternae huius iustitiae juribus, pro Unitate Catholicae Ecclesiae vindicanda, pro tuo divino Primatu asserendo mortem subire non dubitaverint; idque insuper mirabili Divinae Providentiae Consilio contingat hisce diebus, quibus celebratur annus millesimus octingentesimus postquam Petrus Apostolus una cum coapostolo ejus Paulo martyrio laetus ex hac Urbe abiit ad superos Successoribus suis et tibi, Beat.me Pater, eundem quo ipse fruebatur primatu relinquens, humillime ad suos pedes provolutus etiam atque etiam praestolor, ut tantis viris honoris Sanctorum Caelitum in universa Ecclesia cultum impertiri digneris, divina auctoritate hujus Primatus; quoniam et tibi dictum est: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

Fabius Maria tit. S. Stephani in monte Coelio S. R. E. Presb. Card. Asquinius.

D. BARTOLINI, I, 282-3.

337.

CARD. I. CARAFA DE TRAJETTO

Suffragium laturo pro solemni Canonizatione beatorum Martyrum Josaphat Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues..., nihil mihi prorsus occurrit, quod me ancipitem delineat; in ipsis enim hoerica eminet virtus, et mira in perferendis pro fide Christi suppliciis constantia: ipsi sanctitatis famam sacrumque cultum a die gloriosi obitus sunt assecuti; per ipsos insignia patrata miracula, quorum probatio quamlibet et levem dubitationem excludit....

Quapropter, Beat.me Pater, Sanctitatem Tuam vehementer obsecro, ut ad maiorem Dei et Ecclesiae gloriam, fideliumque solatium, exem-

plum et tutamen, memoratis Martyribus Sanctorum honores quamprimum decernere dignetur.

I. tit. S. Mariae Angel. ad Thermas S. R. E. Card. Presb. Carafa
de Trajetto, Arch. Benev.

D. BARTOLINI, I, 283.

338.

CARD. C. A. MORICHINI

Josaphatum Kuncevicium Archiepiscopum Polocensem, Petrum Arbuesium... virtute indutos ex Alto Martyrium subiisse pro Christo, et miraculorum frequentia et praestantia inclaruisse, luculentissime constat ex probatis iuridicis actis. Adde igitur, Beat.me Pater, Sanctorum Martyrum Albo tam invictos Catholicae Fidei Athletas: non modo ut novum Ecclesiae militanti decus accedat, verum etiam ut in teterrimo bello, quod iamdiu offendit ubique contra Christum eiusque Vicarium in terris, sint patientibus propter iustitiam exemplum, praesidium, atque solamen.

C. A. Card. Morichini, Archiep. Aesinas.

D. BARTOLINI, I, 283-4.

339.

CARD. CAMILLUS DI PIETRO

Iteratis precibus tum Episcoporum, tum Cleri variarum Dioecesium, nec non Monachorum Ordinis S. Basilii... Sanctitas Tua annuens, reassumenda indixit Acta Martyrum... et Josaphati Archiepiscopi Polocensis... veteremque cultum, Divino inspirante Numine, novis decretis confirmando, non solum *Tuto* procedi posse ad eorum canonizationem declarasti, sed etiam ejus solemnia in praesens celebranda statuisti... oportum duco, Beat.me Pater, ut quamprimum Canonizationis solemnia in templo Vaticano assueta pompa, ornatuque solito celebrari permittas... centenario praesetim recurrente die festo Martyrii Apostolorum Principis et Doctoris Gentium, ut qui Sanctae Petri Cathedrae firmitatis, et Pontificiae auctoritatis, usque ad Sanguinis effusionem, fuere adsertores, ita eius gloriae in terra partipes fient.

Camillus tit. S. Joannis ante Portam Latinam Card. Die Pietro.

D. BARTILINI, I, 284-285.

340.

CARD. JOACHIMUS PECCI

Explorantissimum est, tum Josaphatum Kuncevicium per Schismaticos, tum Petrum Arbuensium per Haebreos... martyres decessisse... Cum igitur eos et martyrium fecisse et Christi causa peremptos esse omnino constet; cum praeterea splendida extent prodigia a Deo patrata... e re christiana esse puto, si fortissimis viris coelestes martyrum honores decernantur, eorumque nomina ad memoriam et religionem et immortalitatem consecrentur.

Divino enim consilio fieri videtur, Beat.me Pater, ut saevissimo

bello contra Catholicam Ecclesiam et Summum Petri Sacerdotium exardescente, praeclarissima illa fidei et constantiae, invictique amoris in Christum et Romanam Cathedram exempla Catholicis omnibus ad imitandum proponerentur.

† Joachimus Card. Pecci, Ep. Perusinus.

D. BARTOLINI, I, 285-6.

341.

CARD. ALEX. BARNABÒ

Cum juridice pleneque constiterit de martyrio eiusque causa inclytorum virorum... Josaphat Kuncewicz Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus Orientalis ex Ordine S. Basilii Magni, Petrique de Arbues... deque miraculis... dignum sane arbitror, Beat.me Pater, ut fortissimi Christi Athletae, nobilesque primatus hujus S. Romanae Ecclesiae adsertores oraculo tuo infallibili in canone Sanctorum recenseantur, ut Ecclesia militans in terris tantisque in praesenti angustiis pressa de istorum glorioso triumpho felicitetur...

Alex. tit. S. Susannae Card. Bernabò.

D. BARTOLINI, I, 286-7.

342.

CARD. JOSEPH MILESI

Beati Josaphat Kuncevicii metropolitanae Polocensis Ruthenorum Ecclesiae Antistitis virtutes, imprimis charitatem et fortitudinem suspicimus. Qui cum pro unitate Ecclesiae strenue dimicaret, multosque eloquii suavitate, et exemplo vitae in viam salutis perduceret, a schismaticis in odium Christi inter domesticos parietes interemptus est.

Nec secus de B. Petro Arbuesio...

Quorum omnium sanctitatem magnis Dominus signis testatam voluit.

Divino Providentiae consilio factum esse videtur, ut hoc potissimum tempore, quo Ecclesiae unitati tam durum bellum inferitur, strenui unitatis vindices gloria et honore sint augendi. Ut igitur Christi athletas in Sanctorum albo adscribere velis, Beat.me Pater, humillime postulo.

Joseph tit. S. Mariae in Aracoeli Pr. Card. Milesi.

D. BARTOLINI, I, 287-8.

343.

CARD. P. DE SILVESTRI

Nemini compertum non est, Beat.me Pater, Beatum Josaphat Metropolitanæ Polocensis Ecclesiae Ruthenorum Archiepiscopum ita per virtutum semitas continuo ambulasse, ut omnibus omnia factus in animarum salute procuranda totus incumberet. Neque hoc satis ei fuit, sed animam suam tradere cupiens propter Christi Jesu fidem, ut illam inveniret, a scelestissimis schismaticis pro unitate Ecclesiae strenue tuenda et pro Primatu Romani Pontificis defendendo crudeliter obtruncatus

spiritum efflavit. Neque defuere signa a Deo patrata, ut sui Martyris glorificationem ostenderet.

Item et Petrus de Arbues... Hisce ita se habentibus te, Beat.me Pater, enixe adprecor, ut martyres istos plurimis signis et miraculis exinde claros inter Sanctos solemni ritu adscribas.

P. Card. De Silvestri S. Marci tit.

BARTOLINI, I, 288-289.

344.

CARD. CAROLUS SACCONI

Nil melius addicitur festivitati octodecim saeculari martyrii principis apostolorum, eiusque coapostoli Pauli, quam solemnis canonizatio, praesertim eorum, qui et ipsi sanguinem suum pro fide catholica fuderunt. Laetandum ideo est, quod revocatis ad severissimum examen iis omnibus, quae referuntur ad martyrium B. Josaphat Archiepiscopi Polocensis... atque B. Nicolai Picchi et sociorum, possit ultimo loco in hodierno consistorio quaestio agitari de eorum canonizatione... Jure igitur meritoque, Beat.me Pater, dum Christi Ecclesia undequaque vaferime aggredditur, et a Christi Vicario, ab Episcopis universoque Clero indesinenter praelia Domini sunt praelianda, Sanctorum honores Tuo solemni iudicio decernentur iis, qui fortiter certando tam illustria nobis reliquerunt exempla.

Carolus Card. Sacconi

D. BARTOLINI, I, 289.

345.

CARD. M. GARGIA QUESTA

Suffragium laturus in Canonizationis causa BB. Martyrum Josaphat Kunceovich, Petri de Arbues, et Nicolai Picchii cum octodecim sociis... Constat igitur de vero eorum martyrio; constat etiam de miraculis quibus Servorum suorum sanctitatem Deus testari voluit. Unum superest, quod Beatitudo Vestra eos in sanctorum album referat, quo multiplicatis intercessoribus Omnipotens Deus ab Ecclesia mala omnia impendentia avertre tandem dignetur.

M. Card. Gargia Cuesta, Archiep. Compostellan.

D. BARTOLINI, I, 290.

346.

CARD. A. QUAGLIA

Sancta Ecclesia, quam Christus acquisivit roboravitque sanguine suo, fortissimorum virorum foecunda parens et altrix, inter innumeros quos, divinitatis suae testes et assertores invictos, genuit martyres, merito quidem beatos viros Josaphat Kuncevicium Polocensium et Ruthensium Sacrorum Antistitem, Petrum de Arbues, et Nicolaum Pichium ejusque socios recensere laetatur, quorum ex praeclaro certamine cum immanissimis catholici nominis hostibus fortiter suscepto feliciterque absoluto magnum est Ipsa immortalis gloriae incrementum consecuta.

Hi enim, quorum alterum schismaticus furor, alterum haebraica perfidia, reliquos vero effera haereticorum crudelitas, quibuscumque probris ac suppliciis diu primum affectos atque afflictos, dire tandem necavit; omnes plane pro fide sancta catholica asserenda et Sedis Apostolicae juribus tuendis propugnandis alacriter dimicantes sanguinem suum fuderunt, vitam projecerunt. Quamobrem tam insignibus militum Christi victoriis condecorandis illustra non defuere prodigia, nobilis veluti ornamenta triumphi, quae subinde renovata pretiosam eorum in conspectu Domini mortem, partamque iisdem martyrii palmam et praemium luculentissimo testimonio declararent.

Itaque rem plenam laudis, plenam pietatis, fidelibus hoc maxime necessario tempore salutarem, Ecclesiae et huic Sanctae Sedi perhonorificam, nobis denique omnibus jucundissimam te facturum arbitror, Beatissime Pater, si quidem Christianis hisce heroibus supremos cultus honores decreveris; ac eo potissimum die decreveris, quo die Petrus et Paulus Apostoli abhinc annos mille octingentos pro Christo passi sunt, ut solemnem gloriosi eorum martyrii recordationem geminata laetitia Roma concelebrat.

Angelus Tit. ss. Andreae et Gregorii in Monte Coelio
Pr. Card. Quaglia

D. BARTOLINI, I, 291-2.

347.

CARD. A. PANEBIANCO

Quae adhuc in terris militat gloriosissima civitas Dei, quamvis undarum fluctibus atque procellis, tamquam navicula procelloso mari commissa, perpetua vicissitudine divexetur, nulla tamen tempestate concutitur, nullo turbine aut ventis subvertitur; divini siquidem fundatoris virtute solidata in unum corpus connexum et compactum unitate fidei et caritatis assurgit. Ad hanc vero mirabilem unitatem tuendam, tot symbolis in sacris litteris adumbratam ac nobilissimis figuris graphice descriptam, Christus arcano sapientiae consilio cathedram illam in aevum duraturam fundavit, qua et fidei integritas et membrorum inter se et cum capite ipsius mystici corporis connexio immobilis servaretur.

Dum porro veritatis osores et sanctissimae nostrae religionis hostes viribus suis incumbunt, ut Christum dissolvant, ejus Ecclesiam subvertant et Apostolicam Petri cathedram prosternant, quid est optabilius quam ut supremi altarium honores decernantur invictis christiani nominis defensoribus, qui pro tuenda fidei integritate proque Petri sede, praelio strenuissime edito, vitam cum sanguine profuderunt?

Ex his eminet Beatus Josaphat Kuncevicus integritate quidem vitae insignis, sed catholicae fidei et Romani Pontificis primatus non

modo propugnator invictus, sed victima et hostia placationis purissima. Memoratu digna sunt quae jam jam moriturus palam pronuntiavit, ex quibus facile intelligi potest quantus ille fuerit. « Utinam pro vobis, pro Sede Petri successorumque Romanorum Pontificum animam effundam! ». Quod habebat in votis paulo post assecutus est; schismaticorum enim conspiratione commota, in glorioso fidei certamine purissimam animam martyrii aureola redimitam efflavit.

Florebat in Aragonia Petrus de Arbues doctrina et pietate insignis... Venio nunc ad martyres Gorcomienses, quos martyres dixerim illius divini Sacramenti...

Cum vero et authenticis documentis, et Apostolicae Sedis iudicio plane constet de martyrio et causa martyrii, immo vero Deus ipse, editis miraculis, iterum atque saepius eorum gloriam luculenter ostenderit, aequum arbitror, Beatissime Pater, ut qui in tanta temporum hominumque perturbatione cathedram illam singularem tenes, in qua Christus et praesidium fidei et unitatis centrum constituit, invictis martyribus pro tuenda fide proque Petri Sede usque ad mortem strenue decertantibus caelitus sanctorum honores pro Tua pietate decernas.

Antonius Maria tit. SS. XII Apost. S.R.E. Card. Panebianco.

D. BARTOLINI, I, 293.

348.

CARD. J. A. TREVISANATO

... Quod vero pertinet ad Beatos Martyres Josaphat Kuncevic, Archiepiscopum Polocensem, et Petrum de Arbues, Canonicum Regularem Ordinis S. Augustini, eorum Actis perlectis, mihi digni prorsus videntur qui in Sanctorum Martyrum albo recenseantur.

Quapropter, B. P., strenuos hos religionis athletas, qui pro Christo sanguinem fuderunt, ut in Sanctorum albo adnumerare velis, te humillime deprecor, ad maiorem Dei gloriam, atque Ecclesiae Catholicae ornamentum simul et tutamen.

J. A. Card. Trevisanato, Patriarcha Venetiarum.

D. BARTOLINI, I, 293-4.

349.

CARD. ANTONIUS DE LUCA

Petrus Apostolorum Princeps, Beatos Josaphat, Petrum de Arbues... Martyres peculiari quodam iure sibi socios atque consortes adjudicat et vindicat laetissimo saeculari festo ad ipsius Martyrium celebrandum et recolendum instituto.

Isti enim fortissimi Christi milites pro asserenda catholica fide, signanter vero pro Ecclesiae unitate sub uno Capite visibili Petro et pro hujus sacrosanctae Apostolicae Romanae Sedis Primatu exquisitissima tormenta et mortem ipsam alacri invictoquo animo pertulerunt...

Utinam hisce novis praesentissimis apud Deum suffragatoribus

quam citissime et ex voto eveniat, ut schismaticis et haereticis ad gremium et complexum amantissimae Matris Ecclesiae reductis, unum fiat ovile et unus Pastor!

Antoninus tit. SS. Quatuor Coronat. S.R.E. Praest. Card. De Luca.
D. BARTOLINI, I, 294-5. 350.

CARD. ANDREAS BIZZARRI

Providentissimo Dei consilio contigisse arbitror pervetustas causas Beatorum Josaphati, Petri de Arbues... ad hunc usque diem dilatas fuisse; nostra enim aetate, qua divina humanaque omnia pessumdata conspiciamus, et infensissimum bellum contra omne id, quod dicitur Deus, indictum est, expediebat profecto ad christifidelium jacentes animos erigendos in exemplum proponere invictissimos Christi athletas, qui ad catholicam fidem asserendam, tuendamque, ad errores, et schismata profliganda, atque ad perfidiam inimicorum Crucis Christi coërcendam non timuerunt ludibria et verbera carnificum et corpora sua propter Deum ad supplicia tradiderunt... Ideoque enixe deprecor Sanctitatem Tuam, ut eos ad supremos Altarium honores evehere velis...

J. Andreas tit. S. Hieronymi Illir. S.R.E. Card. Bizzarri.
D. BARTOLINI, I, 295. 351.

CARD. LUDOVICUS DE LA LASTRA Y CUESTA

Ad Beatorum Josaphati Kuncevicii Polocensis Ruthenorum Antistitis ex Ordine S. Basilii Magni... sollemnem canonizationem tuto procedi potest, omnibus ad rem pertinentibus mature perpensis. Constat enim, mea quidem sententia, de eorum martyrio... constat insuper de miraculis... Pro eorum igitur canonizatione meum suffragium libenter fero, et Sanctitatem Vestram humillime precor ut ad eam perficiendam procedere dignetur.

Ludovicus Card. De La Lastra Y Cuesta, Archiep. Hispalen.
D. BARTOLINI, I, 295-6. 352.

CARD. JOAN. BAPT. PITRA

Quum de tribus causis hodie propositis... nullam profecto moram interponendam esse arbitror...

Beatum enim Josaphat, Basiliani Ordinis decus, gloriosissimum fuisse Christi athletam, testis est catholica Polonia, quae sanguinem ejus excepit, pro Unitate Ecclesiae effusum...

Nec vero sine divino aliquo consilio factum esse existimo, ut haec nobilissima incitamenta ecclesiasticis religiosisque viris etiam nunc proponantur...

Perge igitur, B. P., dignissimus qui martyrum fastis nova notes nomina...

Joannes Baptista tit. S. Calixti Pr. Card. Pitra.

D. BARTOLINI, I, 296-8.

353.

CARD. PHILIPPUS GUIDI

Quum, quod in catholica Ecclesia augustius est, ejus nempe unitatem, Romani Pontificis auctoritatem, Petram illam, super quam aedificata infernas portas et conatus dissolvit... acerbissimis hisce temporibus pessumdare, quin de medio tollere illius quotquot sunt osores collatis inter se viribus enixe conentur... nihil utilius est quam signum aliquod recens fidelibus sustollere... nihil satius, quam novos apud Deum Patronos eis proponere, sancire, quibus intercedentibus et illi hoc praestent, et hostes Dei, Dei agente gratia, Ecclesiae filii peramantes evadant.

B. Josaphat Kuncevicus integritatem adolescentiae, ac iuventutis monastica D. Basilii Magni disciplina perficiens, animarum vero zelo praestans, dum se in Archiepiscopatu Polocensi boni Pastoris absolutum exemplar praeberet, pro unitate Ecclesiae, Romanique Pontificis Primatu asserendis, ac servandis animam lubentissime profudit, morte sua feliciter novos ex hostibus Ecclesiae filios pariens.

B. Petrus Arbuesius... B. Nicolaus Pichius eiusque socii...

Cum igitur, B. P., ad eorum canonizationem omnia rite et quoad Martyrii causam, et quoad signa, et prodigia expleta sint, saluberrimum arbitror, ut omnes oraculo tuo summo Sanctorum Albo recenseantur, quorum patrocinio fideles vincant, hostes Ecclesiae resipiscant, atque haec tranquilla unitate laetetur.

Fr. Philippus M. tit. S. Xysti Card. Guidi, Archiep. Bononien.

D. BARTOLINI, I, 298-9.

354.

CARD. HENRICUS DE BONNECHOSE

Ab adolescentia, imo a pueritia virtutibus heroicis jam effulsit Beatus Josaphat Kuncevicus. Patorali decoratus officio, dignitatem suam aliasque virtutes exornavit zelo salutis animarum, praesertim in schismate degentium. Propugnator Ecclesiae unitatis, primatusque Romani Pontificis, et sic perutile praebens exemplum, martyrio vitam consummavit et in morte miraculis claruit.

Beatus Petrus... Quapropter, B. P., Sanctitatem Vestram humillime deprecor, ut invictissimos supradictos martyres, id est, B. Josaphat Kuncevicus, B. Petrum de Arbues... inter sanctos annumerare digneris...

Henricus Card. De Bonnechose, Archiep. Rothomagen.

D. BARTOLINI, I, 299-301.

355.

CARD. G. DE HOHENLOHE

Pretiosus Sanctorum sanguis, qui ab iniquis effusus est, clamat ante thronum Dei et Agni, pro Ecclesiae persecutoribus veniam impetrando, gratiam Christi et gloriam.

Clamat ex nordica terra sanguis Beati Praesulis Josaphat qui pro grege sibi commisso mori non dubitavit, et usque adhuc ad thronum misericordiae Divinae jugiter inclamat, sicut olim cum in humanis versaretur, gemitibus exorabat: « *Domine Deus meus da unionem Sanctae Ecclesiae, et Schismaticorum conversionem* ».

Josaphat ex monasterio S. Basilii Magni ubi virtutum laude et sanctitatis fama florebat, ad onus Episcopale Polocensis Ecclesiae assumptus, boni Pastoris munia tali zelo ac vigilantia exequabatur ut impiorum et schismaticorum odium in se concitaverit, quod cum in apertam erupisset violentiam, nefarii homines mitem et sanctum Praesulem aggrediuntur, et gladiis crudeliter obtruncant.

Ast Deus miris signis et portentis, schismaticorum poenitentia ac reditu ad Romanae Ecclesiae unitatem, Beati Antistitis sanctitatem et gloriam testatam voluit. Quae omnia cum per Apostolicos judices et acta iam sint comprobata, enixe postulo, B. P., ut hunc Christi athletam SS. Martyrum coetui adscribere digneris.

Supplex item peto... coronari decernat Beatum Petrum de Arbues... ut summis honoribus exaltentur Beati Martyres Gorconienses...

Per te, igitur, B. P., sanctorum honos et gloria eisdem in Ecclesia decernantur. Hoc est enim quod enixis precibus postulo.

G. Card. De Hohenlohe

D. BARTOLINI, I, 301-2.

356.

CARD. ALOYSIUS BILIO

Praeclarissimi viri, de quibus in Sanctorum Martyrum numero censendis nunc agitur, gloriosum sanguinem fuderunt pro Domino, amaverunt Christum in vita sua, imitati sunt eum in morte sua. Mortem illis intulerunt nefarii homines ex insectatione Catholicae Religionis potissimum vero ex odio Apostolicae hujus Sedis, Ecclesiarum omnium Matris ac Magistrae, ad quam Beatus Josaphatus Kuncevicus Ruthenos schismaticos reducere conabatur... Quapropter cum legitime constet de vero eorum omnium Martyrio deque necessaria Martyrii causa, quam praeterea Deus Omnipotens miraculis ac signis rite approbatis testatam voluit, non est profecto, cur inclytis illis viris Beatorum cultum jam pridem ex Apostolicae Sedis auctoritate adeptis prorogentur diutius in militante Ecclesia sollemniores Sanctorum Caelitum honores. Quos tu, B. P., iisdem fortissimis Christi athletis supremo tuo et irrefragabili judicio decernere velis, humillime et ipse rogo atque obtestor.

Aloysius tit. S. Laurentii in Panisperna Praesb. Card. Bilio.

D. BARTOLINI, I, 302.

357.

CARD. JOSEPH UGOLINI

Nihil est iucundius, atque opportunius miserrima hac nostra aetate, quam Dei famulos Josaphat Kuncevicium Archiepiscopum, Petrum... inter Sanctos referre et Patronos in Coelis constituere. Hi sunt qui cum jam in vita sua orthodoxae fidei vindices et Primatus Apostolicae Sedis, ad sanguinis usque effusionem adsertores extiterint, in praesenti Ecclesiae discrimine fient apud Deum propugnatores validissimi. Quod a te, B. P., enixis precibus instantissime postulo.

Joseph Card. Ugolini

D. BARTOLINI, I, 302-3.

358.

CARD. J. BOFONDI

Gloriosum triumphum de indifferentismo religioso, teterrima praesentis temporis pernicie, quem oraculis suis S.V. prudentissime inchoavit ad perfectum absolutumque complementum adducet canonizatio fortissimorum martyrum Josaphat Archiepiscopi Polocensis, Petri... Exempla namque heroicae constantiae Beati Archiepiscopi extrema quaeque, et mortem tolerantis in defensionem catholicae unitatis, Beati Petri... Ad laudem itaque omnipotentis Dei excipiantur universi Orbis legitima vota; si tamen B.V. placitum fuerit.

J. Card. Bofondi

D. BARTOLINI, I, 303-4.

359.

CARD. JACOBUS ANTONELLI

Providentissimo Dei consilio factum arbitror, ut quo tempore centenariam Petri celebritatem solemni honore prosequimur, eodem de Beatis Martyribus Josaphato Kuncevicio Archiepiscopo Polocensi et Ruthensi, Petro... supremo Sanctorum Caelitum honore decorandis ageretur. Enim vero studium in asserendo Petri Romanique Pontificis primatu, et in fidei communionisque unitate cum eo rite custodienda causa fuit, cur a nefariis hominibus superstitione judaica, schismate photiano, atque haeresi calviniana obstrictis, ignominia, cruciatibus ac nece ipsa mulctarentur. Quae omnia laeti atque alacres subiere ut fidem, quam sancte servarant, pro qua strenue adlaboraverant, etiam profusi sanguinis testimonio obsignarent. Quae cum ita sint, supplex S.V. deprecor, ut invictos hosce fidei assertores solemni catholici cultus ornamento cohonestare dignetur...

Jacobus Card. Antonelli

D. BARTOLINI, I, 304.

360.

CARD. PROSPER CATERINI

In re undique explorata, B.me Pater, quid ulterius sit inquirendum, non video. Etenim constat luculentissime de martyrio, quod Beati

Josaphat, Petrus de Arbues, et Nicolaus cum aliis duobus de viginti sociis Gorcomiensibus fortiter subierunt: constat de vera martyrii causa, ne scilicet fidei catholicae, ac etiam, ut ajunt, soli *papismo* romano renuntiarent: constat de signis a Deo patrat, quibus testatam voluit eorundem sanctitatem, ac promeritam supernam gloriam. Nobis itaque potius exultandum ac laetandum restat, quod illorum solemnis canonizatio a duobus plus minus abhinc saeculis jam decreta, arcana quadam oblivione, prorogata fuerit ad haec usque tempora, quibus rebelles homines ex universo terrarum orbe in unum convenientes manifeste vel clanculum dimicant adversus Dominum et adversus Christi divinitatem, sanctamque Petri Cathedram: mihi namque videtur, Deum, cujus bonitatis infinitus est thesaurus, nunc ad consolationem et robur bonorum, itemque ad illuminationem et conversionem malorum velle ostendere publica pompa magnalia sua in sanctis suis, eosque in terris glorificare, qui eum confessi sunt coram hominibus, et atrocissimi martyrii palmam consecuti ad caelestia regna jam gloriose prevenerunt. Humillime igitur rogo ac deprecor P. S., ut velis infallibili tuo iudicio hujusmodi heroes fastis Sanctorum martyrum solemni ritu adscribere.

Prosper Card. Caterini

D. BARTOLINI, I, 305-6.

361.

CARD. GASPARD GRASSELINI

Duplex spectaculum, duplex triumphus universo spectanti Orbi in proxima solemnitate ab Ecclesia Dei exhibetur, crudelitas gentilitatis in passione duorum sanctorum Apostolorum, crudelitas haereseos in passione fortiorum hominum quorum per acta versamur. Sive tormentorum acerbiter, sive martyrum constantiam, sive spectes fidei et caritatis ardorem nihil deest; nihil differt inter gesta primi aut sextidecimi saeculi. Causa passionis et titulus idem, idest bellum antiquum, ferox, interminum adversus caelestem doctrinam, caelestia praecepta... Divino consilio prorsus factum est quod uno eodemque die octodecim post saecula sanguis et sepulcra orientis Ecclesiae, sanguis et nomina Martyrum sequentium saeculorum ab universo catholico Orbe apud Pontificem Maximum congregato thurificarentur et in Sanctorum albo adscriberentur.

Eadem sentio in causa Beati Josaphati Kuncevicii etiam ob tot mirabiles exantlatos labores.

Gaspar Card. Grassellini

D. BARTOLINI, I, 306-7.

362.

CARD. THEODULPHUS MERTEL

... Cuius quidem canonizationis solemnem actionem neque aptius

neque oportunius perfici posse puto quam recurrente decimaoctava centenaria commemoratione martyrii Principum Apostolorum...

Theodulphus S. Eustachii Diac. Card. Mertel

D. BARTOLINI, I, 307.

363.

CARD. F. PENTINI

Sanctitas Vestra die secunda Maii anni MDCCCLXV declaravit tuto procedi posse ad solemnem Beati Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis, et Ruthensis martyris canonizationem; ideo nil aliud inquirendum esse censeo, et humiliter hanc sententiam submitto Sanctitatis Vestrae sapientiae.

F. Card. Pentini

D. BARTOLINI, I, 307.

364.

CARD. DOMINICUS CONSOLINI

Cum Beati Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis vitam virtutes martyrium miracula mecum ipse perpendo;

Cum praeterea merita Beati Petri de Arbues... Cum Beatum Nicolaum... Itaque Sanctitatem Tuam supplex efflagito, ut iis omnibus Beatorum titulo jam decoratis majores etiam Sanctorum Coelites honores rite persolvendos eo iudicio decernas, cui soli universitas Christifidelium ubique terrarum obtemperat.

Dominicus Card. Consolini

D. BARTOLINI, I, 308.

365.

PATR. CONSTANTINOPOLITANUS ROGERIUS

In causis canonizationis Martyrum Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus orientalis, Petri... votis mox panditis a S.R.E. Cardinalibus libentissime assentior...

Rogerus Patriarcha Constantinopolitanus

D. BARTOLINI, I, 309 (in lingua araba et latina).

366.

PAULUS PETRUS MASSUD, PATR. MARONITARUM

Compendiis historiae martyrii et miraculorum nec non actorum in causa canonizationis Beatorum Josaphat Kuncevicii, Petri... perlectis magno percussus sum admirationis aestu tam praeclarium tum patientiae tum fortitudinis, tum tot aliarum virtutum, quarum exemplum omnibus hisce praesertim temporibus esse existimo.

Ideo S.T. enix oro precorque, ut in tantarum virtutum remunerationem in terris, ad fidelium praesertim Ecclesiasticorum ad libenter pro Christo adversa ferenda, animum relevandum, in Sanctorum albo hos athletas adscribere velle digneris.

Paulus Petrus Massud,

Patriarcha Maronita Antiochiae totiusque Orientis

D. BARTOLINI, I, 310.

JOSEPHUS PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS

367.

Nihil profecto aequius, nihil dignius Deo justissimo ac sapientissimo, quam quod in Ecclesia sua institutum voluit, ut ii qui pro Christo glorioso martyrio vitam fundere non dubitarunt, sicut viam passionis experti sunt, ita experiantur et vitae; et Christo, qui Caput est Martyrum, sicut in terris usque ad sanguinem adhaeserunt, ita et in coelis tamquam digna membra socientur, illius triumphalis gloriae participes effecti, qui socii fuerunt et contumeliae. Hujusmodi fuisse Beatos Josaphat Archiepiscopum Polocensem, Petrum... Unde attentis praesentium temporum circumstantiis et accedente praesertim supremo atque irrefragabili S.V. decreto, ipsis et martyrii nomen, et cultum et triumphum arbitror convenire;

Josephus Patriarcha Hierosolymitanus.

D. BARTOLINI, I, 310-1.

368.

THOMAS INDIARUM OCCIDENTALIUM PATRIARCHA

Accurate ac diligenter perscrutato processu canonico historiae martyrii et miraculorum nec non actorum in canonizationis causa Beatorum Josaphat Kunceovich Archiepiscopi, Petri... tam manifeste apparent innumeris comprobata miraculis eorum inclyta merita suaque corpora propter Deum ad supplicia tradidisse, ut dignum et iustum grato animo sentio tuo, B.P., sapientissimo et irrefragabili submittere iudicio et pro eorundem expetita canonizatione meum ex toto corde adhibere suffragium.

Thomas Indiarum Occidentalium Patriarcha.

D. BARTOLINI, I, 311 (lingua armena et latina).

369.

GREGORIUS BALITIAN, ARMEN.

Quum invictos Fidei Catholicae Heroes Beatum Josaphat Archiepiscopum Polocensem, et Beatos... pro causa Dei sanguinem suum fudisse constet, quid aliud deest, nisi tu, B.P., qui locum Christi in terris tenes, Sanctorum iisdem decernere cultum digneris?

Gregorius Balitian, Archiep. Armenus Allepen.

D. BARTOLINI, I, 311-2.

370.

S. VITELLESCHI, ARCHIEP. EP. AUXIMAN.

Beatorum martyrum Gorconiensium memoria iamdiu a christifidelibus jure meritoque honoratur... itemque B. Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis, viri sanctissimi, animarum zelo celeberrimi, quem schismatici homines de medio sustulerunt, quod ejus pios pro Catholica unitate instauranda conatus ferre non possent. Quos omnes beatissimos Christi Martyres prodigiorum quoque gloria illustres in Sanctorum Censum cooptari et dignum existimo, et vehementer cupio,

ut cum sancta Christi Religio impiorum hominum telis maxime impetit, eo potissimum tempore praeclara Christianae Fidei, et fortitudinis exempla hominibus proponantur.

Salvator de Nobilibus Vitelleschi
Archiep. Ep. Auximanus et Cingulan.

D. BARTOLINI, I, 312-3.

371.

ALOYSIUS CLEMENTI, ARCHIEP. ARIMINENSIS

Generalia S. Rituum Congregationis comitia, auctoritate Apostolica statutis convocata temporibus, actis omnibus accurata disquisitione perpensis super martyrio ac miraculis Beatorum Josaphati Archiepiscopi Polocensis, Petri... ad Beatorum illorum canonizationem tuto procedi posse uno ore edixerunt, datamque sententiam prolatis suo tempore decretis Apostolicum sanxit oraculum.

Cum itaque probatum satis superque sit, praeclarissimos illos sanctae nostrae Religionis athletas... Beatos potissimum Josaphatum et Gorcomienses crudelissimo fuisse supplicio mulctatos ab hominibus feritate ac immanitate nequissimis, eapropter in Sanctorum album jure meritoque accensendos esse reor, dignosque qui populi christiani universi cultui ac venerationi proponantur...

Aloisius Archiep. Clementi Ep. Arminensis.

D. BARTOLINI, I, pag. 313.

372.

CAROLUS POOTEN, ARCHIEP. ANTIBAREN.

Aequissimum esse arbitror, ut honore quam maximo colantur in terris, qui fuso pro Christi Fide sanguine gloriosi cum ipso jam regnant in coelis. Inter hos profecto adnumerandi sunt Beati Martyres Josaphat Kunceovich Archiepiscopus Polocensis Ruthenorum ritus Orientalis a Schismaticis crudelissime necatus, Petrus... cumque Deus Opt. Max. Servorum suorum sanctitatem atque ingentem in coelis gloriam splendidis miraculis manifestare dignatus sit, te rogo, Pater Sanctissime, ut infallibili, qua polles auctoritate, iisdem Beatis Martyribus cultum Sanctis debitum decernere velis.

Carolus Pooten Archiep. Antibaren.
et Scolrensis, Severiae Primas.

D. BARTOLINI, I, 314 (in lingua graeca et latina).

373.

IGNATIUS, ARCHIEP. BURREN. ET HERAN.

Cum constitisset, omnibus bene perpensis, de eximia sanctitate et miraculis quibus claruerunt Beati Dei Martyres, de quibus agitur hac solemni die, persuasum est mihi eorum Canonizationem incrementum esse allaturam Dei gloriae et Fidei, nec non novum argumentum benevolentiae S. Sedis erga Orientalem Ecclesiam, quae per tot saecula Sanctorum orba gratissimo animo futura immortalesque gratias Tuae Sanc-

titati actura, si in persona Beati Josaphat ornamentum decusque his in terris et patronum magnum in coelis habebit.

Deprecor ergo ut Sanctitas Tua illum cum aliis Martyribus in Sanctorum albo recensere dignetur.

Ignatius, Archiepiscopus Burrae et Heran.

D. BARTOLINI, I, 314-315.

374.

ANTONIUS ROSSI-VACCARI, ARCHIEP. COLOSSEN.

Isti praeclarissimi athletae Fidei Christi maximo zelo pugnauerunt contra haereticos Calvinistas, et nituerunt tamquam faces ardentes Ecclesiae Catholicae. Neque praetermittendus est Beatus Josaphat Archiepiscopus Ecclesiae suae ornamentum, nam ipse suo gregi verbis, et exemplis praeluxit, emendavit errores, errantes ad bonam frugem reduxit et suo charitatis fervore multos schismaticos ad ovile Christi adduxit... De horum martyrio procul dubio gaudet sancta Mater Ecclesia, quia ipsis intercedentibus de suis inimicis expectat triumphum. Quamobrem te, P.S., enixis precibus exoro, ut solemnii canonizatione eorum merita Ecclesiae universae proponas.

Antonius Rossi-Vaccari, Archiep. Colossen.

D. BARTOLINI, I, 315-6.

375.

JOAN. BAPT. PURCELL, ARCHIEP. CINCINNATEN.

Gaudeo in Domino, et exultat anima mea in Deo meo, quia a benignitate S.V. iterum vocatus... ego quoque vocem meam ad supremam Petri cathedram atollere audeo orans atque obsecrans, ut Apostolica auctoritate declarare digneris Sanctos cum Deo regnantes praestantissimos Martyres, scilicet Josaphat Kunceвич Archiepiscopum, Petrum... Nemo quidem est qui non videt, quantum decoris et emolumenti a solemnii hoc magnificoque apparatu suscipiet hisce miserrimis temporibus, qui tot tantisque modis labefactatur, et quantum incrementi Ecclesiae Dei obveniet... Quapropter, B.P., sanctorum fastis hos gloriosos martyres precor adscribas, ut eorum precibus fideles omnes roborentur in fide, deficientes a fide ad sinum Ecclesiae matris revertantur, et omnes addiscant, in unica catholica confessione et doctrina consequi posse aeternam salutem.

Joannes Bapt. Purcell, Archiep. Concinnaten.

D. BARTOLINI, I, 316-7 (in lingua armena et latina).

376.

ANTONIUS HASSUN, ARCHIEP. PRIMAS ARMEN.

Omnibus jam mature perpensis de martyrio et miraculis Beatorum Josaphat Kunceвич Polocensis Archiepiscopi, et Petri... humillime oro atque obsecro S.T. ut ad laudem Omnipotentis Dei et ad augendam Ecclesiae suae sanctae gloriam eos utpote strenuos fidei defensores supremo tuo iudicio in Sanctorum album referre digneris.

Antonius Hassun, Archiep. Primas
Armenus Constantinopolitan.

D. BARTOLINI, I, 316-17 (in lingua armena et latina). 377.

PETRUS APELIAN, ARCHIEP. ARMENUS MARASCI

Beati Josaphat Archiepiscopi Polocensis Ecclesiae Unitatis et Primatus Romani Pontificis accerrimi Propugnatoris et XIX Martyrum Gorcomiensium et Petri de Arbues confessio in fide, fortitudo in spe, et latitudo in caritate praeclare patet ex epitome Actorum in causa canonizationis eorumdem. Quapropter majore qua possum animi alacritate te, B.P., oro obtestorque ut eosdem in Sanctorum Catalogum referre digneris.

Petrus Apelian, Archiep. Armenus Marasci.

D. BARTOLINI, I, 317-318 (in lingua armena et latina). 378.

IGNATIUS KALYBGIAN, ARCHIEP. ARMENUS AMASIENSIS

Ex relatis in compendio Martyrii et Miraculorum Beati Josaphat Polocensis Archiepiscopi et XIX Mart. Gorcomiensium et Beati Petri de Arbues patet evidentissime posse ad ipsorum canonizationem tuto procedi. Quamobrem humillime obsecro Sanctitatem Tuam ut qui coronam de consummatione virtutis acceperunt, irrefragabili tuo iudicio Sanctorum cultu honorentur.

Ignatius Kalybgian, Archiep. Armenus Amasiensis.

D. BARTOLINI, I, 318-319 (in lingua armena et latina). 379.

MICHAËL BASILIUS GASPARIAN,
ARCHIEP. CYPRI NATIONIS ARMENAE

Cum ex auctoritate apostolica peracto examine a SS. Rituum Congregatione comprobata fuerunt acta martyrii, quod pro fide catholica subierunt Beati Josaphat Kunceovich Archiepiscopus Ruthenorum, Petrus... etiam ego vota perago, ut praedicti Martyres, qui a Deo iam receperunt in caelis triumphii coronam, supremo Decreto S.T. solemniter adscribantur inter Sanctos, qui Ecclesiam militantem firmissimae fidei et praeclare virtutis testimonio, effuso sanguine, condecorarunt, in Dei gloriam, et in sanctissimum exemplum a fidelibus Ecclesiae Jesu Christi summo studio imitandum.

Michaël Basilius Gasparian, Archiep. Cypri Nationis Armenae.

D. BARTOLINI, I, 319-20. 380.

EMANUEL, ARCHIEP. CAESARAUGUSTANUS

Attente perlecta brevi historia omnium... in causa Canonizationis BB. Martyrum Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis et Ruthensis ex Ordine Sancti Basilii Magni, Petri... nullus meo iudicio relinquatur dubitandi locus, quin hi omnes, qui ut veri Christi Athletae pro iustitia certarunt usque ad mortem et calicem Domini biberunt, digni

sint qui in Sanctorum albo solemni decreto recenseantur, si tamen ita S.V. placuerit.

Fr. Emmanuel, Archiepiscopus Caesaraugustanus.

D. BARTOLINI, I, 320.

381.

JOSEPH B. DUSMET, ARCHIEP. CATANIEN.

Omnibus iam rite peractis quae pro Beatorum Petri... Josaphati Kunceovich et ... canonizatione Sacri Canones postulant, humillime te rogo ne supremam differas sententiam, qua Sanctorum dypticis ipsorum nomina adscribi possint...

Joseph Benedictus Dusmet, Archiep. Catanien.

D. BARTOLINI, I, 320-321.

382.

FELICISSIMUS, ARCHIEP. CAMERTIUM

Nobile invictae fortitudinis spectaculum Beati Martyres Josaphat Kuncevicus, Petrus... quorum gloriosa passio mihi quidem non tam solemni asserenda suffragio, quam amplissimis laudibus proseguenda atque exornanda videtur... si prodigia demum, quibus eorum in obitu divini se Numinis favor ostendit, plura quidem eademque illustria cum subito, tum sequenti tempore patrata fueunt.

Nihil igitur, mea quidem sententia, superest, V.P., nisi ut quos, confectis iam veluti stipendiis, beata in coelestibus castris requie perfrui credimus, eos uti novos militantis Ecclesiae patronos supremis cultus honoribus veneremur...

Felicissimus, Archiep. Camertium et Adm. Trejae.

D. BARTOLINI, I, 321-2.

383.

SPIRIDION MADDALENA, ARCHIEP. CORCYRENSIS

Magna prorsus cordis mei voluptate ego etiam minimus Episcoporum in Graecis terris degentium, humillimas S.T. porrigo preces, ut Beatum Josaphat Kunceovich Ruthenorum ritus Orientalis Archiepiscopum, qui pro catholicae fidei veritate, et pro Orientalis cum Occidentali Ecclesia unione sanguinem fudit coetui Sanctorum infallibili tua adscribas auctoritate. Spem enim vivam enutrio fore ut Beatus iste qui tam fortiter pro unione Ecclesiae dimicavit obtineat tandem a D.O.M. hanc ipsam Graecae cum Latina Ecclesia Unionem schismaticorumque ad sinum Ecclesiae Catholicae reditum.

Easdem etiam... Et utinam Christiani omnes ita eorum incitentur exemplo, ut parati sint mortem potius oppetere quam Catholicae Ecclesiae doctrinis et praeceptis valedicere.

Spiridion Maddalena, Archiep. Corcyrensis
et Apost. Adm. Zacynthi et Cephaloniae.

D. BARTOLINI, I, pag. 322-3 (in lingua armena et latina). 384.
JOANNES HAGIAN, ARCHIEP. ARMEN. CAESARIENSIS

Ego infrascriptus... humillime censeo tuto posse procedi ad canonizationem Beatorum Josaphat Archiepiscopi... Quamobrem precor S. T. ut irrefragabili tuo judicio eosdem in Sanctorum Album referre digneris.

Joannes Hagian, Archiep. Armenus Caesariensis Capadociae.

D. BARTOLINI, I, 323. 385.
RAPHAËL DE AMBROSIO, ARCHIEP. DYRRACHIEN.

Beati Martyres Josaphat Kunceovich, Petrus... meruerunt habere Agnum tamquam supremum belli ducem, qui pugnabat, et confortabat eos in atrocissimis cruciatibus ad victoriam contra tyrannos... Hi martyres empti sunt de terra in cives caelesti Jerusalem pretio sanguinis Christi, et pretio proprii sanguinis... pro acerrima propugnatione Ecclesiae unitatis, ac primatus Romani Pontificis adversus Schismaticos... Idcirco enixissime deprecor te, B. P., ut hisce Christianis heroibus Sanctorum honores decernere digneris.

Fr. Raphael de Ambrosio, Archiep. Dyrrachiensis.

D. BARTOLINI, I, 324 (in lingua araba et latina). 386.
JOANNES HAGGI, ARCHIEP. ELIOPOLIS MARONITA

Consideratis iis, quae passi sunt BB. Martyres Josaphat Kunceovich, Petrus... et signis quibus Deus Opt. Mar. testimonium beneplaciti sui erga eosdem praebere voluit... nil iustius mihi videtur quam ut ad solemnem eorundem fidei catholicae athletarum canonizationem procedere digneris...

Joannes Haggi, Archiep. Eliopolis Maronita.

D. BARTOLINI, I, 325-8. 387.
J. CARDONI, ARCHIEP. EDESSENI

Fortes ac invictissimos Martyres semper habuit Ecclesia, quae pretioso Christi cruore fundata, Martyrum sanguine foecundata crevit, ac per totum orbem diffusa est: horum canonum humillimo meo judicio sequentes Beatos accensendos esse existimarem.

Primus est insignis Polocensis Archiepiscopus Beatus Josaphat Kuncevicus. Praetermissis virtutibus, quibus Dei Servus emicuit intra Monasterii Vilenensis claustra, nemo non admirabitur in ipso omnes doctes, quibus juxta Apostoli monita Pastores Ecclesiae ornatos esse oportet. Legimus autem eum, ut ministerium, quod in Domino acceperat, exple-ret, ad extirpandos errores, ad abusos repellendos, ad vitia coercenda, ad disciplinam reparandam, ad pietatem fovendam, ad aeternam populi sibi concrediti salutem procurandam totis viribus incubuisse. Sed nil ei magis cordi fuit, quam ut schismaticos ad unitatem Ecclesiae reduceret: hic praecipuas curas et cogitationes intendit; in hunc finem con-

tinuas ad coelum preces dies noctesque attollebat. Quid? hac amussim de causa sanguinem fudit: *utinam pro unione sancta, pro Petri Sede, Successorumque ejus RR. Pontificum animam effundam*, ita e suggestu compellabat Vitebscenses, qui paulo post violentis in eum manibus coniectis crudeli morte eum necarunt. Quanti caeleste Beati Josaphati patrocinium valeat, miracula ab ipso patrata satis ostendunt. Si igitur ejus memoria ampliori in terris cultu celebrabitur, haud ambigendum eum preces ingeminaturum fore ad Patrem luminum, ut Graeci catholici huic Petri Cathedrae tenacius adhaereant, et miseri errantes ad Christi ovile citius redeant.

Alter est B. Petrus de Arbues...

Excipe igitur, Beatissime Pater, has humillimas meas preces; persuasum namque mihi est, opportunum fore, ut hisce temporibus, quibus humana ratio novum Christianae fidei bellum instauravit, nobiles ejusdem fidei propugnatores novis honoribus augeantur, quia horum exemplum novos addet stimulos Ecclesiae ministris ad praelia Domini strenue praelianda.

✠ Joseph Cardoni Archiep. Edessenus.

D. BARTOLINI, I, 328-9.

388.

JOACHIM, ARCHIEP. FLORENTINUS

Cum meam sententiam de Canonizatione Beatorum Martyrum Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus orientalis ex Ordine S. Basilii Magni, et Petri de Arbues... aperire debeam, paucis me verbis expediam. Ex iis enim, quibus vel primoribus labiis superscriptorum Martyrum historiam attingere contigit, nemo est qui eos hoc honore dignissimos non existimet. Cum ipsi, ut propius Deo ac Ecclesiae suae inservirent, vitam sacerdotalem susceperint, vel Regularibus Ordinibus nomen dederint, mirum est quanta diligentia munera sua impleverint, quanto zelo in animarum salute procuranda flagraverint, quanta caritate in Deum, proximumque exarserint, et, si ob humanae naturae fragilitatem aliquis ex eis aliquando a recto tramite defecit, quanta alacritate ac cordis dolore resipuerit; quo tandem animo hi omnes fortissimi athletae, ne suo deessent officio, minas ac pericula contempserunt, quaque invicta constantia pro nomine Jesu ejusque catholica fide tuenda glorioso martyrio sanguinem vitamque profuderint. Ex miraculis vero, quae per eorum intercessionem a Deo sunt patrata, Dominum, qui semper est magnificentissimus retributor, gratum acceptumque ipsorum sacrificium habuisse, eosque, ut ita dicam, peculiari gloria in coelis coronasse apertissime compertum est. Praeterea his luctuosissimis temporibus, quibus caro adversus spiritum, mundus adversus Ecclesiam ejusque visibile caput, filii Belial adversus Dominum et Christum ejus

nefario ausu acerrime dimicant, illos in Sanctorum numerum referre maxime optabile ac opportunum videtur. In hos Dei ac suae ecclesiae infensissimos hostes refellendo virorum ecclesiasticorum primae sunt partes, qui sicuti caeteros christifideles honore et dignitate supereminent, ita in praeliis Domini praeliandis praestantia ac virtute praeire debent. Quod ergo praeclarius, et huic tempestati aptius vitae sacerdotalis exemplar inspiciendum eis offerri potest? In his enim beatis martyribus, qui pro sua quisque conditione egregiis virtutibus emicuerunt, omnes vel Episcopi, vel cujuslibet gradus sacerdotes quid imitentur invenient. Quapropter inter sanctos quantocius esse recensendos puto; et Beatitudinem Tuam humillime precor, ut tuo irreformabili iudicio ad laudem Dei, Ecclesiae gloriam, utriusque cleri exemplum, et ad fidei catholicae in regnis Hollandiae et praecipue Poloniae, quae magnis afflictationibus laborat, tutamen, praesidium et decus, eos in coelitum fastis solemniter adscribere velis, supremosque honores illis conferendos esse jubeas ac decernas.

✠ Joachim Archiepiscopus Florentinus.

D. BARTOLINI, I, 329-330.

389.

BENVENUTUS, ARCHIEP. GRANATEN.

Cum his in temporibus lacrimabilis perditorum hominum ingluvies conspiciatur undequaque mortifera spargens errorum venena, nihil per-jucundius, B.me Pater, quam ei Sanctorum cum Christo conregnantium invictam opponere turmam, quae instar facis e caelo clarissimae huc usque in terris tenebras irradiet. Ejusmodi quidem turma ex Martyribus Petro de Arbues, Josaphat Kuncevicio, et novemdecim Gorcomiensibus coalescit, quorum primus secunda, et ultimi sexta solemnii Beatificatione in Basilica Vaticana donati fuere. Et nunc, B.me Pater, cum de actis benevisis super eorum omnium Canonizationis causa liquido appareat ipsos verum subiisse martyrium, quatenus pro tuenda fide suum sanguinem libentissime fuderunt; cumque de miraculis eorundem intuitu a Deo patratis certo identidem constet juxta actorum seriem satis mature perpensam, tantum superest, B.me Pater, ut tuo supremo iudicio, ac infallibili sententia eos omnes in Sanctorum Martyrum qui pro Christo Domino sanguinem suum fuderunt glorioso cathalogo adscribas ad majorem Dei gloriam, et triumphantis Ecclesiae laetitiam; necnon ad militantis speciale munimen et tutelam, quam ei abs dubio donabunt B. Josaphat Kuncevicus contra schismaticorum orientalium ac praecipue russorum irruentes incursus...

✠ Benvenutus, Archiepiscopus Granatensis.

D. BARTOLINI, I, 330-1.

390.

M. LEDOCHOWSKI, ARCHIEP. GNESNEN.

Liquet ex brevibus at accurate cura S. R. C. conscriptis compendiis martyrii et miraculorum Beatorum Martyrum Josaphat Kuncewich Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus Orientalis ex Ordine S. Basilii Magni; Petri de Arbues... adamussim fuisse servatas singulas leges Apostolicis constitutionibus in causis Beatificationum atque Canonizationum latas, nec posse dubitari, sive de causa eorum martyrii, sive de miraculorum, illis invocatis, a Deo patratorum veritate. Hinc humillimas preces meas tot aliorum supplicationibus adjungere et ad Sanctitatis Tuae pedes deponere audeo, ut pro majore horum Beatorum gloria, pro Sanctae Ecclesiae gravissimis tempestatibus plurimis in locis afflictae solatio, et pro novo a cunctis christicolis imitando fortitudinis exemplo in sustinenda atque defendenda ubicunque appetitur catholica fide, ad solemnem eorundem Beatorum Canonizationem, quam tute perfici posse censeo, procedere dignetur.

Mieczislaus Ledochowski Archiep. Gnesnensis
et Posnaniensis Primas.

D. BARTOLINI, I, 331-2.

391.

A. PUECHER, ARCHIEP. ICONIEN.

Causa canonizationis Beati Martyris Josaphat Kuncewich Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus Orientalis, nec non illa B. Martyris Petri de Arbues Canonici Regularis, ac tandem causa Beatorum Martyrum Gorcomiensium Nicolai Pichii cum octodecim sociis, plane ac rite omnibus absolutis, quae de more in Sacrorum Rituum Congregatione exiguntur, ita se undique offerunt ut ex earundem definitiva conclusione arbitror magnum decus Sanctae Ecclesiae Catholicae Romanae futurum, maximumque pietatis emolumentum Christifideles esse habituros. Inexpugnabili quidem animi virtute pro Ecclesiae unitate servanda, pro fidei morumque integritate tuenda et pro supremo Divi Petri ejusdem Successorum Romanorum Pontificum Primatu asserendo, hi sanctissimi ac clarissimi Viri mortem acerbissimam perferre haud dubitaverunt. Et quoniam in hac iniquissima tempestate christiani nominis hostes iterum totis viribus unitatem Ecclesiae dilacerare, sanctas ejusdem leges contemnere, auctoritatem Romani Pontificis denegare contendant, perutile sane erit haec catholicae ac sacerdotalis fortitudinis exempla venerationi omnium fidelium praebere, non solum ut exinde argumentum desumant in fide permanendi immotos, sed ut excitentur etiam atque etiam ad auxilium eorum intercessione ab omnipotenti Deo implorandum, quo tandem finem habeat abominatio; et perditi homines

in viam justitiae revocati, lumen veritatis agnoscant, doctrinam Christi sincero corde suscipiant ac leges evangelicas peramanter observent.

Quapropter, Beatissime Pater, non solum sine ulla anxietate votum faustissimae ipsorum canonizationi plane favens emitto, verum etiam ut tuo infallibili ac supremo iudicio hoc decernas, enixe deprecor.

F. Aloisius Puecher-Passavalli Archiep. Iconien.

D. BARTOLINI, I, 332-3.

392.

PRIMUS, ARCHIEP. S. JACOBI

Omnia quae desiderari possunt, ut Beatus Nicolaus Pichius cum aliis octodecim Martyribus Gorcomiensibus, atque etiam Beati Martyres Josaphat Kunceвич et Petrus de Arbues Sanctorum cathalogo rite et canonice adscribantur, numeris omnibus expleta esse luculentissime constat ex decretis quae super hac re Romani Pontifices ac precipue Sanctitas Vestra ferre dignata est.

Quapropter, ad debitos honores martyribus praedictis deferendos, atque fidelium fidem roborandam, plurimi erit tanta fortitudinis exempla alte proclamare ac proinde affirmativo pro eorundem solemni canonizatione suffragio V. S. atque Episcopatus catholici votis firmiter adhaereo.

Primus, Archiep. S. Jacobi de Cuba.

D. BARTOLINI, I, 333 (in lingua armena et latina).

393.

MELCHIOR NASSARIAN, ARCHIEP. ARM. MARDINENSIS

Cum ea omnia, B. P., quae ad gloriosum istorum Ecclesiae Catholicae athletarum videlicet Beatorum Josaphat Kunceвич Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum, et Petri... mature a S. C. Rituum discussa et canonice examinata, atque a te, qui verus Christi Vicarius es, et B. Petri Apostoli Successor, adprobata fuerint, aequum est, B. P., ut ego supplex S. V. humiliter flagitem, ut heroes istos ad maiorem nostre Catholicae Fidei claritatem et triumphum in Sanctorum albo inscribas.

Melchior Nassarian, Archiep. Arm. Mardinensis
et Vic. Apost. Patr. Ciliciae.

D. BARTOLINI, I, 334.

394.

FRANCISCUS XAVERIUS, ARCHIEP. MELITENEN.

Ex compendio historiae martyrii et miraculorum in causa Canonizationis Beatorum Martyrum Josaphat Kunceвич Archiepiscopi Polocensis, Petri... patet illos pro Christo passi sunt, patet illos propter fidem catholicam gloriosas animas tradidisse. Illorum ergo Canonizationi, Deo auxiliante, perficiendae cum humilitate et maxima animi laetitia subscribo.

Franciscus Xaverius, Archiep. Melitenen.

D. BARTOLINI, I, 334-335.

395.

CLEMENS A JESU, ARCHIEP. MECOACANENSIS

Dum sancta mater Ecclesia centenam instaurat solemnitatem super martyrio glorioso Principum Apostolorum... id etiam ad salutare Fidelium solatium et gaudium optatissimum accedere juvat, quod S. T., divino afflante Spiritu, censuerit de aliorum Martyrum canonizatione rite probeque decernendum. Enimevero ex historicis scriptis et congruentibus fide dignis traditionibus, nec non ex accuratis modo etiam adhibitis disquisitionibus plane in comperto est, revera constare, tum Josaphat Kuncewicz Polocensem olim Archiepiscopum Orientalis ritus Ruthenorum, tum Petrum... omnes et singulos pro Jesu Christo eiusque in terris Vicario stetisse in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt... Quumque id sit miraculorum quoque pondere demonstratum confirmatumque, minime dubito mea quoque offerre vota, supplicesque postulationes, ut... S. T. velit singulos desuper memoratos Christi Jesu athletas in Sanctorum Martyrum album gloriose accensere.

Clemens a Jesu, Archiep. Mechoacanensis.

D. BARTOLINI, I, 335.

396.

PELAGIUS ANTONIUS, ARCHIEP. MEXICANUS

Qui pro fide orthodoxa Ecclesiaeque Catholicae religione inviolabiliter servanda bonum certamen certaverint, animasque suas vero Deo tamquam holocausta offerentes contra impiorum hominum nefaria conamina, cursum ita consummaverint, hi profecto digni sunt ut Sanctorum honoribus et veneratione palam in terris praestolantur. Ita nimirum Beati et Josaphat Kuncewicz, et Petrus... promeruisse censentur... Quum itaque ipsi immarcescibili gloria in coelis perfruantur, idque sit etiam patratorum miraculorum apertissimis documentis comprobatum, ideo mihi quoque in votis est, B. P., ut Apostolico tuo infallibili oraculo singuli supra designati catholicae Religionis athletae mox in Sanctorum Martyrum ordinem rite ab hominibus venerandi gloriose adscribantur...

Pelagius Antonius, Archiep. Mexicanus.

D. BARTOLINI, I, 336-344.

397.

J. SEMBRATOWICZ, ARCHIEP. NAZIANZENUS

Votum pro Canonizatione Beatorum Martyrum Josaphat Kuncewicz Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus Orientalis ex Ordine S. Basilii Magni; Petri de Arbues... Rationes quibus hoc votum innititur derivantur e Compendiis Historiae Martyrii et Miraculorum nec non actorum in causa Canonizationis supranominatorum Beatorum Martyrum ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis editis Romae typis Reverendae Camerae Apostolicae 1866.

I. — 1. Cum Beatus Josaphat inde a juventute prima usque ad

suam mortem Deo devotus virtutes theologicas fidem, spem, charitatem vita sua exprimere satagebat summopere gloriam et honorem Dei ubique promovere studens, propriae aliorumque animarum saluti continuo incumbens, corpus suum severe et rigide tractans ut propria poenitentia pro aliorum etiam delictis satisfacere, a Deo misericordiosissimo conversionem schismaticorum continuo efflagitans, in quod opus Archiepiscopus Polocensis creatus omnes suas vires corporis et animi Dei gratia adjutus intendebat; Primatus Romani Pontificis et jurium Ecclesiae propugnator acerrimus existens, schismaticis minantibus mansuetudinem opponebat, sicque ad Ecclesiae unitatem intra triennium multa millia reduxit.

2. Cumque hanc piam et operosam vitam suam violenta morte pro Ecclesia Jesu Christi Catholica et Apostolica libentissime suscepta a furiosis schismaticis crudelissime occisis 12 Novembris 1623 gloriosissime finivit factus bonus odor Christi, cum hac ipsa morte sua Saulum minarum et caedis auctorem Meletium Smotricium acerbissimum sacrae unionis hostem, facti poenitentem Petri Cathedrae Romanoque Pontifici ardenti studio adhaerentem effecit, reliquosque sacrilegos parricidas ita emollivit ut ferme omnes in procinctu mortis fidem catholicam amplexi sint.

3. Cumque statim post Beati Antistitis obitum virtutum ejus recenti memoria et miraculorum frequentia ejusdem cultus promoveri coepit et in dies auctus est, ita ut Poloniae reges Sigismundus III et Wladislaus IV, illiusque regni Antistites, Proceres, Clerus et populus universus una cum Monachorum familia Ordinis S. Basilii efflagitarint Summum Pontificem Urbanum VIII, qui eodem anno, quo Josaphat interiit Petri Cathedram ascendit, ut eundem inter Sanctos Caelites adscriberet.

4. Quumque Summus Pontifex Urbanus VIII quamvis eo ferme tempore legem constituisset, quod non posset agi de Canonizatione cujusquam nisi fuerint elapsi anni quinquaginta a die obitus vel martyrii passi, tamen ob praeclarissima Josaphati merita, qui univit Ecclesiam graecam cum latina et pro Christi fide passus fuit, mandavit aperiri processus auctoritate Apostolica fabricatos et ad ulteriora in qualibet Congregatione procedi: voluit tamen ut hae causae non haberentur in exemplum, hoc modo apertissime monstrans, in hac causa aliquod extraordinarium adesse.

5. Quum deinde omnibus examinibus servandis rite servatis de Martyrio et causa martyrii ed de Miraculis constaret dictum Servum Dei Josaphat Martyrum Cathalogo adscribi et ad solemnem ejus Canonizationem quandocumque deveniri posse decretum a S. Rituum Congregatione 22 Novembris 1642 latum est, imo cultus religiosus eidem

velut Beato concessus 22 Decembris 1642: atque haec omnia per litteras Apostolicas in forma Brevis expeditas die 16 Maji 1643 Pontifex Maximus Urbanus VIII solemniter confirmavit et eximium hunc Catholicae Religionis vindicem Beatorum Cathalogo accensuit.

6. Tandem etiam Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX servatis omnibus servandis die 2 Maii 1865 in Ecclesia graeci ritus S. Athanasii solemniter pronuntiavit: Tuto procedi posse ad solemnem Beati Josaphati Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis et Ruthensis Martyris Canonizationem, jussit ut sub sphragide literae Apostolicae expedirentur. His itaque gravissimis rationibus adductus omnino libere pronuntio: placet, ut Beatus Josaphat Kuncevich Archiepiscopus Polocensis Martyr Sanctorum numero adscribatur.

II. — 1. Nec multum diversa est ratio vitae, nec alia fere causa Martyrii Petri de Arbues...

His itaque solidissimis ex rationibus libentissime pronuntio: placet ut Beati Martyres Gorcomienses novemdecim numero in album Sanctorum Ecclesiae Catholicae solemnissime inscribantur.

Josephus Sembratowicz Archiep. Nazianzenus.

D. BARTOLINI, I, 344-5.

398.

JOSEPHUS, ARCHIEP. NICAENUS

Etsi triplex, et valde diversa videri primo aspectu posset Beatorum Martyrum, de quibus agitur, causa; re ipsa tamen nonnisi una proponitur in hoc augustissimo Ecclesiae militantis Concessu, qui ipsamet mihi videtur pulcherrima triumphantis Ecclesiae imago, cum in tanta varietate atque amplitudine, tanta splendeat unitas sub uno Capite Christi Vicario, ut vere corpus sit unum in Christo. Triplex, inquam, et non parum varia videri posset causa, de qua res est; eo quod Beatus Josaphat Ruthenorum Archiepiscopus a schismaticis odio unitatis Romanae obtruncatus sanguinem fudit pro testanda necessitate unionis Ecclesiae sub uno Divi Petri Successore divinitus instituto; Beatus Petrus de Arbues a Judaeis... At hoc triplex profusi sanguinis testimonium contra schisma, contra judaicam perfidiam, contra haeresim, quid est nisi unum martyrium pro Christo contra triplicem formam hostium Christi, et Ecclesiae? Est sane, cur gratiae habeantur, quae possunt, maximae providentissimo Deo, quod velut oculis orbis universi ingerere constituit cruentum Beatorum Martyrum testimonium hac nostra aetate, quando et schisma sub septentrione vehementius saevit, et ubique fere terrarum homines rebelles simillimi rebellibus saeculi XVI auctoritatem, ac jura Sanctae Sedis convellere adnituntur, et potestatem, legesque Ecclesiae oppugnant, ac negant, imo et visi sunt non solum inconditis clamoribus, verum etiam politicis artibus pro Judaica superstitione contra saluber-

rimas Ecclesiae leges decertare. Quamobrem cum causa horum Martyrum in Sacris Congregationibus jam fuerit solita gravitate, ac maturitate plenissime eliquata, reliquum est, Beatissime Pater, ut tot S. R. E. Cardinalium, et sacrorum Antistitum complere velis desideria, quibus meam adjungo supplicationem, ut Sanctitas Vestra Beatos Josaphatum Archiepiscopum Polocensem, Petrum de Arbues, et novemdecim Gorcomienses tamquam Sanctos Christi Martyres ad exemplum constantiae in fide, et in unione cum hac S. Sede Apostolica omnibus fidelibus proponere, ac solemniori publico cultu venerandos esse per Supremum suum Oraculum pronuntiare dignetur.

Josephus Archiep. Nicaenus.

D. BARTOLINI, I, 346.

399.

LAURENTIUS BERGERETTI, ARCHIEP. NAXOPARIENSIS

Beati Martyres Gorcomienses nec non Beati Martyres Josaphat Kuncevicus et Petrus de Arbues cum Christo in terris compassi sint, proinde et in coelis cum Christo jam conglorificati sunt. Superest, B. P., ut infallibili tuo iudicio, martyribus istis honores Sanctorum tribui decernas in terris, qui Sanctorum gloria jam fruuntur in Coelis...

Fr. Laurentius Bergeretti, Archiep. Naxopariensis.

D. BARTOLINI, I, 346.

400.

JOANNES MARIA ODIN, ARCHIEP. NEOAURELIAE

Beatos Martyres Josaphat Kuncevicus Archiepiscopum, Petrum... passos fuisse pro Christo et miraculis inclaruisse manifeste patet ex actis in S. Rituum Congregatione confetis. Itaque existimo, praedictos Martyres a te, B. P., Sanctorum numero esse adscribendos, ut quos fortes in confessione cognovimus pios apud Deum in nostra intercessione sentiamus.

Joannes Maria Odin, Archiep. Neoaureliae.

D. BARTOLINI, I, 346.

401.

VINCENTIUS TIZZANI, ARCHIEP. NISIBENUS

Pretiosa in conspectu Domini fuit mors Beatorum Josaphat Archiepiscopi Polocensis, Petri... Etenim sanguinem fuderunt pro Christi fide, primus schismaticorum furore, alter judaeorum perfidia, ceteri haereticorum crudelitate. Miraculis illustrato illorum martyrio, nullum dubium quin inter Sanctos ii cooptentur.

Vincentius Tizzani, Archiep. Nisibenus.

D. BARTOLINI, I, 347-8.

402.

PHILIPPUS, ARCHIEP. PATRACEN.

Auctoritati Tuae morem pro ingenii mei modulo factururus, Tuaeque Sapientiae submissurus animi mei sensum super propositis causis Canonizationis BB. Martyrum Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis

Ruthenorum ritus Orientalis ex ordine S. Basilii Magni; Petri de Arbues... virtutes praeclarissimas, quibus ipsi in domo Dei effulserunt, nec non gesta omnia, praeclaraque facinora ab unoquoque eorum, gratia comitante, patrata, in primis enumerare deberem, et quam bene vestigia aeterni Pontificis et Pastoris animarum nostrarum qui, Apostolo testante, sanctus, innocens, impollutus, per omnia apparuit, quique, Petro Apostolo docente, peccatum nunquam fecit utpote natura sua peccati expers, et nunquam dolus inventus est in ore ejus, terere sategerint, in primis loquendum mihi foret. Si mihi autem fas esset in hanc descendere arenam, Josaphati Kuncevicii Apostolicas virtutes in tuendo ovili sibi concredito, ob oculos ponerem; de ejus item morum puritate, de conversationis suae gravitate, de charitate qua erga Deum flagrabat, et erga proximum; de summo studio, quo dissidentes ad unitatem Ecclesiae sub uno Pastore Petri successore reducere pro viribus laboraverit, eloqui non omitterem...

Hisce rationibus suffultus adfirmo nihil esse, meo judicio, impedi-
menti, quin ad solemnem praedictorum beatorum Martyrum Canoniza-
tionem tuto procedatur...

Philippus, Archiep. Patracen.

D. BARTOLINI, I, 350-1.

403.

PETRUS DE VILLANOVA CASTELLACCI, ARCHIEP. PETRAE URBIS

Compertum exploratumque est inclitos Martyres, de quibus agitur, pro nomine Jesu eiusque Sponsae emolumento horrenda esse passos... Omnes autem usque ad mortem certaverunt pro Lege Dei sui... Licet vero haec jamdiu contigerint, tamen misserrima aetate nostra luce clarius patuere, et ineluctabili judicio tuo, B. P. legitime confirmata sunt... Quocirca cum omnia simul coalescant quae ad Canonizationem habendam requiruntur, adiuncta nempe temporis ac Sacrorum Canonum jussa examussim expleta, te rogo, B. P., ac supplex exposco, ut hosce Martyres, Divina potestate qua polles, Sanctorum albo accenseas.

Petrus De Villanova Castellacci,
Archiep. Petrae Urbis Vicesgerens.

D. BARTOLINI, I, 351.

404.

M. RICCIARDI, ARCHIEP. RHEGINEN.

Cum Sancta Romana Ecclesia eo maxime suas curas semper intendat, ut universae Ecclesiae Unitas servetur, ut Catholica Fides integra custodiatur, atque in Summo Pontifice ea colatur dignitas, qua a Christo Jesu donatus fuit, nihil aptius ac opportunius ad haec tanta sustinenda esse potest, quam invictissimos viros illos, qui pro rebus ejusmodi tam gravibus tam augustis sanguinis vitaeque prodigi perstrenue decertarunt, christifidelibus venerandos proponere. Ex illorum numero sunt Josaphat

Archiepiscopus Polocensis, Petrus de Arbues Caesaraugustanae Ecclesiae Canonicus, et novemdecim Martyres Gorcomienses nuncupati, quos omnes Beatos Ecclesia etiamnum salutavit. Nunc vero quoniam in ipsis Dei virtus splendidius nitere visa est, nihilque impedit, quominus tu, Pater Beatissime, coelitem Sanctorum honores decernas: hoc, quod nobis est in votis, exequere ea, qua divinitus polles, auctoritate; ut sancta et immaculata Jesu Sponsa satis in praesentiarum afflicta, jucunditate perfundatur, quique eam discernere infando ausu contendunt, confundantur ac revereantur.

✠ Marianus Ricciardi Archiep. Rheginen. Assistens.

D. BARTOLINI, I, 351-3.

405.

ANTONIUS ARCHIEP. SALERNITAN.

Hisce iniquissimis temporibus, in quibus omnia divina ac humana huc illuc jactata, atque undequaque pessumdata conspiciuntur, optime factum sentio in lucem gentium proferre, novosque Divinam penes Misericordiam intercessores proponere et proclamare, qui insigne ob meritum sanguinis sui ad catholicam Fidem, iuraque nostrae Ecclesiae strenue propugnanda impavide effusi, quorum vita, incredibili ac heroico omnium virtutum exercitio transacta, dici sane potest continuum miraculum fuisse, iram Domini, tot hominum perversitatibus concitatam, quodammodo lenire, furentesque fluctus, qui navem Petri, humanique consortii fundamenta submergere minitantur, ad tam exoptatam tranquillitatem, securitatemque plenam sua et intercessione, suisque precibus componere valeant. Istiusmodi procul dubio sunt BB. MM. Josaphat Kunceвич Archiepiscopus Polocensis Ruthenorum ritus orientalis ex Ordine S. Basilii; Petrus de Arbues... Horum praeclarissima gesta, potentia in verbo ac in opere, ineluctabilisque firmitudo in Ecclesiae, Apostolicaeque Sedis juribus vindicandis, in lupis rapacibus a grege Domini arcendis, in temporum iniquitate cominus dimicanda, in schismaticorum praesertim erroribus viriliter profligandis; probe erant promerendi, ut sanguinem suum ad catholicam fidem, ad Jesu Christi nomen consignandum gloriosissime effunderent, ab impiorum fradibus, perfidiis, persecutionibus, morte tandem crudelissima confossi. Et quoniam eorum vita, mors, ac sepulcrum innumeris signis ac prodigiis emicuere, uti ex accuratissimo examine ac iudicio S. R. C. amplissime constat, quae etiam singulos in dies patefieri non cessant, par utique et haud dubie est, ut qui in terris tot tantisque exemplaribus virtutibus exornati, tot tantaque cujusque generis tormenta passi sunt, et in coelis tanta divina gloria ac benevolentia perfruuntur, in Altaribus etiam uti candelabra ardentia cum palmis victoriae, cum laetitiae indumentis ad fidem, pietatem, devotionem, fortitudinemque Christiani populi magis magisque

excitandam coruscent et decorentur, eorumque nomina cum exultatione atque Angelorum, hominumque benedictione in saecula saeculorum vivant.

✠ Antonius Archiep. Salernitan.

D. BARTOLINI, I, 353.

406.

FRANCISCUS, ARCHIEP. SURRENTIN.

Quam belle dictum est: « Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos. Maledicimur et benedicimus. Persecutionem patimur et sustinemus ». In hoc certamine quid utilius quid opportunius quam illorum memoriam recolere, qui per *fidem operati sunt justitiam, convalescerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello*? Hoc certe consilio Sapientissimus Deus Beatum Josaphat Archiepiscopum Polocensem, Beatum Petrum de Arbues, et undeviginti Beatos Martyres Gorcomienses patratis miraculis illustravit, nempe ut Episcopi, Sacerdotes, Religiosi et Laici, Eorum intuentes exitum conversationis imitarentur fidem, et impietati schismati et infidelitati, quae omnia mala hac nostra aetate ingruere videntur, validum opponatur agmen. Faxit Deus ut illius vocem audiamus!

Quapropter cum omnia rite et recte in S. R. C. discussa et approbata sint, cum opportunitas ipsa vel ipsis caecis innotescat, te oro, Bme Pater, ut Beatos praedictos Sanctorum albo adscribas ad majorem Omnipotentis Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem.

✠ Franciscus Xaverius Archiep. Surrentin.

D. BARTOLINI, I, 353-4.

407.

MAXIMILIANUS JOSEPHUS, ARCHIEP. SALISBURGENSIS

Quum tenore compendiorum mihi exhibitorum ex actis S. C. Rituum canonice instructis luculentissime constat, beatos Dei viros videlicet: Josaphatum Kuncevicium Archiepiscopum Polocensem et Rhutensem ex Ordine S. Basilii Magni, item Petrum... invictam fidei constantiam, mira animorum fortitudine et heroica in Deum charitate pro Christi nomine et religione catholica mortem intrepide oppetiisse... eosdem ut coelitum numero per Caninizationem adscribantur, non solum dignos censeo, sed ut S. V. ad hunc actum solemnem procedere dignetur, pro nova aedificatione Orbis catholici opportunum existimaverim.

Maximilianus Josephus, Archiepiscopus Salisburgensis.

D. BARTOLINI, I, 354-6 (in lingua armena et latina).

408.

GEORGIUS HURMUZ, ARCHIEP. SINENSIS

Divino prorsus consilio factum censeo, quod hisce potissimum calamitatis S. Matris Ecclesiae temporibus sapienti SS. Rituum Congregationis judicio, Beatum Josaphat Kuncevicium Archiepiscopum Polocen-



STATUA S. JOSAPHAT IN ARCHIMANDRIA CRYPTAE FERRATAE
an. 1867

seme, Petrum... mortem pro Christo obeuntes, in Sanctorum Albo increbri fuerit decretum; Sane quidem Beatus Josaphat cum inter schismaticos versaretur, nihil aliud prae oculis habuit, nisi vel ipsos ad Ecclesiae Catholicae unitatem et ad Romanae Sedis venerationem perducere; qua de causa ab ipsis schismaticis vitam sibi eripi pro Christi fide passus est. Item beatus Petrus... Cum autem constat de martyrio enunciatorum omnium Beatorum... dignos censeo qui Sanctorum canonis adscribantur.

Georgius Hurmuz, Archiep. Sinensis et Abbas Gen.

D. BARTOLINI, I, 356-7 (in lingua armena et latina). 409.

EDUARDUS HURMUZ, ARCHIEP. SIRACENSIS ARMENUS

Sapienti quidem SS. Ritu Congr. iudicio decretum est de gestis, virtutibus, martyrio et de causa martyrii Beatorum Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis, Petri ... qui omnes pro Christi fide animam suam ponere nunquam dubitarunt.

Vel enim inspicias ardentem Beati Josaphat charitatem, qua omnes schismaticos ad fidei unitatem perducere satagebat, vel Beati Petri... et insignia miracula, quibus Deus ipse eorundem omnium Beatorum Martyrum vitae sanctimoniam virtutesque illustrare et confirmare haud semel dignatus est, censeo quod hi omnes supradicti Beati Martyres, qui mortem pro Christi fide oppetierunt, digni sunt qui Sanctorum Canonis solemniter inscribantur...

Eduardus Hurmuz, Archiepiscopus Siracensis Armenus.

D. BARTOLINI, pag. 358-9, I. 410.

ARSENIUS ARCHIEP. TARSENSIS ARMENUS

Quum Dominus Deus Ipse miraculis per intercessionem Servorum suorum patris, eorum sanctitatem manifestarit... ego quoque insufficientia mea rebus omnibus in processu existentibus perpensis, libenter alarique animo consentio iis omnibus, quae tu, B. P., ac Domine noster divina Providentia Papa, Auctoritate Tua apostolica approbasti, et declarasti pro Canonizatione Beatorum Martyrum I. Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum Ritus Orientalis ex Ordine S. Basilii Magni, II. Petri...

D. Arsenius Archiep. Tarsensis Armeni Ritus ex Ordine
S. Antonii Abbatis.

D. BARTOLINI, I, 360. 411.

HIPPOLYTUS, ARCHIEP. TURONENSIS.

Cum perlegenti acta martyrii Beatorum Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues... nullum possit dubium remanere de eorum vero martyrio, scilicet de morte pro vera religione perpessa; cum insuper certissime constet de miraculis per eorum invoca-

tionem obtentis, dignum et justum arbitror ut Sanctitas Vestra illis summos Sanctorum honores decernat.

In hisce acerbis temporibus, nihil mihi magis utile et opportunum videtur, quam si christianae fortitudinis nova exempla omnibus imitanda proponantur.

✠ T. Hippolytus Archiep. Turonensis.

D. BARTOLINI, I, 360-1 (in lingua araba et latina). 412.

PETRUS, ARCHIEP. TYREN.

Per immania supplicia, quae passi sunt Beati Martyres Josaphat Kuncewich, Petrus de Arbues, et Nicolaus Pichius cum octodecim sociis maximum item et opportunissimum exemplum praebent omnibus catholicis, et praesertim ecclesiasticis, quo dira, quae adversus Ecclesiam, ejusque ministros his praesertim temporibus ubique gentium impii machinantur, substineant; signa autem, quae Deus Op. M. iis mediantibus fert, uti comparet ex iis, quae in causa Canonizationis eorum a Sacrorum Rituum Congregatione acta sunt, nullum deliberandi locum relinquunt de eorum Sanctitate.

Inde Sanctitatem Tuam enixe exoro, ut ad eorum Canonizationem pro Ecclesiae bono procedere digneris.

Petrus Archiep. Tyri et Sidonis Maronitarum.

D. BARTOLINI, I, 361. 413.

A. FRANCHI, ARCHIEP. TESSALONICENSIS

Beati Martyres Josaphat Kuncewich Archiepiscopus Polocensis, Petrus de Arbues... amplissimum, pro fidei constantia ac virtutum omnium ornamento, de schismate, de judaica perfidia, deque haeresi triumphum sunt assecuti. Quare catholicae rei perutile fore existimo quod omnes isti fortissimi viri, de quorum virtutibus ex authenticis documentis editisque ab Apostolica Sede Decretis satis superque constat, Sanctorum fastis adscribantur, quo et novum Christi ministris ad praelianda praelia Domini addatur incitamentum, validumque catholicae Ecclesiae in tanta temporum acerbitate exhibeatur patrocinium. Sanctitatem ergo Tuam enixissime rogo, ut maxima haec beneficia, catholicis omnibus plaudentibus, ac bene ex hoc faustissimo eventu auspicantibus, pro Tua Apostolica sollicitudine acceleres.

✠ Alexander Franchi, Archiep. Thessalonicensis.

D. BARTOLINI, I, 362. 414.

FRANCISCUS, ARCHIEP. TERRACONEN.

In martyrio beati Josaphat Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues primi Inquisitoris regni Aragoniae, nec non Nicolai Pichii et octodecim sociorum ejus, cum plenissime constet quidquid juxta disciplinam ab apostolicis Constitutionibus traditam ad solemnem Canoni-

zationem requiratur, puto in eorum causa nihil jam superesse, quam ut Summus Pontifex ad Dei Nominis gloriam, universaeque Ecclesiae utilitatem, cleri, fideliumque laetitiam solemnī decreto in Sanctorum album inscribere dignetur hosce Beatos Martyres.

✠ Franciscus, Archiep. Tarraconensis.

D. BARTOLINI, I, 362.

415.

FLORIANUS, ARCHIEP. TOLOSAN.

Mirabili providentia Deus, triumphantium martyrum exemplis et gloria, non modo invictos nobis defensores parat, sed spem nostram erigit, et magis ac magis roborat in fide constantiam.

Quum ergo ex adductis probationibus satis superque constet de martyrii poena et causa B. Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, B. Petri de Arbues Canonici regularis Caesaraugustani, ac BB. novemdecim Martyrum Gorcomiensium, et accedant insuper mirabilia signa quibus Deus veritatem horum martyriorum confirmare dignatus est, nihil aliud superesse videtur, Beatissime Pater, nisi ut suprema tua Auctoritate milites hos fortissimos sanctorum Martyrum catalogo adscribas, ut in hac temporum perversitate in Ecclesia Dei novi sint intercessores, novaeque exemplaria effulgeant.

✠ Florianus, Archiep. Tolosanus.

D. BARTOLINI, I, 363-4.

416.

P. BRUNONI, ARCHIEP. TARONEN.

Quum de Beati Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae Canonici regularis, ac primi Inquisitoris regni Aragoniae, Nicolai Pichii cum octodecim sociis ex utroque clero, ac diversis regularium familiis, qui Brilae in Hollandia mortem pro Christo oppetiarunt, gestis, virtutibus ac martyrio, Sacrorum Rituum Congregationis maturo iudicio, firmatum habemus, satis esse arbitror, ut vel ipsi Beati Martyres Sanctorum Albo, de hac Sedis Apostolicae auctoritate inscribantur.

Et re quidem vera, Beatus Josaphat Kuncevicus eximio prorsus charitatis ardore agebatur, ut Schismaticos omnes, si fieri posset, ad unum Christi ovile adduceret; quod ut assequeretur carnem suam cilicio affligebat, et ab ipsis schismaticis mortem pro Catholica fide subire laeto animo voluit.

Quod Beatus Josaphat, idipsum, eademque de causa Beatus Petrus de Arbues ferre haud recusavit... Quum vero Deus Ipse multis ac splendidis miraculis supradictorum omnium Beatorum Martyrum vitam, virtutesque heroicas confirmaverit, ad eorundem omnium solemnem Canonizationem tuto procedendum esse libentissime sentio, si tamen Tibi Supremo totius Ecclesiae Pastori arrideat.

✠ P. Brunoni Archiep. Taronen.

Vic. Ap. Patriarchalis Constantinopolitanus.

D. BARTOLINI, I, 364.

417.

M. MARINI, ARCHIEP. URBEVETANUS

Cum ex actis in S. Rituum Congregatione accuratissime, prout de more, confectis luculenter constet, BB. Josaphat Kuncevicium, et Petrum Arbuesium, nec non BB. Nicolaum Pichium, ejusque duodeviginti socios pro asserenda Christi fide crudele martyrium strenue subiisse; ac post eorum Beatificationem Deum, iis intercedentibus, plura miracula perpetrasse, eosdem dignos censeo, qui sollemni ritu in Sanctorum numerum referantur.

Quapropter te, Beatissime Pater, enixe precor, ut Illis supremos honores etiam in terris tribuendos declares, quos in Coelis gloriae coronam jam accepisse profitemur.

✠ Marinus Marini Archiep. Episcopus Urbevetanus.

D. BARTOLINI, I, 365.

418.

ALEXANDER, ARCHIEP. URBINI

Cum ex processibus rite institutis perfectis et examinatis praedictorum Beatorum, quorum Canonizationis causa pertractatur, Martyrium et causa Martyrii plenissime eluceant;

Cum insuper et Cultus ab immemorabili iisdem exhibitus, et Miracula perplura ac splendida a Deo eorum intuitu patrata, omni prorsus dubitatione depulsa, in tuto sint posita;

Cum demum ea omnia quae a sacris Canonibus et a Summorum Pontificum Constitutionibus sapientissime sunt sancita jam expleta conspiciantur;

Nil mihi obstare videtur quod Beati praedicti, qui suam pro Christo et ejus Vicario in terris vitam dederunt, hac praesertim tempestate, qua Christus et ejus Vicarii auctoritas per universum terrarum orbem iniquissime et vaferrime oppugnatur, ad viventium exemplum, excitamentum, et solamen, in Sanctorum numero per te Beatissimum Patrem sollemniter recenseantur.

✠ Alexander, Archiep. Urbini.

D. BARTOLINI, I, 366.

419.

JO. IGNATIUS, ARCHIEP. VALLISOLETANUS

Magni refert ut, decurrente saeculo, in quo de J. C. Domino nostro flagitiosissime blasphematur, Ecclesiae auctoritati resistitur, atque Apostolicae Sedis jura plane conculcantur, eximia universo populo christiano praestantium virorum exhibeantur exempla, qui heroica animi fortitudine ac infrangibili constantia catholicam fidem confessi sunt,

Ecclesiae auctoritatem sustinuerunt, malueruntque mori quam venerando Petri successori obedientiam detrectare.

Absolutissimum sublimium harum virtutum specimen nobis objicit Divina Providentia, semper Ecclesiae bono ac incolumitati prospiciens, in praeclarissimo hispano B. Petro de Arbues... in splendentibus XIX martyribus Gorcomiensibus... ac demum in inclyto viro B. Josaphat Kuncevicio a nefariis schismaticis horrendum in modum trucidato.

Quumque omnes strenui recensiti viri, ut ex causa Canonizationis apprimè instructa apertissime liquet, martyrium in odium religionis subierint, horumque intercessione plura indubitata miracula operari dignatus sit Deus, quam maxime expedire judico, ut ipsi in Sanctorum album solemniter recenseantur. Atque ita fieri magnopere cupio.

Joannes Ignatius, Archiep. Vallisoletanus.

D. BARTOLINI, I, 366-7.

420.

EUSTACHIUS, ARCHIEP. VITERBEN.

Quo majori possum animi contentione a Sanctate Tua humillime efflagito, ut Sanctorum fastis adscribas Beatum Josaphat Kuncevicium afflictæ Poloniae solatium, quippe qui propter martyrium fortiter toleratum, et propter fide digna miracula coelitus honores sibi optime promeruerit. Idem porro decus, ex me, tum B. Petro de Arbues tum decem et novem martyribus Gorcomiensibus tribuendum videtur... Ea vero adductus spe ita te precor, Pater Sanctissime, ut Sancti isti homines ex tuo Oraculo gloriam assecuti in terris, Sanctam Ecclesiam Catholicam precibus suis foveant atque tueantur in coelis.

M. Eustachius, Archiep. Ep. Viterbien. et Tuscanen.

D. BARTOLINI, I, 367.

421.

F. MAC KINNON, EP. ARICHATEN.

Ego infrascriptus Episcopus Arichatensis in nova Scotia, nunc Romae, toto corde et animo vota mea declaro relate ad Beatos Martyres de quibus agitur. Tuto procedi posse ad eorum solemnem Canonizationem.

C. F. Mac Kinnon Ep. Arichatensis in nova Scotia.

IBIDEM.

422.

E. ANGEBAULT, EP. ANDEGAVEN.

Attento diro martyrio quod Beati Josaphat Kuncevicus Archiepiscopus Polocensis; Petrus de Arbues, Nicolaus Pichius cum octodecim sociis, pro sancta fide fortes subierunt; attentisque virtutibus heroicis et miraculis quibus beatam illorum mortem gloriosam Deus reddere voluit, humiliter precor ut Sanctis Vestra, pro ea qua pollet auctoritate et

potestatis plenitudine supremo iudicio eos in Sanctorum Album referre benignissime dignetur.

✠ Emil. Angebault, Andegavensis.

D. BARTOLINI, I, 368.

423.

R. CASANELLI, EP. ADJACEN.

Post acta ac tam luculenter probata super merita, miracula, gestaque fortia Beatorum Martyrum Josaphati Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues alias Magistri Epilae, et Nicolai Pichii cum octodecim in Martyrio sociis, suppliciter exoro Sanctitatem Vestram ut ipsimet invicti Catholicae Fidei athletae oraculo tuo infallibili in Canone Sanctorum recenseantur ad maiorem Dei gloriam, ad aedificationem ac solamen universorum Fidelium, et ad laetitiam Ecclesiae Christi tantis in praesens angustiis pressae tantisque aerumnis percussae. Hoc est enim, Beatissime Pater, votum meum ardens; haec est firma mens mea quam ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humiliter deponere audeo.

✠ X. S. Raphael Casanelli de Istria Episc. Adjacen.

IBIDEM.

424.

ELEONORUS, EP. ALTODUNEN.

Praecipuas inter dotes tui proprias, divinitusque largitas, Pater Beatissime, et illa censenda venit, qua fideles, qui in gratia Dei perseverantes vitam supernaturalibus virtutibus, et Charismatum donis referatam una cum morte conjunxerunt, et quorum intercessione, postquam in coelo fuerunt recepti, miracula Deus fuit operatus, Sanctorum Albo ritu solemni adscribas, et ab omnibus religioso cultu et honore proseguendos jure meritoque pro opportunitate decernas.

Maturum sane ac providum jam latum fuit Sanctae hujus Romanae Sedis iudicium, quo extra omnem dubitationis aleam fateri cogor, Beatos Christi athletas, *Josaphat Kuncevicium* Archiepiscopum Polocensem Ruthenorum ritus Orientalis, ex ordine Sancti Basilii Magni; *Petrum de Arbues...* cum propriae vitae dispendio Martyrii palmam fuisse assequutos.

Cum praeterea ex processualibus Actis luce clarius emergat, ipsos, dum viverent, omni virtutum genere praefulsisse, vel certe in gratia Dei perseverantes exquisitissima tormenta pro Christo passos ex hac mortali vita ad coelestem patriam commigrasse; et cum ipsius Sanctae Sedis irreformabili sententia exploratum sit, Deum ipsorum, post martyrium, intercessione mira fuisse operatum, subitas nempe et perfectas a lethalibus morbis sanationes, ceteraque signa, quae vim, et omnes naturalis ordinis leges excedunt: his aliisque multis de causis cohibere me minime possum, Pater Beatissime, quin te humillime precer atque

obtester, ut ad maiorem Dei gloriam, ad inclytorum, quos mox memoravi, Martyrum ampliorem honorem et cultum promovendum, et ad omnium nostrum, qui in tantis versamur periculis, tot premimur angustiis, auxilium et solamen, eosdem pro sapientia ac religione tua, in Sanctorum numerum digneris referre.

✠ Eleonorus Episc. Altodunensium.

D. BARTOLINI, I, 369-70.

425.

C. CARLI, EP. ALMIRAE

Deus, qui paterno affectu, ac intentis oculis vigilat super gregem suum tibi commissum, Beatissime Pater, et super Ecclesiam tibi traditam gubernandam, sapientissima providentia disposuit, ut celeberrimae virtutes Beati Josaphati Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis quodammodo laterent usque dum Ecclesia ipsa ejus exemplis, et potenti apud Deum patrocinio maxime indigeret.

Cum enim nostris hisce temporibus perditii homines Dei, bonorumque omnium inimici ex universo terrarum orbe in unum conveniant adversus sanctam catholicamque Dei Ecclesiam, et praecipue adversentur illam selectam portionem, quam Beatus Josaphatus tam ardentem dilexit, et pro qua suum sanguinem fundere, vitamque ipsam ponere non dubitavit, congruum videtur, ut gloria qua Josaphatus noster potitur in coelis, reveletur etiam in terris, atque sermone omnium celebrentur illius constantia in fide, amor unitatis cum ista Petri Sede, zelus animarum, et vita immaculata.

Beatum Petrum Arbuesium Canonicum Regularem S. Augustini, et sacrae Inquisitionis in Aragoniae regno praefectum...

Ex historia novemdecim Martyrum nomine Gorcomiensium manifeste apparet.

Itaque, Beatissime Pater, humillime precor, ut Sanctitas Vestra istos Beatos martyrio coronatos, et miraculis illustres, in Albo Sanctorum accensere dignetur, ut nos ad refellendas Judaeorum omniumque iniquorum nefarias molitiones novos apud Deum intercessores habere possimus.

Fr. Cajetanus Carli Episcopus Almirae.

D. BARTOLINI, I, 371-2 (in lingua araba et latina).

426.

JOSEPHUS, EP. ALEPPEN.

Ex iis, quae in causa Canonizationis Beatorum Martyrum Josaphat Kuncevic, Petri de Arbues, et Nicolai Pichii cum octodecim sociis acta sunt, apparet Deum magis magisque Athletas hos suos glorificare velle; ideoque per eos luculenta signa patrasse; quapropter Sanctitatem Tuam oro, ut eosdem in Sanctorum album adscribere velis.

Josephus Episcopus Aleppinus.

D. BARTOLINI, I, 372-4.

427.

JOANNES, EP. AQUIPENDII

1. Si excipiat beata Dei Genitrix semper Virgo Maria, quae spiritum Filii sui cum omnibus charismatibus retinet in plenitudine; caeteri, quibus datur identidem in Ecclesia eximiis florescere virtutibus, eadem non consequuntur, nisi in parte sive plus sive minus...

Archiepiscopus Polocensis in baptismo Joannes, Josaphat vero in profitendo regulam ordinis S. Basilii Magni praematurum significavit ad pietatem ingenium: at in gestis reliquae vitae collatam sibi partem spiritus Domini edidit, ut heroicam praecipue ostenderet in provehenda unitate Ecclesiae; quam ob causam pro ovibus, videlicet *pro unione*, juxta ejus verba, *pro sede Petri, successorumque ejus Romanorum Pontificum* cruorem effudit, private in domus penetralibus, dum profusis, ac ferventibus precibus asperrimas conjungebat poenitentias; publice coram universo populo diversimode: ac demum ballistae igneae globulo in capite percussus efflavit animam.

Manifestavit Deus, quam acceptum sibi foret sacrificium Beati Archiepiscopi Polocensis, eumque martyrii coronam consequutum; cum ad ejus preces gratiam conversionis conferret adversariis ejus, qui fere omnes in procinctu mortis fidem catholicam confessi sunt; insuper cum plura alia signa, et prodigia operatus sit Beati martyris intuitu.

2. Beatus Nicolaus Pichius cum decem sociis ex ordine S. Francisci; item alii quatuor Beati viri diversorum ordinum S. Dominici, Praemonstratensium, Canonicorum regularium S. Augustini, ac demum quatuor Beati ex presbyteris saecularibus paroeciarum administratoribus partem spiritus Jesu Christi ipsis tributam negotiati sunt...

Ex congerie factorum tanta luce splendentium cogor opinari ad evidentem aedificationem et praesidium Ecclesiae catholicae vertere, quatenus Sanctitati Tuae placeat, solemni ritu Beatos Martyres, quos recensui, ad ampliorem cultum elevare. Et ita etc.

Joannes Baptista Episcopus Aquipendii.

D. BARTOLINI, I, 374-376.

428.

PAULUS DODMASSEI, EP. ALEXIEN.

Magno sane divino consilio factum est, ut solemnis Canonizatio B. Josaphat Kuncewicz Archiepiscopi Polocensis, et BB. Nicolai Pichii et decem octo sociorum ejus vocatorum — *Martyres Gorcomienses* — et B. Petri de Arbues vulgo dicti, — *Magister Epilae* — a Tua Beatitudine perficiatur, his temporibus in quibus incredulitas conjunctis viribus cum schismate, e cujuscumque generis protestantismo teterrimum bellum indixerunt catholicae Ecclesiae et visibili fundamento ejus Sanctae Sedi sub speciosissimo colore publicae securitatis, vindicandae con

scientiae libertatis, atque religiosae tolerantiae. Solemnis supra memoratorum Canonizatio luculentissime toti Catholico Orbi demonstrabit quales sint hostes cum quibus dimicare debemus, videlicet similes parentibus suis, et per consequens demonstrabit falsitatem motivorum hujus acerrimi belli contra Ecclesiam, et ejus caput visibile. Etiam antiqui Protestantes predicabant verbis religiosam tolerantiam, conscientiae libertatem, securitatem politicae potestatis, attamen facta diversimode loquuntur.

Luculentissimum exemplum exhibent martyria B. Josaphat Archiepiscopi, BB. Nicolai Pichii et decem octo sociorum ejus, nec non B. Petri de Arbues.

Ex certissimis documentis rite examinatis constat Beatum Josaphat Archiepiscopum a Schismaticis fuisse necatum quia Catholicam fidem praedicabat, et plures ex erroribus ad amplectendam veram fidem reducebat et Ecclesiae sinum.

Beatos Nicolaum et socios ejus... Ad haec accedit quoque quod Deus in sua infinita bonitate voluit hos Martyres glorificare etiam in hoc mundo operando prodigia propter illorum intercessionem quae pauca non fuerunt. Inter quae selecta aliqua atque summo jure examinata in Sacra Rituum Congregatione declarata fuerunt vera miracula.

Hisce perpensis, et impetrato a Patre luminum auxilio, Beatitudo Tua ad majorem Dei gloriam, et exaltationem Catholicae Ecclesiae, et spiritualem profectum ovium Christi tibi commissarum, die 2 Maij 1866 pro Archiepiscopo Polocensi Josaphat, et die Epiphaniae anni 1865 pro Nicolao Pichio et decem octo sociis ejus et Feria V post Dominicam Sexagesimae anni ejusdem pro Petro de Arbues, definitivam sententiam protulit: Tuo procedi posse ad solemnem horum Beatorum Canonizationem.

Cui decretoriae et infallibili sententiae libentissime assentior instanter deprecando ut haec sollemnis horum Sanctorum quam primum habeatur Canonizatio.

Horum Beatorum intercessionibus Deus dignetur confundere inimicos Sanctae Catholicae Ecclesiae et Sedis Apostolicae, et elidere superbiam, misereri eorum qui in viam perversitatis currunt, et imperare ventis ut optata tranquillitas redeat.

Paulus Domdassei Episc. Alexien.

D. BARTOLINI, I, 376-380.

429.

JOAN. JOSEPH, EP. ANDRIEN.

Benedictus Deus et Pater D. N. J. C., Pater misericordiarum, et Deus totius, consolationis, qui consolatur nos in diuturnis ac multiplicibus Christianae Reipublicae calamitatibus, nedum in Ecclesiae ac Re-

ligionis jacturis, fidelium ob pietatem in dies collabentem gravioribus, inspirans D. N. J. C. Vicarium in terris SS.mum Dominum Nostrum Pium PP. IX, qui identidem heroicarum virtutum documenta proponeret, quibus jam frigescens populorum charitas excitari queat, novisque auctis e coelo praesidiis Christianae rei undique periclitanti subveniret...

Hac quidem conditione comparati sunt BB. Martyres Josaphat Kunceovich Archiepiscopus Polocensis Ruthenorum Ritus orientalis ex Ordine S. Basilii Magni; Petrus de Arbues... Ex illorum iccirco praeclaris gestis, eximiisque miraculis quaedam attingam, quibus votum meum innititur pro solemniori eorum Canonizatione a SSmo Domino Nostrum Pio PP. IX imploranda.

Quapropter breve verbum facio 1°. de B. Josaphat Archiepiscopo Polocensi. Quanta eximiae non minus sanctimoniae, quam Pastoralis sollicitudinis luce in Ecclesia universa coruscaverit B. Josaphat; quanta itidem fecerit ipse, et docuerit, adeoque quam merito vocandus sit magnus in Regno Coelorum, satis superque ex iis hausi, quae de heroicis illius virtutibus ac perspicuis miraculis relata sunt in publico consistorio diei tertiae currentis mensis, nedum ex iis, quae in fideli ad me transmissa narratione perlegi. Ex quibus omnibus apertissime eruitur Religionis propagandae perpetuum studium; in Graecorum Schismate delendo, ac Ecclesiastica disciplina restituenda indefessus labor; in extirpandis vitiis assidua vigilantia; in sublevandis egentium necessitatibus indeficiens beneficentia; ac in Sedis Apostolicae juribus vindicandis ita robur invictum, ut probe dicere possem: certamen forte dedit ille, ut vinceret. Ne mirandum propterea sit, si Schismaticorum subiit iras ac machinationes. Attamen uti bonus Pastor animam suam dare pro ovibus suis non metuit, ex quo factum est, ut dierum eximiorumque meritorum plenus conjuratorum Schismaticorum ferro occumbere meruit. Deus vero servum suum, quem fidelem invenit, ample voluit glorificare. Glorificavit utique sepulcrum, illud signis innumerisque prodigiis illustrando: glorificavit insigne nomen, quo fidenti animo invocato, quamplura patrata fuerunt miracula. Vita hinc innocens et laboriosa, aerumnis ac calamitatibus plena ex una, gloriosa ejus mors ex altera luceant in Ecclesia Dei super candelabrum positae, in quibus habeant fideles omnes quod intueantur: habeant Episcopi, alique animarum Pastores impavidam Josaphat fortitudinem, qua roborentur; assiduam vigilantiam, qua excitentur; indefessos labores, quibus instruantur: habeant et in sortem Domini vocati, sive sint inter saeculi fluctus degentes, sive in portum religiosae stationis caelestia recipientes charismata, quae aemulentur.

Arctam mandatorum Dei viam, quae ad vitam ducit, B. Martyr Petrus de Arbues, Spiritu sancto cor ejus inflammante, feliciter aggressus est...

In quo tamquam astra matutina in medio nebulae splendent Nicolaus Pichius, octodecimque ejus socii utriusque cleri...

Quapropter votum meum sacris Tuis Pedibus, SS.me Pater, depono, suppliciter expostulans, ut viros istos in vita sua gloriosos in Sanctorum Albo adscribere quam citius digneris, eo fine, quo multiplicatis intercessoribus apud Deum, hic Sanctitati Tuae tranquillam longaevamque vitam, pacem triumphumque Ecclesiae, justis in bono perseverantiam, et peccatoribus poenitentiam benigne largiatur, per Dominum Nostrum Jesum Christum Filium suum, cui soli honor, gloria, et imperium in saecula saeculorum. Amen.

✠ Jo : Joseph Episc. Andrien.

D. BARTOLINI, I, 380.

430.

CAJETANUS, EP. ALETRINAS

Quod P. B. aerumnosis hisce diebus, in quibus hominum, et praesertim potentium nequitia scandalum patitur grex Christi, supremi honores decernantur iis, qui sanguinem fuderunt pro Christo, nemo est qui non videat utilissimum fore Ecclesiae universae. Quam maturo autem consilio, immo quam rigido rerum examine in tanto Dei Sanctorum, et Christianae quoque reipublicae negotio Sedes Apostolica procedat, plene mihi compertum est. Quare perlectis actis, quae a S. R. Congregatione in compendium digesta sunt, arbitror BB. Martyres Josaphat Kunceвич Archiepiscopum Polocensem, Petrum de Arbues alias Magistrum Epilae, et Nicolaum Pichium cum octodecim sociis ex utroque Clero, ac diversis regularium familiis, qui Brilae in Hollandia pro Christo passi sunt, in album Sanctorum solemni ritu esse accensendos.

Verum tibi, Pater Beatissime, qui vices Christi Martyrum capitis geris in terris, quique oves et agnos ejus pascis, Tibi soli datum est populo christiano tam moerenti praebere solatium et patrocinium quod expectat.

✠ Cajetanus Episcopus Aletrinas.

D. BARTOLINI, I, 380-1.

431.

CLEMENS PAGLIARI, EP. ANAGNINUS

Beatus Josaphat Kuncevicus ex nobilibus parentibus natus et ab ipsis singulari studio ad virtutem et sanctitatem educatus, pietatis laude praestantissimus, in monasterio Basiliano a prima juventute inter Monachos cooptatus mirifice effloruit, et proximorum salutis zelo flagravat. Ad metropolitancam Polocensem sedem pro merito evectus, precibus enixe Deo fusis, schismaticorum unionem ad Petri Cathedram presso pede

curavit et caetera Ecclesiae Catholicae jura vindicavit; quae omnia inexorabile schismaticorum odium in Beatum excitarunt, illumque miserrime perdere decreverunt, sicuti evenit die 12 Novembris 1623 qua invictissimus Christi Martyr gladiis impiorum occubuit. Haec omnia, ex inquisitione de more a S. Rituum Congregatione praehabita, eruuntur; ex quibus de virtutibus in gradu heroico exercitis, deque Martyrio. et Martyrii causa luculenter exploratum habetur.

Sicuti etiam ex Actis a laudata S. Rituum Congregatione expletis constat Beatum Petrum de Arbues (alias dictum Magistrum Epilae) ad omnia quaeque perfectiora divina providentia fictum...

Quae quidem omnia satis superque essent, ut isti gloriosi Christi athletae Canonizationis honorem fuerint promeriti. Sed tam de B. Josaphat Kuncewicz, tam de B. Petro de Arbues, quam de Beatis Martyribus Gorcomiensibus Deus ipse semper in suis Sanctis admirabilis testimonium reddidit luculentissimis miraculis ad trutinam severe revocatis per ipsorum piam invocationem peractis.

Submisce igitur, Beatissime Pater, censerem ipsos in Sanctorum albo esse recensendos, et ex ipsorum suffragiis optatissimam Ecclesiae pacem esse sperandam.

✠ Clemens Pagliari Episcopus Anagninus.

D. BARTOLINI, I, 383-4.

432.

LUDOVICUS, EP. ATUREN.

Pro instante Canonizatione Beatorum Martyrum Josaphat Kuncewicz, Petri de Arbues, et Nicolai Pichii, cum octodecim ejus sociis, suffragia dare jussus, haec Sanctitati Vestrae, circa singulos humillime exponit Episcopus Aturensis et Aquensis in Gallia infrascriptus.

1. Non absque mira providentia, in candidato martyrum exercitu fulgebit, velut Papatus martyr, Beatus Josaphat qui saepe vivens clamabat: *Domine Deus meus, da unionem Ecclesiae sanctae et schismaticorum conversionem*; qui Ecclesiae jura et bona fortiter asseruit, eaque a laicis usurpata vindicavit; qui Ecclesiae unitatis et primatus Romani Pontificis propugnator extitit acerrimus, qui contundebat perfidiam qua schismatici viri Summum Pontificem, Christi Vicarium, calumniis probrisque urgebant, atque inconsutilem Christi vestem dilacerabant; qui *latinus papista* inclamatus, pro Christo confossus occubuit, qui alter Stephanus, pro suis interfectoribus oravit, eosque ad fidem catholicam reduxit; qui Ecclesiam graecam cum latina univit. Certe hujus incliti martyris revelanda est gloria singularis, eritque saluberrimum ejus patrocinium hisce miserrimis temporibus quibus perditii homines saevissime dimicant adversus catholicam Ecclesiam, sanctam Petri Sedem, ejusque inviolabile dominium.

2. Mirabilis inter martyres catholicae Fidei, sanctaeque Romanae Ecclesiae defensores venit Petrus de Arbues...

3. Denique valde mirabilem ac praesertim opportunam esse canonizationem Beati Nicolai Pichii...

Cum insuper jam factae fuerint relationes distinctae super vita, virtutibus, martyrio, causa, prodigiis et miraculis singulorum eorumdem martyrum, an tuto devenire possit ad solemnem eorum Canonizationem, interrogatus respondet lubens, *Placet*, provolutus ad pedes Sanctitatis Vestrae, Beatissime Pater, obedientissimus ac devotissimus filius tuus.

✠ Ludovicus Maria Episcopus Aturen. et Aquen.

D. BARTOLINI, I, 385-6 (in lingua armena et latina). 433.

J. ARACHIAL, EP. ANCIRAE

Beatus Josaphat Archiepiscopus Polocensis cognominatus *Animarum raptor*, et Beati novemdecim Martyres Gorcomienses, et Beatus Petrus de Arbues Magister Epilae veterum christianorum aemulati constantiam Martyrium perpassi sunt: idcirco summopere expediri existimo ut Martyres ipsi in Sanctorum album inscribantur, quo novus Religionis triumphus, Fidelibusque in perferenda propter nomen Christi persecutione fortiter ex exemplo animus adjiciatur.

Josephus Arachial Episcopus Armenus Ancirae.

D. BARTOLINI, I, 385-6. 434.

ELIAS, EP. ASCULAN.

Si fidei cultores sacra Jesu Christi vestigia prementes ac ad evangelicae perfectionis fastigium virtutum omnium exercitio contententes *Martyres* a Sanctis Patribus appellantur, nonne merito gemina martyrii corona in coelis affulgentes praedicandi sunt Beati Josaphat Archiepiscopus Polocensis, Petrus de Arbues strenuus fidei defensor, ac Gorcomienses athletae ex variis Religiosorum familiis et saeculari clero ad palmam caelestis triumphi prodeuntes?..

Etenim si *tota quippe vita* (verbis utar D. Augustini) *christiani hominis ... mors est atque Martyrium*, mors quodammodo et martyrium fuit vita admirabilis Beati Praesulis Josaphat. Ipse enim tum in Magni Basilii asceterio carnem cum suis vitiis ac concupiscentiis, Jesu Christi amore jugiter crucifixerat: tum boni Pastoris cum munia evangelico obiret zelo, seipsum exposuit injuriis, fami, frigori, laboribus, ac omni poenarum generi pro gregis sibi commissi aeterna salute.

Mors item et martyrium extitit Beati Petri de Arbues vitae genus...

Unde Christus Dominus, inferorum triumphator, qui in Martyribus suis jugiter vincit mundum, eis non tantum coronam imposuit aeternam, sed signis, portentis, ac magnificis beneficiis inter nationes gloriosos

reddidit; eapropter de Beatis Martyribus, Josaphat, Petro, et Gorcomiensibus asserere possumus, sicut olim Div. Bernardus de S. Victore « *In coelum ascenderunt cum immensa suppellectili meritorum, triumphis clari, miraculis gloriosi* ». Supplex igitur exoro, Beatissime Pater, ut ex suprema hac veritatis cathedra in Sanctorum albo adnumerare digneris hos Christi BB. Martyres, qui stolas suas in ejusdem agni sanguine, proprio effuso, dealbare meruerunt.

Fr. Elias Antonius Episc. Asculan.

D. BARTOLINI, I, 387-8.

435.

PETRUS, EP. ANICIEN.

Ego infrascriptus Petrus Marcus Aniciensis Ecclesiae Episcopus, laturus suffragium in causa Canonizationis Beati Josaphati Kuncevicii Pontificis et Martyris; Beati Petri de Arbues, Martyris; ac tandem BB. XIX Martyrum Gorcomiensium, humillime ac integra conscientia opinor publicis altarium honoribus esse dignos, scilicet :

1. Illustrem Christi athletam praedictum B. Josaphatum tamdiu et tam egregie zelatum rectam Sacramentorum administrationem et praecipue exomologesis frequentiam, schismaticorum ad ovile Christi reductionem, unionem Ecclesiae Sanctae Dei; poenitentiae ac mortificationis operibus incumbentem; pauperum amantissimum; Ecclesiae jurium assertorem eximium; aurum respuentem oblatum, quippe qui se de animarum salute divitem fieri dictitabat; principatus Romani Pontificis acerrimum propugnatorem; *animarum raptorem* in difficillimis temporibus vulgo nuncupatum.

Item 2. B. Petrum de Arbues Martyrem...

Quid autem horum Canonizatione et exemplis opportunius nostris hisce temporibus offerri possit, cum scilicet undequaque concutitur Petri navigium Christique in terris Vicarii divina potestas? Ea sunt praecipua quibus nititur meum pro Canonizatione suffragium momenta.

✠ Petrus Episc. Anicien.

D. BARTOLINI, I, 389.

436.

JANUARIUS, EP. ANGLONEN

Cum meridiana luce clarius pateat Beatos decem et novem Martyres Gorcomienses, B. Josaphatum Kuncevicium Archiepiscopum Polocensem et Rhutensem ex Ordine S. Basilii Magni, nec non B. Petrum de Arbues Canonicum regularem ordinis S. Augustini Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae, ac Primi Inquisitoris regni Aragoniae virtutibus in gradu heroico ornatos fuisse in vita, sanguinem pro Domino fudisse in morte, miraculisque claruisse post mortem, Beatissimum Do-

minum Nostrum Pium Papam Nonum enixe precamur, ut ad eorum solemnem Canonizationem sine mora procedi decernat.

✠ Januarius M.^a Episc. Anglonensis et Tursiensis.

D. BARTOLINI, I, 389.

437.

JOSEPHUS, EP. AURINENSIS

Perlegenti mihi historiam martyrii, et miraculorum, necnon acta in causa Canonizationis Beatorum Petri de Arbues, et Josaphati Kunceovich, cum aliis novemdecim martyribus Gorcomiensibus, videtur, constare de vero martyrio, seu de morte in odium fidei Catholicae eisdem inflicta, sive a Judaeis, sive ab Haereticis, sive ab Schismaticis. Constat etiam de miraculis, quae sunt veluti sigilla Dei, servorum suorum sanctitatem attestantis. Pro eorum igitur Canonizatione sententiam meam fero.

Josephus Episc. Auriensis.

D. BARTOLINI, I, 389-90.

438.

FRIDERICUS, EP. AEDUNENSIS

Attente perlectis, ex jussu et voluntate Sanctitatis Tuae, Actis in causa Canonizationis Beati Petri de Arbues, Beatorum XIX Martyrum Gorcomiensium, ac Beati Josaphat Kuncevicii, omnino placet ut ad solemnem eorum martyrum Canonizationem procedatur. Pro Christo et vera fide sanguinem fuderunt et eorum gloriam in coelis, omnipotens Deus pluribus authenticis miraculis confirmavit. Insuper quum pro tuenda Ecclesiae libertate atque supremae Petri cathedrae auctoritate passi fuerunt, peropportuno videtur, ut hoc infelicissimo tempore, quo sub praetensae libertatis praetextu adversus Petri cathedram tot Pseudopolitici omnia moliuntur, gloriosi illi martyres solemniter in sanctorum albo inscribantur.

✠ Fridericus Aeduensis Episcopus.

D. BARTOLINI, I, 390.

439.

ALOISIUS, EP. ASSISIEN.

Fidelis servus Josaphat Kuncevicus cor suum tradens ad vigilandum diluculo ad Dominum, caritate, modestia, temperantia, divinorum officiorum assiduitate, corporis afflictatione, proximorum salutis zelo mirifice claruit. Archiepiscopali insignitus dignitate non restitit disciplinam doctrinae suae palam facere, et inter schismaticos unitatem Ecclesiae catholicae, et Romani Pontificis Primatum acerrime tueri, ea tamen suavitate, prudentia et persuasione, ut animarum raptor nuncuparetur. Quapropter a nefariis schismaticorum hominibus designatus ad mortem, ipsam libenter subiit, gaudens pro populo, pro unione sancta, pro Sede Petri, successorumque illius Romanorum Pontificum animam ponere. Nullo ergo tempore Josaphati, quem inter beatos jam Urbanus VIII recensuerat, convenientius gloria solemnem canonizationem

omnium sermone celebrari poterat quam isto; in quo Christi Jesu, et sanctae illius Ecclesiae inimici dimicant convenientes in unum, ut Petri Cathedram a civili societate excludant. Quare cum aliis plurimis instantibus ut decretoria de solemni Canonizatione sententia exequutioni mandetur vota facit quamplurima.

✠ Aloisius Episcopus Assisien.

D. BARTOLINI, I, 392.

440.

F. GANDOLFI, EP. ANTIPATREN.

De viris sanctis in testamento veteri scribebat Apostolus « Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convalescerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. Alii ludibria et verbera experti; insuper et vincula et carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt; egentes, angustati, afflicti, quibus dignus non erat mundus ». Haec aptissime in Novo Testamento conveniunt Beatis martyribus, Josaphat videlicet Kuncevicio Archiepiscopo Polocensi, Petro de Arbues, primo Aragoniae Inquisitori, et praecipue novemdecim religiosis Gorcomiensibus; qui ob acerrimum schismaticorum odium, et propter infandam calvinistarum crudelitatem, probris, maledictis, calumniis, conviciis, contumeliis, alapis, verberibus, carcere, ferro, flammaque, aliisque tormentorum generibus lacerati atque dilaniati, tandem pro Christo sanguinem fuderunt, et meruerunt habere coronas perpetuas. Quapropter cum jam horum martyrum causa sub Urbano VIII, aliisque Summis Pontificibus ventilata ac discussa fuerit; atque etiam varietate et magnitudine miraculorum comprobata, et roborata; aequum est, Beatissime Pater, Sanctorum fastis illos accensere; ut ipsis opitulanti, extincto schismaticorum odio, et haereticorum fraude depulsa, Ecclesia Sancta Dei tranquilla pace laetetur, et fiat unum ovile et unus pastor.

441.

Franciscus Gandolfi Episcopus Antiparensis

Administr. Ap. Sabinen.

D. BARTOLINI, I, 393 (in lingua syra et latina).

ATHANASIUS RAPHAEL GIORCHI, EP. SYRUS BABYLONIENSIS

Quum examen actorum Martyrii Beati Josaphat Archiepiscopi Polocensis et Beati Petri de Arbues, et XIX Martyrum Gorcomiensium peractum sit maturo et diligenti judicio, oro S. T. ut eosdem in Sanctorum catalogum referre digneris.

Athanasius Raphael Giorchi, Episcopus Syrus Babilonensis.

D. BARTOLINI, I, 393-4 (in lingua graeca et latina).

442.

MELETIUS FINDI, EPISCOPUS BALBEK SEU HELIOPOLIS

Cum constitisset, omnibus bene perpensis, de eximia sanctitate et

miraculis quibus claruerunt Beati Dei Martyres, de quibus agitur hac solemni die, persuasum est mihi eorum Canonizationem incrementum esse allaturam Dei gloriae et Fidei, nec non novum argumentum benevolentiae S. Sedis erga orientalem Ecclesiam, quae per tot saecula Sanctorum orba gratissimo animo futura, immortalesque gratias Tuae Sanctitati actura, in persona Beati Josaphat ornamentum decusque his in terris et patronum magnum in coelis habebit. Deprecor ergo ut Tua Sanctitas illum cum aliis martyribus in Sanctorum albo recensere dignetur.

Meletius Findi Episc. Balbek seu Haeliopolis.

D. BARTOLINI, I, 394-396.

443.

LUDOVICUS, EP. BLESSENSIS

Cum a me exquiri jusserit Sanctitas Vestra quatenus sit, circa Beatorum Martyrum Josaphat Kunceovich Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues canonici regularis Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae, et Nicolai Pichii cum octodecim sociis Brilae in Hollandia pro Christo passorum Canonizationem mea sententia, hanc illi festino aperire.

1. Gaudeo quod Sanctitas Vestra inter sanctos adnumerare sibi proponat Beatum Josaphat Archiepiscopum Polocensem, qui doctrinae catholicae strenuus defensor, multa schismaticorum millia, spretis ac fortiter superatis hostis generis humani insidiis ac conatibus, ad fidei unitatem reduxit, qui pro tuendis Ecclesiae juribus atque asserenda Summi Pontificis auctoritate, tot tantaque adiit pericula, ac tandem sanguinem ac vitam profudit, et quo defuncto, ad ejus tumulum ita enituit virtus divina, adeoque clara patrata sunt miracula ut, Urbanus Octavus, non obstante suo Decreto de non procedendo in ulla Canonizationis causa, nisi post annum quinquagesimum a die obitus, voluerit ob praeclara Josaphati merita, ut ejus Canonizationis processus statim aperiretur. Quae exinde prodierunt Sacrae Rituum Congregationis decreta quibus declaratur posse servum Dei Martyrum catalogo adscribi, satis probant huiusce Canonizationis causam sufficienter instructam, nihilque obstare quominus ulterius procedatur.

Dignus sane erat amatissimus Pater Summus Pontifex Pius Nonus, qui et ipse doctrinae integritatem et Ecclesiae jura iisdem ac Beatus Josaphat armis, eadem videlicet animi suavitate atque constantia tueri non desinit, ut admirabilem illum veritatis ac justitiae assertorem summis prosequeretur in terris honoribus, quem Deus jam coronat in coelis.

2. Haud parum gaudeo de proposita Beati Petri de Arbues Canonizatione...

3. Magna me etiam afficit laetitia futura Beati Nicolai Pichii et octodecim ejus sociorum Canonizatio...

Cum causa haec jam pluries discussa fuerit, et a Sacra Congregatione declaratum: posse tuto ad solemnem Canonizationem deveniri, superest ut id perficiatur quod hisce temporibus reservasse videtur divina providentia: ut glorificentur, praesertim nunc, invicti illi fidei Catholicae et Sedis Apostolicae defensores, ad confusionem adversariorum, et ad maximam Ecclesiae atque omnium fidelium exultationem et consolationem.

Haec sentit et peroptat, Beatissime Pater, Sanctitatis Vestrae filius obsequentissimus et addictissimus.

✠ Ludovicus Theophilus Blesensis Episc.

D. BARTOLINI, I, 396-7.

444.

J. LOSANNA, EP. BUGELLEN.

Quae plerumque in humano consortio despicitur nivea canities ac pro certo saltem semper aegre fertur utpote vitae cadentis indicium, mihi hodie auspicatissima cessit cum pergratum mihi tulit insperati honoris officium coram Te, Beatissime Pater, uti et coram amplissimo hoc tot Eminentissimorum virorum ac insignium Praesulum ex omnibus orbis partibus ad Te, veluti stellae ad solem convergentium, consessu breviter disserendi de Beatis sive Martyribus sive Confessoribus in causa positis in Sanctorum album cooptandis.

Quam praeclara, Beatissime Pater, quam mira et evidens Romanae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae praerogativa, perennis aequalis illa est, et unice illi inest foecunditatis virtus ab alto Sanctorum familiam in dies semper adaugendi! Quam simplex simul atque ineluctabile Divinae ejusdem Ecclesiae originis argumentum! Perlustratis itaque ac mature perpensis, prouti saltem temporis angustia sinebat Actis pro eorum Canonizatione exaratis, qui ad coelitum honores propositi fuere, nedum quidquam prodere mihi foret adversus sententiam tam accurate pro more ac tam sapienter jam emissam, sed quin immo eam plene ac lubentissime excipiens, pro veritatis jure et in Catholicae fidei triumphum omni eam adprobatione ac confirmatione dignissimam esse absque haesitatione declaro. Post haec omnia tamen, et rei summam et votum per me emissum et omnia supremo tuo, B. P., ac irrefragabili judicio humiliter ac fidenter submitto ».

✠ Joa. Petrus Losanna Episcopus Bugellensis.

D. BARTOLINI, I, 397.

445.

ALEXANDER, EP. S. BONIFACII

Quum sancta Jesu Christi Ecclesia constanti traditione tenet ac

semper tenuit martyrium pro christiana religione passum januam esse coeli certissimam;

Ego considerans Beatos Josaphat Kunceovich Archiepiscopum, Petrum de Arbues, Nicolaum Pichium cum octodecim sociis pro fide catholica et in ejus odium martyrio fuisse affectos, nec non et Deum ipsum sepulchrum illorum gloriosius effecisse collustrantibus miraculis censeo ad honorem Dei ejusque Sanctorum magis magisque promovendum prae laudatos Beatos martyres dignos esse qui solemnī Sanctitatis Vestrae oraculo sententia Canonizationis cumulentur.

✱ Alexander Episcopus Sancti Bonifacii.

D. BARTOLINI, I, 397-8.

446.

PANTALEON, EP. BARCINONEN.

Si illustrioribus Athletarum primaevae Ecclesiae licuit dicere cum propheta, *confiteor tibi Deus, quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi*, non minori jure hoc effatum sibi vindicare possunt Petrus de Arbues, Episcopus Josaphat cum caeteris fidei propugnatoribus qui saeculis nobis proximioribus Gorcomii martyrii palmam meruerunt. Siquidem, juxta nobis exhibita Acta sapientia eorum manifestatur tum docendo, tum praedicando, utroque modo illam magnifice tractando: fortitudo vero conspicua fuit persequendo ac profligando totis viribus errores sua aetate serpentes: obsistendo sectarum propagatoribus, qui falsum christianismum sub privati sensus criterio docentes magisterium religionis sibi vindicabant, prorsus deleto quod Ecclesiae a Christo in persona Petri concessum est. Quae cum agerent praeclari illi veritatis defensores non timuerunt ludibria, minas ac persecutiones, non respexerunt carnem et sanguinem, sed pro vera fide certantes usque ad mortem, martyrio meruerunt coronari. Procul dubio, B. P., in hac praesenti contra Ecclesiam tempestate, ejus praesules ac sacerdotes talibus, quibus roborantur indigent exemplis, cum dogmata nova sub rationalismi ac naturalismi larva proposita humanam religionem ubique invehere conantur, istiusque factionis praepositi homines nihil aliud sibi proponere ajunt quam jura rationis ac naturae vindicare; aliunde de intollerantia, de excessu zeli, de praejudiciis contra scientiam saeculi nos Magistros verae sapientiae ubique increpantes.

Quapropter cum sanctitas heroum qui metam nobis reliquerunt in pari rerum discrimine divinitus approbata miraculis ostendatur, tantum superest, ut sententia ex sublimi Cathedra infallibili prolata, silentium, finemque gloriosum tantae causae imponat.

Pantaleon Episcopus Barcinonen.

D. BARTOLINI, I, 399.

447.

DALMATUS, EP. BOVAE

Non sine peculiari Dei munere factum apparet solemnem Canonizationem B. Josaphati Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis et Ruthensis martyris usque nunc dilatam ut sancta Mater Ecclesia in terris militans coronaretur excelso triumpho, sicut triumphans in coelis exultat per virtutes celeberrimas Josaphati, quem fidei suae Christus Dominus Athletam formavit in gentes.

Quapropter, Beatissime Pater, humillime rogo ut incoeptum opus tam dulce et suave infallibili oraculo Tuo perficere, et inter sanctos adscribere digneris memoratum Christi Martyrem Josaphatum.

Frater Dalmatius de Andrea Episcopus Bovae.

D. BARTOLINI, I, 400-1.

448.

ROBERTUS, EP. BEVERLACEN.

Zelus pro unitate Ecclesiae, amor et obsequium erga Cathedram Petri pro cujus decore auctoritate et sanctis juribus, B. Josaphat Kuncevicus Archiepiscopus Polocensis mortem obire non dubitavit, commendant eundem Praesulem summopere, utpote exemplar aptissimum, imo luctuosissimis hisce quae currunt temporibus apprime necessarium; proindeque infrascriptus, lecto diligenter brevi compendio actorum in causa, et vitae B. Josaphati, suffragium fert pro ejus Canonizatione, suppliciter orans ut Summus Pontifex infallibili suo decreto honores Sanctorum eidem Beato Praesuli decernat.

✠ Robertus Episc. Beverlacenensis.

D. BARTOLINI, I, 401.

449.

G. ULLATHORNE, EP. BIRMINGHAMEN.

Beatorum Martyrum Josaphat Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues et Nicolai Pichii cum octodecim sociis causae, cum rite amplissima et cautissima investigatione probatae fuerint; ad sanctae matris Ecclesiae exaltationem, ad fidelium aedificationem, maxime vero ad eandem patientiam fortitudinemque in Episcopis et Clero excitandam et promovendam in hisce infelicibus temporibus, quam ad Martyrum candidatum exercitum glorificandum, et ad Sanctam Romanam Sedem sanguine Martyrum ab incunabulis purpuratam, sanguine Martyrum magis magisque decorandam et confortandam, humillime et enixe peto ut supradicti Beati Martyres in albo Sanctorum inscribantur.

✠ Guglielmus Bernardus Ullathorne Episc. Birminghamiensis.

D. BARTOLINI, I, 402-3.

450.

H. VERZERI, EP. BRIXIEN.

Ego infrascriptus Hieronymus Verzeri Dei et sanctae Sedis Apostolicae Gratia Episcopus Brixienensis in Longobardia, in consistorio se-

mipublico in magna aula supra porticum Basilicae S. Petri ad Vaticanum feria IV die 12 Junii 1867, requisitus a Beatitudine Tua de mea sententia pro futura Canonizatione Beatorum Martyrum Josaphat Kunce-
vich Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus orientalis ex ordine S. Basilii Magni, Petri de Arbues, alias magistri Epilae, Canonici regularis Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae, ac primi Inquisitoris regni Aragoniae; et Nicolai Pichii cum octodecim sociis ex utroque clero, ac diversis regularium familiis, qui Brilae in Hollandia pro Christo passi sunt, eam humili ac laeto animo profero per verbum *Placet*, sequentibus fretus rationibus.

Sane miserrimis hisce temporibus, quibus inconsutilem Christi vestem, ejusdem nempe Ecclesiam homines perversi scindere, ac populos a debita Sanctae Sedi Apostolicae obedientia ac submissione avertere conantur, nil pietati fidelium utilius, nil carius fore existimo, quam solemnem Beatitudinis Tuae judicio, Sanctorum cultum decernere Beato Josaphat, qui non modo orationes, carnis macerationes, laboresque suos, sed et sanguinem, vitamque suam Deo obtulit pro Ecclesiae unione, schismaticorum conversione, ac supremo et universali Romani Pontificis Primatu: factus holocausti hostia pro unitate Ecclesiae asserenda atque tuenda.

Hac ipsa de causa omnibus optandum est, ut quam citius inter Sanctos recenseatur Beatus ille Petrus de Arbues...

Quamobrem tot ac tantorum Praesulum precibus, humillimas meas preces adjungo, ut Beatitudo Tua praefatis coelitibus Sanctorum cultum decernere dignetur, ab eisque intercedentibus Ecclesia pacem peroptatam percipiat.

Hieronymus Verzeri Episc. Brixienensis in Longobardia.

D. BARTOLINI, I, 404.

451.

CAJETANUS, EP. BALNEOREGIEN.

Induti loricam justitiae B. Josaphat, B. Petrus de Arbues, B. Nicolaus Pichius cum octodecim sociis Gorcomiensibus, strenue restiterunt vel Ruthenis Schismaticis, vel Judaismi, Mahometis, et Calvinii asseclis infensis seu Romani Pontificis Primatui, seu pro Christi fide tuenda Inquisitionis sacro Tribunali, seu ejusdem Christi Domini reali in Eucharistia praesentiae.

Hac justitiae lorica induti, verborum vi, et tormentorum tollerantia constanter Fidem sanctam catholicam professi sunt: portenta ad eorum invocationem emicuerunt: veneratio fidelium, cultusque nunquam interruptus erga eosdem pariter explorata inveniuntur.

Hinc non rectum solummodo reputo, sed summis extollendum preconiiis, quod Sanctitas Vestra faustiori auspicio quam trophaeorum

ad simulacrum Alcidis dependentium, trophaea haec vere insignia XXI Martyrum ad sepulcrum Apostolorum Principis suspendat, unde fons irriguus promanat tota qua late patet Christianitate, idque eveniat in saeculari ab ejus crucifixione instanti solemnitate.

✠ Cajetanus Episcopus Balneoregionensis.

D. BARTOLINI, I, 404-5.

452.

L. DE BESI, EP. CANOPEN.

Divina ac singulari prorsus Providentia factum puto, ut luctuosissimis hisce temporibus quibus Ecclesia sancta Dei asperrimo undique bello divexatur, ac sancta Petri sedes tot injuriis oppugnatur, agatur hodie de Canonizatione Beatorum illorum, qui pro eadem Catholica Ecclesia, pro sacris ejus, pro legibus, pro dignitate, *pro tuenda Romani Pontificis a Deo ipsi tradita suprema auctoritate*, et subire pericula, et exantlare labores, et vitam ipsam profundere non dubitarunt.

Quapropter, Beatissime Pater, ego quidem inter Episcopos ultimus, ac tanto nomine indignus, perlectis, ac perpensis omnibus, quae gesta sunt in causa Canonizationis Beatorum Josaphat Archiepiscopi Kuncewicz, qui vel sub ipso triumphali PAPISTAE nomine martyr occubuit, Petri de Arbues primi Aragoniae Inquisitoris, ac demum Nicolai Pichii cum octodecim sociis qui et ipsi pro aperta ac sincera Romanae fidei ac *Summo Pontifici adhaesione*, vicerunt in sanguine Agni propter Verbum testamenti sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem, ego, inquam, plenissimo corde obtestor, si Sanctitati Vestrae placuerit, ut supradicti Beati in Sanctorum album referantur.

✠ Lud. Maria de Besi Episcopus Canopenensis.

D. BARTOLINI, I, 405-6.

453.

IGNATIUS, EP. CHIEN.

Consolare, consolare, dum enim gravissima saevit tempestas, proxima imminet serenitas.

Omnibus Fidelibus notum, atque perspectum est Tuam Sanctitatem in his temporibus nostris, gravissimis urgeri angustiis, propter insidias diaboli, in quibus, gemens Ecclesia Christi degit; sed in hac tam tenebrosa caligine, in qua paternum cor tuum tot, tantaque patitur, in sancta Ecclesia nostra catholica, magna lumina splendent, quae malitiae, et incredulitatis densas depellunt tenebras, ac Sanctae Paternitati Tuae haud dubie maximam afferent consolationem; Beati, inquam, Martyres Josaphat Kuncewicz Episcopus, Petrus de Arbues Canonicus Regularis, et Nicolaus Pichi, cum octodecim sociis, qui postquam heroicis virtutibus, et sanctis suis exemplis mundo salutis viam indicavere in vita, etiam post mortem signis, atque portentis, quibus Dominus Noster ipsos clari-

ficat, omnibus praedicant, dicentes, neminem, nisi in Ecclesia Catholica, cujus tu, Sancte Pater, Pastor es optimus, salvum esse posse.

Pro tanto igitur bono, quod ipsi Beati Martyres Ecclesiae nostrae attulerunt, pro tot tantisque meritis, atque donis, quibus ipsi sunt aucti, ac demum pro invicta animi fortitudine, qua pro Christo sanguinem fuderunt, si etiam Tuae Sanctitati placet, ut ab Apostolica Sancta Sede, quamprimum in album Sanctorum, festo cultu, cooptentur, ego quoque Episcoporum minimus humillime deprecor Tuam Beatitudinem.

Ipsi certe, in caelo, pro fidei propagatione, pro militantis Ecclesiae tranquillitate, nec non Tuae Beatitudinis consolatione, incolumitate, atque aeterna felicitate, ad majorem Dei gloriam, Beatissima semper Virgine, ac semper Immaculata mediatrice, Deum optimum maximum deprecari non deficient, quod etiam omnes nos obtinere, ardentem petimus, et obsecramus.

Ignatius Episcopus Chien.

D. BARTOLINI, I, 406.

454.

G. MASSAJA, EP. CASSIEN.

Ea qua potui diligentia perlegi compendium historiae martyrii, miraculorum, et actorum in causa Canonizationis Beati Josaphati Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis, de eoque ad solemnem Canonizationem deveniri posse censeo. Cum ipse in agone suo nihil aliud in votis habuerit, quam unionem nationis Slavicae cum Ecclesia catholica, et pro ea cum Christo sit passus, inter caelites nunc solemmniter cooptatus, pro immensa illa multitudine Schismaticorum, quae pars quasi media christiani gregis est procul dubio orabit ut salva fiat.

Hac spe motus rogo Sanctitatem Vestram ut Eum in album Sanctorum martyrum solemmniter adscribere dignetur.

✠ Fr. Guglielmus Massaja Episc. Cassiensis.

D. BARTOLINI, I, 408.

455.

J. LLUCH, EP. CANARIEN.

Beati Martyres Josaphat Kuncevicus, Petrus de Arbues, et Nicolaus Pichius cum aliis decem et octo sociis Gorcomiensibus bonum certavere certamen, fidem probavere, et absque dubio a Domino coronam justitiae acceperunt in coelis. Ita luculentissime patet ex actis pro eorum Canonizatione exaratis. Id demonstrant miracula a Deo Optimo Maximo eorum intercessione patrata. Et cum a Sanctitate Vestra hos catholicae religionis insignes assertores albo Sanctorum rite adscribi posse decretum sit, hoc ipsum censeo fieri oportere.

✠ Fr. Joachim Lluch Episc. Canariensis
et Administ. Apost. Teneriphensis.

D. BARTOLINI, I, 409-410.

456.

FRANCISCUS XAVER. EP. CASTRIMARIS

In tanta rerum hominumque perditorum in Dei viventis Ecclesiam conjuratione, ubi adjutorium hominum non erat, optime, Sanctissime Pater, memoratus misericordiae Domini, qui eruit sustinentes se et liberat de manibus gentium, apud ipsum in coelo intercessione ac in terra exemplo numerum patronorum accrescere judicasti, ut multiplicatis intercessoribus pacem nimis optatam Ecclesiae universae Deus tandem elargiri dignetur.

Beati vero Martyres, Josaphat Kuncewich Archiepiscopus Polocensis Ruthenorum ritus orientalis, Petrus de Arbues Canonicus Regularis Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae, et Nicolaus Pichius cum octodecim sociis, quos e Clero atque e fidelibus ordines omnes humiliter expostulant ut adnumerentur in albo Sanctorum, quos cum Christo capite apud Patrem advocatos habemus, ob praeclara gesta dum vitam degerent mortalem, nec non ob miracula queis et Dominus confirmasse eorum sanctitatem non dubitamus, promeruisse videntur.

Re quidem vera, ex iis quae mihi perlegere datum est in fideli gestorum ad me transmissa narratione, apertissime colligitur, B. Josaphat imprimis magnum in Domo Dei fuisse in Religione propaganda, in schismate Graecorum delendo, in restituenda ecclesiastica disciplina, in sublevandis miserorum necessitatibus, nec non in juribus Sedis Apostolicae vindicandis. Quapropter, non mirum sane, si dum ipse, ut bonus Pastor, conjuratorum schismaticorum ferro occumbens, non metuit animam suam pro ovibus dare, Omnipotens, vel invocato tantum ejus nomine, sepulchrum signis ac prodigiis pene innumeris reddidit gloriosum.

Nec minus fuit admiranda charitas qua flagrabat alter martyr B. Petrus...

Nicolaus Pichius tandem cum ejus octodecim sociis martyrum candidatum exercitum, qui Deum laudant, novum procul dubio constituunt...

Si igitur omnes isti, non timentes illos qui occidere possunt corpora, animas autem occidere non possunt, Dominum Nostrum Jesum Christum coram hominibus confessi sunt; si eos ipse auctor veritatis miraculis apud homines clarificare voluit, non ambigo, ad Tuos pedes provolutus, enixe efflagitare a Beatitudine Tua, ut viros tales gloriosos gloria virtutum et confessione fidei, quamcitiis in Sanctorum cathalogo inscribere digneris ad honorem Dei nostramque utilitatem.

✧ Franciscus Xaverius Episc. Castrimaris Stabiarum.

D. BARTOLINI, I, 410-411.

457.

PAULUS, EP. COMACLEN.

Pro Christi fide gloriosum fudisse sanguinem B. Josaphat Kuncovichium Archiep. Polocensem, B. Petrum de Arbues ac B. Nicolaum Pichium una cum octodecim sociis ex utroque Clero et diversis Regularium familiis; eorumque intercessione Deum Omnipotentem patrasse miracula ex Actis apprime constat, quae S. Consensus legitimis ritibus tuendis praepositus rite confecit. Quare de honoris culmine hisce Martyribus in Ecclesia tribuendo in affirmativam sententiam ire submisso censeo. Itaque, B.me Pater, ut solemnem tandem decreto BB. hos Jesu Christi Martyres inter caelites adscribas enixis precibus efflagito.

Quo enim tempore recta vel obliqua via Catholicae Romanae Ecclesiae suprema auctoritas, veritas et unitas acerrime impetitur, majorem in modum expedit multiplicare intercessores in coelis, ut eorum precibus aliquando exoratus Deus exurgat, et dissipentur inimici ejus, et sicut fumus deficiant. Ita etc.

✠ Paulus Alex. Episcopus Comaclen.

D. BARTOLINI, I, 411.

458.

CAMILLUS, EP. CORNETI

Si, quos fatue mundus abhorruit, quique laverunt stolas suas in sanguine Agni Sanctorum Martyrum decet sertis coronari, multo magis id illis convenit, quorum mortem in conspectu Domini fuisse pretiosam miracula multa et magna testantur. Et isti quidem sunt Josaphat Archiepiscopus Polocensis, Petrus de Arbues, et Nicolaus Pichius cum suis octodecim sociis, qui ludibria, truces minas, carcerem, et durissimam quaestionem experti, quin cederent suppliciis, corde impavido die 9 Julii 1572, gloriosam mortem oppetere non dubitarunt.

Cum igitur pro amore Christi, cujus vestigia sunt secuti, eorum sanguine terra maduerit, ut illos cum Rege Martyrum in coelis exultantes sine fine Sanctitas Vestra decernat submisso putarem.

✠ Camillus Episc. Corneti et Centumcellarum.

D. BARTOLINI, I, 411-412.

459.

LUDOVICUS, EP. S. CLAUDII

Quoniam Martyrum patientia praecipue mundus vincitur, tot inter impiorum hostiles impetus, quibus nostris diebus Sancta Catholica Ecclesia lacessitur, opportunum sane erit, ut, ad Vestrae Vocis imperium, novi excitentur e coelo debellatores, qui, veluti stellae miraculorum gloria micantes, vocatae respondeant: adsumus; et manentes in ordine suo pro Israele decertent.

Unus adest Josaphat monachus et Archiepiscopus Polocensis; hic jejunia, chameunias, caetera austera quaeque passione sua consummans,

pro Divina Ecclesiae unitate a schismaticis vindicanda bonus pastor occubuit.

Alter accedit Petrus de Arbues... Martyrum vero Gorcomiensium coronas quis recolere sufficiat?

Horum omnium, tum ob heroicam passionem, tum ob miracula quibus Dei nutu coruscant, ut nomina albo sanctorum insinuentur, et centenariae festivitatis gaudia per eos augeantur ego Ludovicus Anna efflagito.

✠ Ludovicus Anna Episcopus sancti Claudii.

D. BARTOLINI, I, 412-3.

460.

M. PAYÀ Y RICO, EP. CONCHEN

Jucundissime Beatitudinis Vestrae sanctissimis obsequens votis, attente et mature perlegi compendia historiarum martirii et miraculorum, necnon actorum in causis Canonizationis B. Josaphat Archiepiscopi Polocen. Ruthenorum in Alba Russia; B. Petri de Arbues, ex Ordine Canoniorum Regularium S. Augustini, Hispaniarum Inquisitoris, et canonici Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae, et Beati novendecim Martyrum Gorcomiensium ad varios Ordines Regulares ac etiam ad clerum saecularem partinentium. Accuratissime instructis causis juxta S. R. E. praescripta, evidenter constat et de martyrio et de ipsius motivo. Quapropter *incunctanter judico tuto procedi posse ad ipsorum solemnem Canonizationem*, si ita B. V. placitum fuerit. Est alias opportunissima haec auspicatissima solemnitas, habita ratione temporis et circumstantiarum. Igitur B. V. enixe rogo, ut quantocius ad optatum deveniatur finem.

Michael Payà y Rico, Episcop. Conchen. in Hispania.

IBIDEM

461.

I. GODELLE, VIC. APOST.

Ego infrascriptus Thermopylensis Episcopus Vicarius Apostolicus Pudicheriensis, lectis documentis vitam virtutes et opera Beatorum de quibus agitur narrantibus, tuto posse procedi ad eorum solemnem Canonizationem puto.

✠ Joseph Godelle Vic. Apost.

D. BARTOLINI, I, 413-4.

462.

MATHIAS, EP. CIV. CASTELL.

Majorem charitatem nemo habet eo qui ponit animam suam pro amicis suis. Cum igitur constet Josaphat Archiepiscopum Polocensem, Petrum Arbuesium, et novendecim Gorcomienses, animam posuisse pro Christo Domino, dubitare minime possumus, quin charitatem maximam praetulerint. Accesserunt prodigia nonnulla quibus omnipotens Deus, qui solus auctor est prodigiorum, testatus est de sanctitate istorum. Quare

nulli dubium, ut omnes sollempniter ad Altaria extollantur, hac tempestate praesertim, in qua dogmata refutantur, pro quibus vindicandis sanguinem suum invictissime fuderunt. Iccirco, Sanctissime Pater, nedum assentio sed etiam rogo instantissime, ut evehantur per Tuum solemne Decretum ad cultum Sanctorum.

Mathias Augustinus Episcop. Civitatis Castellanae Hortae,
et Gallesii.

D. BARTOLINI, I, 414.

463.

J. ROGERS, EP. CHATHAMEN.

Lectis atque attente consideratis Causis eorum qui in Sanctorum Album cooptandi proponuntur: tum, nempe, Beatorum Josaphat Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus Orientalis ex ordine S. Basilii Magni; Petri de Arbues... arbitror, tuto procedi posse ad solemnem eorum Canonizationem.

✠ Jacobus Rogers Episcopus Chathamensis.

D. BARTOLINI, I, 414-5.

464.

A. LEMBO, EP. COTRONEN.

Quum ex actis legitimis de augendo et confirmando cultu Martyrum Gorcomiensium, Petri Arbuesii et Josaphati Kunceovichii luculenter constet eorum nomina Sanctorum fastis adscribi tuto posse, opportunum equidem censeo, ut eorum memoria impensius recolatur difficillimis hisce temporibus, in quibus acriori impetu, novis in dies artibus atque consiliis, perditissimorum hominum impietas fidem in Deum ejusque Filium Christum Dominum extinguere in animis hominum adlaborat...

Quamobrem enixe rogo, Pater Beatissime, ne diutius moreris Eos supremo Tuo atque ineluctabili decreto universae Ecclesiae colendos proponas.

✠ Fr. Aloysius Maria Lembo Episcopus Cotronensis.

D. BARTOLINI, I, 415.

465.

JACOBUS, EP. CERAMEN.

Ob rationes ex processu desumptas quibus evidenter constat tuto procedi posse ad Canonizationem BB. Martyrum Josaphat Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues, Nicolai Pichii cum octodecim sociis, Vestram Sanctitatem deprecor ut evehantur isti Martyres ad honores catalogi Sanctorum, sic magis ac magis manifestum erit hisce Ecclesiae tribulationis temporibus quod haec est victoria quae vincit mundum fides nostra.

✠ Jacobus Episc. Ceramensis.

D. BARTOLINI, I, 415-6.

466.

FRANCISCUS, EP. CARCASSONEN.

... Post quam ergo, Beatissime Pater, tum Josaphat Kuncevich, tum

Petrus de Arbues, tum Nicolaus Pichius, cum sociis suis tanta nobis exempla dedere, et, post mortem, signis et prodigiis, sanctitatem suam luculenter probavere, ut Sanctorum Martyrum catalogo dein adscribantur ego infrascriptus Sanctitatem Vestram humiliter deprecor.

✠ Franciscus Episc. Carcassonen.

D. BARTOLINI, I, 416.

467.

Ego Ludovicus Eugenius Regnault episcopus Carnutensis in Galliis, Romae vocatus a Beatissimo Patre Nostro Pio Papa IX tempore anniversarii mortis Sancti Petri Apostoli, ibique commorans, votum emitto ut Beatus Josaphat Kuncevicus Archiepiscopus Polocensis, Beatus Petrus de Arbues, et XIX Martyres Gorcomienses, perpensis quae de eorum vita et miraculis fuerunt allata, inter Sanctos Ecclesiae catholicae annumerentur.

✠ Ludovicus Eugenius Regnault Episc. Carnutensis.

D. BARTOLINI, I, 416-7.

468.

JOANNES, EP. DE CHARACAIBO

Deus qui omnia potenter suaviterque disponit tibi hanc magnam concedit gratiam ut difficillimis hisce temporibus Suo auxilio fretus inter sanctos referas B. Petrum de Arbues... et B. Josaphat Kuncewicz Archiepiscopum Polocensem Ruthenorum ex ordine S. Basilii, qui omnes pro Christo ejusque sponsa catholica Ecclesia, exquisitis tormentis vitam dederunt. Et quidem ex actis in S. Rituum Congregatione pluries repetitis et examinatis evidenter evincitur tum causa eorum Martyrii, tum posteriora miracula ex illorum intercessione patrata, quibus Altissimus Deus ipsorum constantiam et sanctitatem testare voluit. Quapropter cum ita revera sint, ut censeo, et cum etiam in presenti tempestate qua Ecclesia Sancta jactatur istorum Martyrum exempla et praesidia plurimum conferant ad unitatis centrum tuendum, quod est Cathedra Petri, simulque ad haeticam omnem pravitatem profligandam; quia ut ait Augustinus festivitates Martyrum exhortationes sunt martyriorum, Sanctissime Pater, te enixe atque humiliter deprecor, ut ad Canonizationem infallibi et irrefragabili tuo judicio laudatorum Martyrum quantocius procedas.

Joannes Hil. Episc. Emerit. de Characaibo.

D. BARTOLINI, I, 417-18.

469.

DOMINICUS, EP. DIANENSIS

Quod et mihi liceat suffragari sententiae de augendo cultu Martyrum Beatorum Gorcomiensium, Petri Arbuesii et Josaphati Kuncevichii, quum tibi, Pater Beatissime, tum ipsis fidei assertoribus invictissimis grates ago quam maximas. Demereri enim eos et tibi et mihi meoque gregi atque universae Ecclesiae peropto si tu, divino instinctu ductus,

supremo tuo atque definitivo iudicio christifidelibus omnibus colendos propones. Qua in re quum pronuciaveris tuto procedi posse ad solemnem eorum Canonizationem: equidem censeo non sine peculiari divinae providentiae consilio factum esse ut quum adversae inter se factiones impiorum conjuratione facta ad oppugnandam Petri Sedem, ad evellendam e christianis animis fidem, ad filium Dei conculcandum et sanguinem testamenti, in quo sanctificati sumus, polluendum, hisce temporibus enitantur: adsint nobis patroni Arbuesius orthodoxae fidei propugnator fortissimus, Gorcomienses assertores Christi Domini in Eucharistia praesentis et vindices Pontificiae auctoritatis invictissimi, itemque Josaphat Kunceovichius ecclesiasticorum jurium atque bonorum custos, catholicae unitatis et primatus Romani Pontificis strenuus defensor.

Quapropter, peractis jam rite omnibus quae legitime requiruntur ut cultus erga optimos Christi athletas amplificetur (quod in gloriam Dei et ipsorum Martyrum, in bonum Ecclesiae et religionis incrementum cedat) eorum nomina, Pater Beatissime, Sanctorum fastis ut adscribere jam velis humiliter exposco.

Dominicus Episc. Dianensis.

D. BARTOLINI, I, 418-420.

470.

INNOCENTIUS, EP. EUGUBINUS

Non sine peculiari Dei providentia factum arbitror, Canonizationem Beatorum Martyrum *Josaphat Kunceovich*, Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum in Alba Russia; *Petri de Arbues...* ad haec usque tempora esse dilatam, ut Ecclesia, quae militat in terris, ex illorum causa Martyrii argumentum summeret animo alacriori decertandi contra suos adversarios, qui hodie inito foedere cum Schismaticis, Judaeis, Novatoribus, et politicae libertatis assertoribus, furenti impetu aciem struunt contra Christum, ejusque Regnum ac Vicarium in terris.

Et quidem Beatus Josaphat, restitit usque ad sanguinem impiorum conatibus Schismaticorum, quorum salutem semper summo studio curavit, pluresque ipsorum ad unitatem Fidei reduxit. Quantum vero Ecclesiae jura ac bona fortiter assereret, eaque a laicis usurpata vindicaret, et quantum Ecclesiae unitatem, et Primatum Romani Pontificis acerrime propugnaret, incredibile dictu est; nam ad id operis conciones, scripta, disceptationes egregie adhibuit, et demum mortem ipsam crudeliter a Schismaticis sibi illatam forti animo tulit.

Haud minori zelo flagravit orthodoxae fidei tuendae Beatus Petrus de Arbues... Demum strenuum dedere de orthodoxa Fide monumentum Beatus Nicolaus Pichii et ejus octodecim socii...

Cum igitur omnia sint absoluta, quae juxta sacrorum canonum instituta erant servanda, et cum plane constet de virtutibus et miraculis

praedictorum Martyrum, opus a Summis Pontificibus Praedecessoribus Tuis incoeptum, nunc, B.me Pater, feliciter absolve, et illos Sanctorum Martyrum catalogo adscribe...

Innocentius Episcopus Eugubinus.

D. BARTOLINI, I, 420.

471.

STEPHANUS, EP. ELENENSIS

Praematurum ad pietatem studium B. Josaphat Kuncewicz, ipsius angelica virtus, zelus strenuus, dies pleni gloriosusque exitus, necnon miracula quae sanctitatem hujus heroici Episcopi manifestarunt, meo humili judicio, dignum reddunt illum ut in Sanctorum Album referatur.

✠ Stephanus Aemilius Episcopus Elnensis.

D. BARTOLINI, I, 421 (in lingua armena et latina)

472.

STEPHANUS, EP. ERZERUM.

Beatum Josaphat Polocensem Archiepiscopum, et Beatos XIX Martyres Gorcomienses, et Beatum Petrum de Arbues, qui pro Christo sanguinem fuderunt, jamdiu gloria et honore coronavit Dominus. Jure igitur meritoque honorem illum, quem in Coelis obtinent, et quem per signa et miracula Deus comprobavit, habeant a Te, Beatissime Pater, etiam in terris. Idcirco obsecro Sanctitatem Tuam, ut illis Sanctorum cultum decernere digneris.

Stephanus Melchisedech Episc. Armenus Erzerumiensis.

D. BARTOLINI, I, 421-2.

473.

ANTONIUS, EP. FABRIANEN.

Plurimae et pereximiae fuerunt virtutes, quae Beati Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus Orientalis, tam in saeculo quam in claustris monachorum S. Basilii ac praecipue in Episcopatu vitam illustrarunt, sed primum certe obtinet locum apostolicus zelus quo Ecclesiae unitatis et Primatus Romani Pontificis propugnator extitit acerrimus, et Ecclesiae jura ac bona fortiter asseruit, eaque a laicis usurpata vindicavit; ob quae omnia martyrii palmam meruit obtinere.

Omni equidem virtutum genere fuit conspicuus Beatus Petrus de Arbues... Gesta denique Beati Nicolai Pichii et octodecim beatorum sociorum ejus...

Horum omnium Beatorum martyrium et causa martyrii, nec non signa ac miracula rite probata merito postulant, ut Sanctitas Vestra invictissimos Christi milites solemniter decreto inter Sanctos referat, ut qui pro servanda unione et auctoritate Ecclesiae animam suam posuerunt, operariis, ex utroque Clero in Vineam Domini, ac praesertim Epi-

scopis, Canonicis et Parochis miserrimis hisce temporibus exemplar et adjuutores existant.

Antonius Maria Episcopus Fabrianensis et Matilicensis.

D. BARTOLINI, I, 423.

474.

N. GRISPIGNI, EP. FULGINATEN.

Beatus Josaphat Archiepiscopus Polocen. Ruthenorum, post vitam sanctissime actam, Martyrium pro Catholica Fide invicto animo pertulit, et gloria miraculorum inclaruit.

Beatus Petrus de Arbues... Beatus Nicolaus Pichius, haeresi Calviniana furente martyrium pariter apud Gorcomienses passus est cum octodecim sociis, quos Deus miraculis etiam glorificavit.

Quare te maximo devotionis affectu, B.me Pater, supplex efflagito, ut pro tua quam a Deo tenes auctoritate invictis Christi Athletis Sanctorum cultum ab Ecclesia Deitribuendum decernas.

Nicolaus Grispigni Episcopus Fulginatensis.

D. BARTOLINI, I, 423-4.

475.

JESUALDUS, EP. FERENTINEN.

Quae SS. Rituum Congregatio sapientissimo iudicio firmata habuit de vita, gestis, virtutibus ac miraculis Beatorum Martyrum *Josaphati Kuncevicii* Archiepiscopi Polocensis, *Petri de Arbues* satis arbitror ut de Apostolicae hujus Sedis auctoritate iidem omnes Beati Martyres ad supremos altaris honores provehantur. Hoc quidem mihi suadet B. Josaphat ardentissima charitas qua omnes schismaticos ad fidei unitatem adducere studeret; hoc B. Petri singularis rerum humanarum spretus, atque apostolicus zelus, quo Inquisitionis munus in Aragoniae regno obiret; hoc demum BB. Nicolai Pichii ejusque octodecim sociorum charitas eximia... Quum omnes praedicti Martyres animam pro Christo ponere laeto pectore voluerint, et Deus ipse mirabilia iterum iterumque eorumdem intercessione sit operatus, censeo quod iidem omnes Sanctorum fastis adscribendi: Haec quidem voveo, si tamen tibi, Beatissime Pater, arrideant.

✠ Jesualdus Episcopus Ferentini.

D. BARTOLINI, I, 424.

476.

PHILIPPUS, EP. FOROSEMPRONIEN.

Fideles Dei Servos Josaphat Kuncevic Archiepiscope Polocensem, Petrum de Arbues, et novendecim Gorcomienses heroes, qui proprio sanguine catholicam fidem, inter crudelissima tormenta adseruerunt et confirmarunt, ex Actibus ab Apostolica Sede super eorum virtutibus et miraculis de more assumptis, luculentissime constat dignos esse ut fidelis populi venerationi, per solemnem Canonizationem a Sanctitate Vestra proponantur.

Quapropter et ego, humiliter quidem et submisce, sed devoto ac ferventi animo, cum caeteris Sacris Antistitibus, ejusdem Sanctitatis Vestrae, de iis canonizandis consilio, plenissime adhaerens, Vestram benignitatem enixe precor ac obtestor ut supremo suo iudicio, eorum sanctitatem solemnī Canonizationis testimonio adserere non dedignetur.

Philippus Episcopus Forosempronienſis.

D. BARTOLINI, I, 425.

477.

PHILIPPUS, EP. FANEN.

Dei servos Josaphatum Kuncevicium Polocensem Archiepiscopum, Petrum de Arbues Canonicum Caesaraugustanae Ecclesiae, et novendecim Gorcomiensis, Fidei Confessores, supplicia et mortem religionis causa obiisse certissimis historiae documentis constat: illorum gloriam, prodigiorum testimonio, divinitus panditam in comperto item est: hinc quod permissum alicubi Beatorum titulo jamdiu fuit, solemnī Decreto Apostolico Sanctorum honores et cultum iis omnibus deferendum censeo. Addam quoque id vehementer exoptari atque a me etiam postulari, Beatissime Pater, tum ob singularem de illorum meritis opinionem, tum quod Divina Providentia tempori huic nostro eventum hujusmodi reservasse videatur, ut multiplici ex capite novus accederet stimulus, illorum exemplo, ad fidem sanctissimam illibate servandam ac strenue fortiterque asserendam.

✠ Philippus Episcopus Fanensis.

D. BARTOLINI, I, 425.

478.

HENRICUS, EP. FOROIULIEN.

Perpensis rationibus quae Beatorum Josaphat Polocensis, XIX Gorcomiensium et Petri de Arbues virtutum heroicam in fidei confessione per martyrium demonstrant;

Attentis praesertim divinis significationibus quibus praeſulget eorum sanctitas, utile ac summopere opportunum existimo ut omnibus fidelibus tradantur sicut exemplaria et intercessores fortissimi ad erigendos eorum animas qui hodieum et ubique persecutionem patiuntur propter justitiam: enixe ergo et humillime Beatitudinem Vestram deprecor ut supranominatos martyres in Sanctorum Album referre velit.

✠ J. Henricus Episcopus Foroiul. et Tolonensis.

D. BARTOLINI, I, 426.

479.

JACOBUS, EP. GRATIANOPOLITAN.

Dixi *Placet* ubi de martyribus, nempe *Josaphat, Petro de Arbues, Nicolao Pichio et sociis* agebatur: non ob rationes quae in *compendiis* nobis traditis non inveniuntur; sed quia causas istas tractatas et dige-

stas segura auctoritate qua praevalet, ita sapientia qua pollet Sancta Sedes Apostolica, mihi omnino persuasum est.

✠ Jacobus Maria Episc. Gratianopolit.

IBIDEM.

480.

CONSTANTINUS, EP. GERUNDEN.

Cum eximiae virtutes, maxima sanctimonia, ingens ad pietatem studium, praeclarumque martyrium propter fidem Christi sumptum, nec non plurima miracula tuto certoque comperta in vita Beati Josaphati Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis et Rhutenentis; Beati Petri de Arbues canonici Regularis sancti Augustini Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae, atque Beatorum XIX Martyrum Gorcomiensium magno, plenoque veritatis splendore fulcita in respectivis compendiis historicis conspiciantur, eos omnes perquam dignos percenseo, ut in sanctorum cum Christo in coelo regnantium numero constituentur.

Constantinus Episc. Gerundensis.

IBIDEM.

481.

HENRICUS, EP. GANDAVEN.

Episcopus Gandavensis Henricus Bracq examinatis Actis Beatorum Martyrum, quos in catalogum Sanctorum referre intendit SS.mus Dominus, optat plurimum, ad majorem Dei gloriam, sanctaeque Ecclesiae utilitatem, illam solemnem Canonizationem quam primum fieri.

✠ Henricus Episc. Gandav.

IBIDEM.

482.

FELIX, EP. GADITANUS

Quamvis ego, prout humili S.R.E. filio decet teneam semperque tenuerim non nisi B. V. votum ad Sanctorum Canonizationem requiri, tamen S. V. excitationi libenter deferens, pro solemni Canonizatione invictorum Martyrum B. Josaphat Kunceovich, Petri de Arbues, Nicolai Pichii octodecimque sociorum, meum praesto suffragium.

Frater Felix Episcopus Gaditanus.

D. BARTOLINI, I, 427-8.

483.

A. SCHAEPMAN, EP. ESBONEN.

Fretus summa diligentia, qua causae Canonizationum a Sancta Sede Apostolica pertractantur, dignum esse judico ut BB. Martyres Josaphat Kunceovich Archiepiscopus Polocensis Ruthenorum ritus orientalis ex Ordine S. Basilii Magni, Petrus de Arbues... adscribantur Sanctorum in coelo regnantium catalogo. Et eo lubentius hanc profero sententiam, cum plures ex eorum numero in Ultrajectensi Archidioecesi nati, gloriosi martyrio Ecclesiam illam illustrarunt...

Quapropter humillime precor ut ad eorum solemnem Canonizationem procedere digneris.

✠ A. I. Schaepman Ep. Esbonen. coad. Archiep. Ultraiec.

IBIDEM.

484.

GEORGIUS, EP. HERBIPOLEN.

Postquam Deus omnipotens Beatum Josaphat Kunceвич, Beatum Petrum de Arbues et Beatum Nicolaum Pichium cum octodecim sociis martyrii corona et miraculorum fulgore condecorare dignatus est, precor humillime Sanctitatem Vestram, ut hos beatos Martyres catalogo Sanctorum clementissime adscribat.

✠ Georgius Antonius Episc. Herbipolensis.

IBIDEM.

485.

P. WILMER, EP. HARLEMEN.

Cuncta quae pro Canonizatione BB. Martyrum Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus orientalis ex ordine S. Basilii Magni; Petri de Arbues... ex praescripto SS. Pontificum requiruntur, in eximio gradu adesse, ex actis Nobis per R.mum Secretarium Congregationis SS. Rituum exhibitis abunde constat.

Pro justissima enim fidei causa, mortem ut Christiani heroes atrocissimam subeuntes, gloriam aeternam eos consequutos, atque cum Christo gloriose regnantes, ex Verbo tuo, B.me Pater, firmiter credimus: dum interim, in calamitoso hoc tempore nobis datos fuisse confidimus, quo exemplo suo ac suffragio, nos omnes animent et roborent...

Humiliter igitur decisivum tuum, B.me Pater, iudicium quo inter Sanctos accenseantur, implorare ausim.

✠ G. Petrus Wilmer Episc. Harlemensis (in Hollandia).

D. BARTOLINI, I, 429.

486.

FELIX, EP. ISCLANUS

Nihil opportunius, et utilius hoc luctuosissimo tempore, quo animi fortitudine nos maxime indigemus, esse puto, quam ut nobis, et fidelibus omnibus martyrum extrema pro Christo patientia a Sanctitate Vestra proponatur. Beati sane Josaphat Archiepiscopus Polocensis, Petrus de Arbues, et Nicolaus Pichius cum octodecim sociis ea nobis instaurent exempla virtutum, quibus singuli docent ad sanguinis usque effusionem asserenda tuendaque esse Ecclesiae Catholicae dogmata et jura, Romanique Pontificis primatum. Cum igitur pro iis omnibus, et pro Christi fide passi sint, hinc inter Martyrum chorum recensendos esse existimo.

✠ Felix Episcopus Isclanus

IBIDEM.

487.

FELIX, EP. LEMOVICEN.

Cum Ecclesiae sanctae vita sit militia super terram, semper quidem justum et perutile est honore maximo haberi generosos athletas qui, bonum certamen certantes, pro veritate aut lege illatam mortem oppetere non dubitaverunt. Maxime vero in hisce luctuosis temporibus Ecclesia, diutius et angustius versata, altaribus gaudet Martyres impo-
nere quos ad auxilium invocet et ad exemplum proponat.

Tanta gloria dignissimi videntur Josaphat Kunceovich Archiepiscopus Polocensis; Petrus de Arbues...

Hos ergo omnes qui, ut diligenti patet exquisitione et infallibili sententia, pro Ecclesiae doctrina, libertate et auctoritate vitam suam sacrificaverunt, testimonio fidei censeo rite probatos et Sanctorum Martyrum catalogo solemniter inscribendos. Ut beatissimis Apostolis in centenario celebrandis pro opportunitate addantur tanquam ducibus milites, ejusdem participes pugnae et gloriae, ante pedes Sanctitatis Vestrae votum meum depono.

✠ Felix Petrus Episc. Lemovicensis.

D. BARTOLINI, I, 430-1.

488.

CONCEPTUS, EP. LYSTREN.

Beatos Martyres Gorcomienses, beatosque Josaphat Kuncevicium Archiepiscopum, et Petrum de Arbues Canonicum Regularem, qui glorioso contra Ecclesiae hostes superato certamine invictam in catholica Fide constantiam proprio sanguine obsignarunt, nemo est qui perpensis Actis eorum martyrii, maximisque consideratis prodigiis quae sepulcrum ipsorum illustrarunt, inter sanctos caelites referri non aequum censeat. Idcirco, Beatissime Pater, solemne eorundem Canonizationis decretum a Beatitudine Tua suppliciter imploro, uti Ecclesia Christi tantis in hac temporum acerbitate lacessita praeliis laetitia hujus novi triumphi respiret quodammodo ac revigescat.

✠ Conceptus Episc. Lystrensis.

D. BARTOLINI, I, 431-2.

489.

L. IDEO, EP. LIPAREN.

Numquam autem temporis defuere viri, qui Apostolico spiritu donati, ac eorum vestigia sectantes, fidei veritates firmiter tutati sunt, ac cujusque generis supplicia sustinuerunt, ita ut non ipsi suppliciis, sed supplicia ipsis cesserint.

Hos inter merito adnumerantur B. Josaphat Archiepiscopus Polocensis et Ruthensis; Beatus Petrus de Arbues... ad tollendum horrendum schisma totis artibus adlaboravit, ita ut multa hominum millia ad Ecclesiae unitatem reduxerit. His triumphis incitati vaferrimi schis-

matici pluries Josaphat mortem intenterunt, ac tandem in capite eum persecutientes e vivis sustulerunt...

Quibus omnibus ad Sanctuarii lancem ab hac S. Sede evocatis declaravit constare de martyrio et miraculis horum athletarum.

Hinc, Beatissime Pater, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus deprecor, ut praefatos Dei servos inter martyres solemniter adscribere digneris; sperans fore, ut Deus Optimus Maximus eorum intercessione tanta mala averteret, quibus Ecclesia Sancta Dei undique agitur; et nefarii homines, qui totis viribus Eam subvertere conantur, Sanctorum Martyrum patrocinium experirentur ad viam salutis revertentes.

✠ Frater Ludovicus M.^a Idéo ordinis Praedicatorum
Episc. Liparensis

D. BARTOLINI, I, 432-3.

490.

F. MAJORSINI, EP. LAQUEDONIEN

Quum de extrema pro Christi fide victoria, quam Beatus Josaphat Kuncevicus Polocensis Archiepiscopus, Beatus Petrus de Arbues, et Beatus Nicolaus Pichius cum octodecim sociis Gorcomiensibus retulerunt in asserendis tuendisque tum fidei nostrae Catholicae dogmatibus, tum Ecclesiae Romanae juribus, Romanique Pontificis Primatu: de eorum firmitate et constantia quibus nefarios haereticos et schismaticos, ac perfidos Judaeos invicto animo superarunt; tandem de sanguinis trophaeis quibus mortalem vitam cum gloria commutarunt, plenissime constiterit affatimque constet; hinc humillime censeo, et suppliciter exoro, Beatissime Pater, ut Hi omnes quorum gaudium sempiternum in coelis, per tot miracula ipsis intercedentibus patrata, testatum jam voluit Deus, nunc in nostrae Religionis augmentum, novumque Ecclesiae Catholicae praesidium, infallibili Sanctitatis Vestrae judicio Sanctorum Martyrum Albo solemniter adscribantur, ut a cunctis fidelibus ubique venerentur, et tamquam imitabile fortitudinis exemplum, hoc praesertim calamitoso incredulitatis et insidiarum tempore quo vivimus, ab ipsis ante oculos habeantur.

Franciscus Majorsini Episc. Laquedonien. Assistens.

D. BARTOLINI, I, 433-4.

491.

JACOBUS, EP. LUCIONEN.

Cogitanti mihi, quo arcano consilio, quo interrupto itinere, tres hodiernae preclarissimae causae, nempe Beatorum Martyrum Josaphat Kuncevicii, Petri de Arbues et Nicolai Pichii cum octodecim sociis Gorcomiensibus, quae plenis velis, ad optatum portum recto itinere properabant, duo et amplius saecula, adeo diuturnam tenuerint stationem, ut nunc tantum in portum licet proximum invehantur, et optata tantum tellure potiantur; haec mens mea, hicce meus sensus est: Deum cujus

misericordiae non deficiunt, cujus bonitatis thesauri inexhausti sunt, haec a duobus saeculis praeparasse, et divina sapientia reposuisse, ut in turbulentissima regnorum et imperiorum tempestate cum atra nox incubat mundo, et densissimae tenebrae ex abyssi puteo erumpentes filiorum hujus saeculi animos invaserint et totos occupaverint: nullo metu agitati fideles, nullo timore perculsi, singulariter in spe constituentur, dum alma luce, te dominicum gregem pascente et gubernante, Ecclesia perfunditur, laetabunda et segura hymnos et canticos concinit, et profundam pacem procellis prorsus cessantibus expectat...

Quae cum ita sint Sanctitatem Tuam enixe et humillima supplicatione adprecor ut hos Beatos Martyres ad Sanctorum honores elevare dignetur.

✠ Jacobus M.^a Joseph Olim. Episc. Lucionen.

IBIDEM.

492.

CALLISTUS, EP. LEGIONEN.

Nobis placet quod inclyti Martyres et Beati Josaphat Kuncevic Pontifex; Petrus de Arbues... praeclarissimi in virtutum et factorum excellentia, invictique in haereticorum et persecutorum injuriis atque ludibriis sufferendis, laudentur et exaltentur post praescripta canonice observata et publicata; etenim, si in prima vocatione exhibuerunt fidei testimonium, in suprema passione virtutis constantiam sustinuerunt, ac in vita et morte Dei providentia miraculorum attestatione eorum sanctitas est comprobata, notum est in coelis mansionem habere, ac dignos esse ut honorentur ab Ecclesia Catholica, eos, si Beatitudini Vestrae placuerit, in catalogo Sanctorum adnumerando, ut per ipsorum intercessionem fides christianorum roboretur, et haereticorum impietas confundatur.

Callistus Episcopus Legionensis.

D. BARTOLINI, 435-6.

493.

C. FRANCESCHINI, EP. MACERATEN.

... Sapientissimo igitur Sanctitatis Tuae consilio plenissime adhaereo, ut plures fortissimi heroes, qui ab iisdem inimicis pro Christi religione durissimam mortem oppetierunt, Sanctorum albo adscribantur, quo et fideles addiscant esse fortes in bello, et catholici nominis hostes in dies magis confundantur ac reveantur. Strenui isti viri profecto sunt B. Josaphat Kuncevicus Polocensis Ruthenorum Antistes ex Ordine S. Basilii Magni, B. Petrus de Arbues Canonicus Regularis S. Augustini, ac decem et novem BB. Martyres Gorcomienses, quorum primus pro tuenda fovendaque sancta unione Ecclesiae Ruthenae cum Romana Petri Sede a schismaticis fuit necatus... His igitur omnibus, cum de ipsorum martyrio pro fide catholica tolerato dubitari nequeat, Canonizationis honorem solemniter impendi tuto posse censeo. Quod pergratum Deo

O. M. adfuturum etiam confido, cum et ipse eorundem sanctitatem haud paucis eisque praeclaris signis firmaverit. Quinimmo nonnisi mirabili divinae providentiae consilio factum esse puto, eorum Canonizationem, qui pene omnes pro Romani Pontificis in universam Ecclesiam auctoritate necem subiere, hisce diebus proponi, et, ut exopto, peragi, quibus ex universo orbe Sacrorum Antistites in hac Alma Urbe ad saecularem festivitatem de B. Petri Principis Apostolorum martyrio celebrandam convenere, ut Ecclesiae Romanae primatus omnimodis argumentis magis atque magis enitescat.

Humillime ergo Beatitudinem Tuam exoro, ut ad majorem Dei, Sanctorumque gloriam et honorem, necnon ad totius christiani populi bonum sententiam meam tuo irrefragabili iudicio confirmes, ac robores.

✠ Cajetanus Franceschini Maceratensium
et Tolentin. Episcopus.

D. BARTOLINI, I, 436-7.

494.

I. BOVIERI, EP. MONTISFALISCI

Votum daturus an Josaphat Kuncevicus Archiepiscopus Polocensis ac Rutensis martyr crudeliter a Schismaticis Religionis Catholicae causa interfectus, et Petrus de Arbues... Canonizationis honoribus decorari possint, libentissime quidem repetam: tuto procedi posse ad horum martyrum Canonizationem. Vehementissime enim a sceleratis hominibus aggressi, haud minis illi cessere, ipsamque mortem intrepidi oppetere maluerunt quam impiorum hominum desideria sequi, vel a catholica fide deficere... Cum adsint insuper miracula, illorum intercessione a Deo patrata, cum jam in Beatorum numero adscripti sint, cumque Beatitudo Tua proclamasset: tuto procedi posse ad eorum martyrum canonizationem, in eandem sententiam libere mihi est ineundum...

✠ Joseph Maria Bovieri Episcopus Montisfalisci.

D. BARTOLINI, I, 437-8.

495.

A. FANIA, EP. MARSICEN.

Vere divinum portentum, fidei Domini Nostri Jesu Christi virtus et potentia... Quod equidem videre est in Ecclesiae Catholicae martyribus, quorum invicta fide sancta mater Ecclesia in gentibus magnificatur... Beatorum Josaphati Kuncevic Archiepiscopi Polocensis et Ruthensis ex Ordine Sancti Basilii Magni, Petri de Arbues... Quorum omnium veri sincerique martyrii acta et probationes apud Sacram Cardinalium Congregationem Ritibus instituendis colendisque praepositam exacte concinnata servantur. Cujus tanta est auctoritas, tamque nobis perspecta sagacitas, prudentia, doctrina, et diligentia ad veritatem virtutum, gestorum, et sanctitatis inveniendam tuendamque, ut eidem ex animo adhaerere non dubitemus. Ita ut in voto sumus ut solemniter tan-

dem ritu supra memoratorum Servorum Dei canonizatio coram universa Ecclesia Catholica celebretur...

Fr. Antonius M. Fania ab Arignano
Episcopus Marsicen. et Potentin.

D. BARTOLINI, I, 438-9.

496.

A. KRALIEVIC, EP. METELLOPOLIS

Legi in compendio historico Martyrii et miraculorum vitam Beati Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis et Ruthensis, vitam etiam Beati Petri de Arbues... et detexi hos ab hostibus fidei catholicae in odium ejusdem fidei neci datos fuisse. Cum eorum acta, martyrium et miracula, quae per eorum intercessionem divinae majestati patrare placuit in Sacra Rituum Congregatione evidentissimis testimoniis comprobata sint: cumque omnia ab eadem Congregatione Rituum exactissime observata conspiciantur, quae Decreta Apostolica praerequirunt in construendis processibus, ut tuto deveniri possit ad Sancti alicujus Canonizationem: ideo cum aliis Episcopis, humillimis enixisque precibus exoro Sanctam Sedem Apostolicam, ut memoratos Martyres fastis Sanctorum adnumeret. In quorum fidem ac majus robur has propria manu exaratas et subscriptas trado.

Fr. Angelus Kraljevic Episcopus Metellopolis
et Vicarius Apost. Hercegovinae.

D. BARTOLINI, I, 439-440.

497.

J. PAPP, EP. M. VARADINEN.

Infrascriptus Episcopus in urbem Romam cum convocatis per Sanctissimum Patrem Pium IX Pontificem Maximum Ecclesiam Christi gloriosa animi fortitudine gubernantem ex toto terrarum orbe Episcopis prope quingentis, conveniens, in solemniis Canonizationis atque sanctificationis beatorum Martyrum Josaphat Kuncevicii Archiepiscopi, Petri de Arbues, Nicolai Pichii, cum octodecim ejus sociis, anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo septimo die 29 Junii festo SS. Apostolorum Petri et Pauli simul jubilo saeculari martyrii eorum celebratis praesens, perlectis eorum Canonizationis actis, supra humanas vires exemplari christiana vita quam usque ad martyrium pro christiana catholica fide Deo invicte consecrarunt, propter quod non solum a coetaneis sancti reputati, verum etiam divinis prodigiis, miraculis post mortem comprobatis clari evaserunt, hoc proprio chirographo testificor et confiteor eorum Canonizationem per SS. Patrem Summum Pontificem ex unanimi Ecclesiae totiusque Episcopatus meo etiam voto processisse in majorem gloriam Dei totiusque gregis Domini salutem.

Josephus Papp-Szilagyi Episcopus Magno
Varadinensis Graeci Ritus Catholicorum.

D. BARTOLINI, I, 440.

498.

VINCENTIUS, EP. MAXIMOPOLI

Pervenit ad infrascriptum Episcopum Maximopolitanum notitia et fama sanctitatis, martyrii et miraculorum Beati Josaphat Kuncewich Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues... Legit quoque libellum ad se remissum ubi constat omnia peracta esse juxta ritus Sanctae Romanae Ecclesiae ad eorum causam Canonizationis finiendam; et nihil opportunius invenit infrascriptus quam ut ii Martyres in numerum sanctorum a Sanctitate Vestra nunc adscribantur... postulat ergo infrascriptus horum BB. Martyrum solemnem Canonizationem si ita placet Sanctitati Vestrae ac SS.mo judicio et voluntati uti humillimus servus infrascriptus se submittit.

✠ Vincentius Episcopus Maximopoli Coadiutor
Archiep. Sanctae Fidei Bogota.

D. BARTOLINI, I, 440-442.

499.

I. GHILARDI, EP. MONREGALEN.

Sententia Domini est majorem non inveniri charitatem ea qua animam suam quis ponat pro amicis suis. Ast tale ac tantum charitatis robur conspexere populi et nationes, sicuti nos ipsi admiramur in beatis martyribus Josaphat Polocensi Archiepiscopo, Petro de Arbues, atque Gorcomiensibus caelitibus, ut mirabilibus signis in dies ad eorum gloriam ostendendam multiplicatis, merito inter sanctos per te, Beatissime Pater, solemni ritu accenseantur.

Indubium etenim reddunt testimonium de heroicis singulorum virtutibus ac portentis acta, quae auctorante hac Apostolica Sede confecta sunt atque completa. Ex iis namque comprobatur Beati Josaphat vitam, dum inter monachos Divi Basilii in solitudine delitesceret, angelico resplenduisse candore: cum autem, a Deo electus tamquam Aaron, pontificali fugeret dignitate, omnium virtutum exercitio, quae boni pastoris animum exornare debent, ita se praebeuit perfectum, ut diei moram unice non amaret, quo sibi divinitus concederetur sanguinem pro vindicanda Ecclesiae unitate profundere. Adfuit tandem exoptatissimus dies, et vir beatus schismaticorum gladiis martyr occubuit. Ac Deus miraculis et beneficiis in eorundem schismaticorum salutem sancti Praesulis mortem pretiosam reddidit, et sepulcrum ejus gloriosum.

Hisce igitur innixus validissimis momentis humiliter exoro, Beatissime Pater, ut dum apostolorum Petri et Pauli, ex cunctis nationibus ad hoc unitatis centrum, ad hanc infallibilem ejusdem Petri cathedram, quam nunc tu, Beatissime Pater, strenue defendis et regis, Pastoribus et fidelibus confluentibus, saecularem recolimus triumphum, laudatos

Beatos Martyres in canone Sanctorum pompa solemni adnumerare digneris.

Fr. Joan. Thomas Ghilardi ex Ord. Praed.
Episcopus Monregalensis in Pedemontio Assist.

D. BARTOLINI, I, 442-3. 500.

A. DIPIETRO, EP. NYSSENUS

Divinae Sapientiae, quae fortiter suaviterque disponit omnia, consilio arbitror factum, ut supremis Sanctorum Coelitum honoribus hoc tempore augeantur BB. Martyres Josaphat Kuncevicus, Petrus de Arbues, ac novendecim Gorcomienses. Siquidem glorificatio Martyrum nobilissimum est ad subeunda martyria ac persecutiones aequo fortique animo tolerandas incitamentum, est quaedam tacita persecutorum condemnatio. Quae sane quantum miserrimis hisce temporibus congruant, facile quisque videt. Ex memoratis Martyribus discent hodierni hostes Ecclesiae, vere esse beatos, non qui persequuntur, sed qui persecutionem patiuntur propter justitiam: intelligent ipsius Ecclesiae Ministri, quanta eos constantia et fortitudine praeliari oporteat praelia Domini. Festina igitur, Beatissime Pater, (quod a te vehementer expostulo) suprema tua sententia Sanctos nuncupare praedictos Martyres, quos Deus, qui semper est mirabilis in Sanctis suis, sempiterna gloria jam coronatos in coelis, etiam in terris maximo honore coronandos esse per miracula exploratissima declaravit.

✠ Angelus Dipietro Episc. Nyssenus.

D. BARTOLINI, I, 443-4. 501.

VICTOR, EP. NAMURCEN.

Attente perlectis, ex jussu et voluntate Sanctitatis Tuae, actis in causa Canonizationis Beati Petri de Arbues, Beatorum XIX Martyrum Gorcomiensium, ac Beati Josaphat Kuncevicus, omnino placet ut ad solemnem horum Martyrum Canonizationem procedatur. Certe enim pro Christo et vera fide sanguinem fuderunt; eorumque victoriam, quae vincit mundum, ac in coelis gloriam, Omnipotens Deus pluribus authenticis miraculis confirmavit et testatam fecit. Insuper cum ab haereticis et schismaticis pro tuenda Ecclesiae libertate atque suprema Petri cathedrae auctoritate passi fuerint, peropportuno videtur ut, hoc infelicissimo tempore, quo multis in regionibus Ecclesia Christi, quae ubique regnare debet, essentialibus suis juribus spoliatur, et quidem sub praetensae libertatis praetextu, et insuper adversus Petri cathedram tot Pseudopolitici omnia moliuntur, gloriosi illi martyres solemniter in Sanctorum albo inscribantur, qui pro utriusque auctoritate adstruenda fortiter dimicavere et mortem subiere.

✠ Victor Augustus Episc. Namurcensis.

D. BARTOLINI, I, 444-5.

502.

JULIUS, EP. NEPESINUS.

... Sapientissimo itaque divinae Providentiae consilio factum est ut hac nostra aetate Martyres Christi Beatus Josaphat Kuncewich Archiepiscopus Polocensis et Ruthensis ex Ordine S. Basilii Magni, Beatus Petrus de Arbues... Sanctorum honores assequantur. Eorum siquidem exemplo excitati fideles pro Religione et pro Romani Pontificis primatu alacrius decertabunt. Enim vero offertur iisdem Beatus Josaphat post vitam sanctissime transactam, orthodoxae fidei propagandae, ut Catholicum decet antistitem, studio incensus schismaticorum hominum machinationibus seditione facta interemptus... Peractis itaque omnibus tum praestantissimo sacrorum rituum Congregationis consilio, tum praesertim Romanorum Pontificum Praedecessorum tuorum ac tua, Beatissime Pater, auctoritate et sapientia, quae peragenda erant ut de eorumdem Christi athletarum Martyrio et causa Martyrii evidenter constaret; cognitis prodigiis a Deo horum intercessione patratis, quid jam superest nisi ut ad eorumdem martyrum solemnem Canonizationem Tuo supremo iudicio, Beatissime Pater, deveniatur?

Id a te expectant Archiepiscopi et Episcopi illarum Dioecesium, quae praesertim horum martyrio illustrantur, id Religiosae familiae, quae in suo sinu gloriosissimos herōes aluerunt atque ad tantam celsitudinem educarunt, id animarum Curatores ex clero saeculari, quorum ordo Beatorum Martyrum Gorcomiensium triumpho novis decoratus est palmis: id haec urbs tua, haec ipsa Roma expectat, quae Principum Apostolorum Petri et Pauli purpurata sanguine trophaeum extulit fidei ac Religionis, in quod universi Orbis fideles intuentes ad praeclarissimam victoriae coronam assequendam excitantur. Id denique in genua provolutus, et Sanctitatis Tuae pedes humillime deosculans instanter rogo atque expostulo.

✠ Ego Julius Episc. Nepesinus et Sutrinus.

D. BARTOLINI, I, 446.

503.

FELIX, EP. NEMAUSENSIS

Nativum schismatis sicut haeresis ingenium est crudelitas. Et unitatis centrum, et ipsius vindices communi parique prosequitur odio, et quia prioris ruinam promovere non potest, eo ferocius istorum inebriatur sanguine. Haec fuit Ruthenorum, qui Photianae rebellionis vexillum saecuti, Ecclesiae Romanae magisterium deseruerunt, in Beatum Josaphat Kuncewich, Archiepiscopum Polocensem, agendi ratio et barbaries.

Renuit iste mirus antistes *inconsutilem Christi vestem*, transfugarum instar, *dilacerare*; noluit, licet ad hanc ignominiam excitatus,

Patriarcham Constantinopolitanum recognoscere, nisi prius Patriarcha Papam recognosceret; schismaticos tandem olim Romano Pontifici paruisse tot argumentorum mole, ex sclavonicis codicibus annalibusque ruthenicis depromptorum, demonstravit, ut separationis viri, proprio patrum suorum testimonio confutati, obmutescere cogerentur, verbis autem et jure destituti, in rabiem eruperunt, necnon vocem praesulis, quem responsis ne tentabant quidem confundere, extinxerunt martyrio.

Consilium heröem hunc Polocensem ad Canonizationis honores evehendi, Beatissime Pater, summe opportunum est, ut Polonia, tot dilaniata vulneribus, novo ditetur intercessore, utque Russia schismatica, nunc Sanctorum persecutrix sicut et antea, discat suae feritatis impiae victimas, non in deducus sed potius in gloriam reservari, solisque carnificum frontibus inurendam esse notam opprobrii.

✠ Henricus Episc. Nemausensis.

D. BARTOLINI, I, 447-8.

504.

A. PLUYM, EP. NICOPOLITAN.

Infrascriptus Episcopus Nicopolitanus perlegit compendia historiae martyrii et miraculorum, necnon actorum in causa Canonizationis Beatorum Martyrum: *Josaphat Kuncewicz* Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum ritus, ex ordine S. Basilii Magni; *Petri de Arbues*...

Ex lectione actorum horum patet: constare de eorum Martyrio, de causa martyrii, necnon de veritate miraculorum a Deo per intercessionem horum BB. Martyrum patratorum; quibus de causis SS. Dominus Noster Pius Papa Nonus jamjam decrevit: *tuto procedi posse ad solemnem eorum Canonizationem.*

Ut autem ad solemnem horum Canonizationem procedatur, nullum aptius quam hocce nostrum videtur tempus, quo persecutio saevit non solum contra Sanctos aliquot fidei catholicae cultores, sed bellum infensissimum peragitur contra universam Ecclesiam et supremum ejus Pontificem...

Faxit Deus ut glorificatio horum Martyrum roboret fidem omnium in Sanctam Ecclesiam Catholicam et in Petram supra quam aedificata est; excitet animos et suppeditet vires si aliquando dimicandum erit; atque eorum apud Deum intercessio obtineat schismaticis unionem, judaeis lumen fidei, haereticis conversionem et Sanctae Matri Ecclesiae triumphum ab omnibus inimicis suis, pacemque perennem et gloriam.

Quas ob rationes ut Canonizatio praedictorum BB. Martyrum per supremam Pontificis Maximi sententiam perficiatur enixe deprecatur.

✠ Antonius Josephus Pluym Episc. Nicopolitanus
Adm. Ap. Vig. Valachiensis.

D. BARTOLINI, I, 449.

505.

EUGENIUS, EP. OTTAWENSIS

Censet et judicat infra scriptus Episcopus Ottawensis tuto procedi posse ad solemnem Canonizationem Beati Josaphati Kuncevicii, Beati Petri de Arbues et Beatorum Martyrum Gorcomiensium, quorum omnium sanctimoniam Deus Omnipotens testatam voluit per prodigiorum multitudinem et praestantiam. Atque utinam fiat, Deo favente, ut, eorum suffragantibus meritis, Ecclesia universalis, et praesertim Polonia tot et tantis calamitatibus oppressa, haereticam pravitatem et unitatis Catholicae hostes profligare valeat.

✠ Jos. Eugenius Episc. Ottawensis.

IBIDEM.

506.

STEPHANUS, EP. OLYMPENSIS

Cum ad martyrium et ad martyrii causam frequentia ac praestantia accedant prodigia a S. R. Congregatione probata et quibus Deus sanctimoniam Beatorum Josaphat Kunceovich Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues Canonici regularis ordinis S. Augustini et Fr. Nicolai Pichii ac sociorum octodecim Gorcomiensium Martyrum demonstratam voluit, censeo Sanctitatem Vestram tuto procedere posse ad eorum solemnem Canonizationem.

Faxit Dominus ut Poloniae regnum multis calamitatibus oppressum, Catholica Hispania, fidele Belgium et Hollandia, ac Ecclesia universa, hisce praesertim in angustiis, praesentissimum eorum patrocinium sentiant in terris, quorum gloriantur triumphis, quosque Dominus, tamquam strenuos milites suos, incorrupta in Coelis decoravit corona.

✠ J. Stephanus O. M. J. Episc. Olympensis
Vic. Ap. Jasfnae (Ceylan).

IBIDEM.

507.

JOSEPHUS, EP. OWETEN.

Ego Joseph Ludovicus Montagut Episcopus Ovetensis viso compendio martyrii miraculorum et actorum in exemplari a sacra rituum Congregatione mihi transmissio in causa Canonizationis Beatorum Josaphat Kunceovich Archiepiscopi, Petri de Arbues, et Nicolai Pichii cum octodecim ejus sociis; constando prout evidenter constat de cujuslibet eorum martyrio et martyrii causa, et de miraculis ante et post beatificationem illorum intercessione a Deo patrat, itemque in praedicta causa rite servata fuisse omnia quae servari debebant: sentio tuto procedi posse ad solemnem Canonizationem praedictorum Josaphat Kunceovich, Petri de Arbues et Nicolai Pichii cum octodecim ejus sociis in laudata memoria seu compendio expressis, et Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam Nonum instantanter, instantius, instantissime et enixe rogo ut

Sanctorum Domini Nostri Jesu Christi martyrum catalogo Deo ita inspirante adscribere eos velit, et ab omnibus christifidelibus decernat esse venerandos tanquam Sanctos martyres.

Josephus Ludovicus Episc. Ovetensis.

D. BARTOLINI, I, 450-453.

508.

JOSEPHUS, EP. OPPIDEN.

Cum ex declaratione SS. Domini Urbani VIII (f. r.), ex pluribus SS. Rituum Congregationis declarationibus ac decretis, nec non ex actis de more in causa Canonizationis, nulli prorsus dubium, B. Josaphat Archiepiscopum Polocensem virtutibus eximiis, ferventi, praecipue in pauperes charitate, poenitentia et iugi corporis mortificatione, et, pro tuenda Ecclesiae libertate, incredibili animi operumque fortitudine effulsisse; imo Ecclesiae unitatis et Primatus Summi Romani Pontificis propugnatores extitisse acerrimum; et ista pro causa teterrimum strenue subiisse martyrium.

Quod et Deum miraculis illustrasse, praesertim cum ejus e corpore, in profundum demisso flumen, et illud reperiendi nulla esset spes, fulgidissima per aquas lux promicasset. Praeterea (mirabile prorsus!) hostium tam stupenda illa conversio, ut merito novus Ille Stephanus appellaretur, qui pro persecutoribus orans, ut alter Saulus, Meletius quidam Smotricius, conspiracy usque adhuc auctor infensissimus, Catholicae fidei et Romano Pontifici addictissimus evasisset, effecit.

Josephus Episc. Oppiden.

D. BARTOLINI, I, 453.

509.

L. RENALDI, EP. PINEROLIEN.

Ex una Christi charitate multae prodiere virtutes Beatorum Josaphat Kuncevicii, Petri Arbuesii, Nicolai Pichii et sociorum; ex una charitate ipsorum zelus in proximorum salute curanda, fortitudo et constantia in asserenda fide, certando usque ad mortem. Pro Christo martyrium sustinuerunt; miracula, eorum intercessione patrata, rite probata sunt, a Christo Domino coronam vitae acceperunt; propterea, ad tuos pedes provolutus, Beatissime Pater, humillime postulo ut Sanctitas Tua ad summum gloriae culmen per Canonizationem illos extollat, indeque fiat ut ipsorum exemplar fortitudinem et constantiam in tuenda Christi fide magis magisque foveat, et charitas Christi urgeat omnes.

✱ Laurentius Renaldi Episc. Pineroliensis.

D. BARTOLINI, I, 453-4.

510.

LUDOVICUS, EP. PICTAVIEN.

Quum Beatorum Martyrum Josaphat Kuncevic, Petri de Arbues... nomina in Martyrologio romano relata fuerint, sicque universalis Ecclesiae cultui ac venerationi jamdudum authentice proponantur; vix

aliud praeter pompam publicae solemnitatis desiderandum videbatur cum iidem sacri heroes titulo Sanctorum gauderent. Quod nunc supremo Pii Papae IX judicio providentissime decernendum censeo, scilicet ut inter supplicia, ludibria ac pericula sive a schismaticis principibus, sive a praepotentibus judaeis, sive a sectariis protestantibus hinc et inde obvenerint, propitii apud Deum patroni infaustissimis nostris temporibus faveant, utilissimaque patientiae, doctrinae ac constantiae exempla ante oculos omnium ponantur.

✠ Ludovicus Eduardus Episc. Pictaviensis.

D. BARTOLINI, I, 454-56.

511.

F. MARINELLI, EP. PORPHYRIEN.

Jam una et altera vice, Beatissime Pater, tui gloriosissimi Pontificatus tempore totus christianus orbis insigni repletus est laetitia, cum nimirum Sanctitas Tua, adstante frequentissimo Pastorum coetu, irreformabili judicio statuit et declaravit; Beatissimam Virginem Mariam in primo suae Conceptionis instanti immunem prorsus ab omni originalis culpa labe singulari Dei privilegio praeservatam fuisse; et viginti sex Martyribus Japonensibus, atque Beato Michaeli De-Sanctis Confessori supremos Sanctorum honores, non dissimili sententia, tribuendos esse, eadem Sanctitas Tua decernebat providentissimoque consilio mandabat. Ecce nunc jam tertio, Beatissime Pater, ejusdem catholici orbis Antistites ad suavissimum Tuae vocis imperium ad almam hanc urbem venerunt, congaudentes non solum, quod hoc anno maxima exultatione centenaria illius diei memoria recolenda sit, qua haec civitas sacerdotalis et regia Beatorum Apostolorum Petri et Pauli glorioso est purpurata sanguine; verum etiam quod in auspiciatissima tantae diei celebritate in Sanctorum album sis relaturus Beatum Josaphat Kuncevicium ordinis S. Basilii Archiepiscopum Polocensem schismaticorum furore in odium unitatis Ecclesiae interemptum; Beatum Petrum de Arbues... Nil mirum propterea quod Ecclesia universa, ubi primum hoc sapientissimum consilium tuum, in quod deveneras, audivit, illico etiam hac vice laetabunda et laudans illud receperit. Nec sine speciali supremi Numinis providentia quinimo factum esse putandum est, ut hisce temporibus, in quibus infensissimi Religionis hostes in Romanam potissimum Sedem insurgunt, Iis supremi honoris cultus solemniter decreto decerneretur, qui pro ejusdem Romanae Cathedrae exaltatione et gloria tuenda sanguinem suum fundere, et vitam ipsam dare non dubitarunt.

Haec sunt vota mea, Beatissime Pater, quae sapientissimo judicio tuo humillime subjiciens, ad pedes Sanctitatis Tuae provolvor, et Apostolicam Benedictionem totis praecordiorum affectibus imploro.

✠ F. Franciscus Marinelli Ord. Erem. S. Augustini
Episc. Porphyriensis.

D. BARTOLINI, I, 456.

512.

S. HORTON, EP. POMPEJ.

Vocantis supremi Pastoris vocem filius devotissimus laetabundus secutus, ad Ecclesiarum omnium Matrem et Magistram summa consolatione cordis post longum iter accessi: atque hic ad pedes Sanctitatis Tuae, Dei in terris Vicarii, provolutus existimo, vere dignum Deo, et justum esse, atque Ecclesiae Catholicae salutare, ut invictos beatos Martyres Josaphat Kunceovich Archiepiscopum, Petrum de Arbues, et Nicolaum Pichium cum decem et octo sociis, Sanctorum catalogo adscribas. Ipsi siquidem bonam militiam militantes servaverunt fidem; atque in bono usque ad vitae exitum perseverantes martyrium perpassi, ac miraculis clarificati sunt ab amantissimo Domino, qui suorum militum est sors, corona, et praemium. Videntes nunc in coelis Deum sicuti est, exorabunt profecto Patrem misericordiarum, ut concedere dignetur pacem Ecclesiae, incrementum catholicae fidei, atque isti Petri cathedrae et Sanctitati Vestrae quietem, tranquillitatem, triumphum.

✠ Silvester Horton Rosecrans Episc. Pompej.
et Auxiliaris Cincinnatiensis.

D. BARTOLINI, I, 457.

513.

J. WOOD, EP. PHILADELPHIEN.

Militantis Ecclesiae decus insigni constantia in Christi Fide asserenda auxerunt profecto Beati Martyres Josaphat Kunceovich Archiepiscopus Polocensis Ruthenorum, Petrus de Arbues, et Nicolaus Pichius cum octodecim ejus sociis Gorcomiensibus. Ipsi siquidem postquam amaverunt Jesum in vita imitati sunt Eum in morte, et post mortem insignibus miraculis inclaruerunt.

Quum haec omnia manifeste constant ex authenticis juridicis actis, fortissimi isti Catholicae Fidei athletae digni mihi omnino videntur, ut a te, Beatissime Pater, Sanctorum albo recenseantur. Hoc profecto novo filiorum suorum honore gaudebit Sancta Mater Ecclesia, eorumque intercessione et patrocinio novis in dies triumphis honestabitur.

Jacobus Fridericus Wood Episc. Philadelphien.

D. BARTOLINI, I, 457-8.

514.

CLEMENS, EP. PISAUREN.

Quae de beatis martyribus Josaphat Archiepiscopo Polocensi; Petro de Arbues... ex compendio historiae eorundem martyrii et miraculorum, nec non ex actis in causa canonizationis nobis comperta veniunt, satis superque suadent, nullimode dubitari posse de duabus sequentibus

veritatibus: scilicet — 1° Beatos ipsos, sive schismaticorum, sive Judaeorum, sive tandem Calvinistarum perfidia et conjuratione martyrium fortiter subiisse ut fideles Christo Domino ad extremum usque vitae halitum permanerent, catholicamque doctrinam, sicuti corde credebant, ita ore profiterentur. — 2° Servorum suorum sanctitatem Deum optimum maximum per prodigiorum frequentiam atque praestantiam testari voluisse. Quare ut praedicti beati Martyres solemni ritu inter Sanctos a Beatitudine Tua tuto recenseri possint arbitror et affirmo; eodemque tempore valde opportunum judico, ut in tanta nostrorum temporum perversitate, ipsorum augeatur cultus, ut inde fideles exemplum habeant et praesidium.

Clemens Episc. Pisauren.

IBIDEM.

515.

FERDINANDUS, EP. PACEN.

Cum ex historia BB. Martyrum Josaphati Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues sanctae Metropolitanae Ecclesiae Caesaraugustanae Canonici Regularis, nec non novendecim Martyrum Gorcomiensium in Belgio ex Clero saeculari, attente a me perlecta evidenter constet, omnes, pro Dei gloria et fidei confessione, sanguinem suum ut vere Christi athletae alacri animo et mira constantia fudisse, impietati, errori ac omnibus vitiorum illecebris superiores se exhibentes; cum haec omnia justa canonum disciplinam satis comprobata appareant in causa canonizationis, te, Beatissime Pater, deprecor ut in Sanctorum numero solemni decreto numerare eos digneris, si tamen ita Sanctitati Vestrae placuerit.

Ferdinandus Episcopus Pacensis.

D. BARTOLINI, I, 458-9.

516.

G. DUBOCOVICH, EP. PHAREN.

Quae a Beatis Martyribus Josaphat Kuncevic Archiepiscopo Polocensi Ruthenorum Ritus orientalis, ex ordine S. Basilii; Petro de Arbues... fortissimo animo gesta actaque sunt, nec non insignia miracula, quae, Ipsis intercedentibus, a Deo patrata sunt, adeo evidenti luce clarescunt, ut de iis etiam vel minime dubitare nefas omnino sit.

Quapropter, nihil jucundius, nihilque omnibus Christi fidelibus utilius accidere potest, Beatissime Pater, quam ut enuntiatis Beatis Josaphato, Petro, ac Nicolao, ejusque sociis Sanctorum cultus honorque irrefragabili Auctoritate Tua tandem decernatur.

Quod ego instanter, instantius, instantissime, ea qua decet humilitate ac reverentia, postulo.

Georgius Dr. Dubocovich Episc. Pharensis.

D. BARTOLINI, I, 459.

517.

PAULUS, EP. PULATEN.

De Beatis Martyribus Josaphat Archiepiscopo Polocensi in odium fidei occiso ab haereticis, et de B. Martyre Petro de Arbues... tutissima conscientia affirmari posse censeo, omnes Martyres fidei catholicae et defensores fuisse; quod luculenter constat ex processibus canonice hac de causa peractis, et probatis miraculis. Quamobrem Sanctitati Tuae ut inter sanctos scribantur meum quoque votum simplex adjicio.

Paulus Episcopus Pulatensis.

D. BARTOLINI, I, 460,

518.

JOSEPHUS, EP. PETROCORICEN.

Singulari Dei providentiae consilio factum esse videtur, ut, hoc praesertim tempore quo infensissimi Ecclesiae hostes omni ope Sedem Apostolicam impetere, et fidem catholicam e piorum hominum animis exstirpare conantur, novi e coelo patroni auctoritate apostolica constituentur, qui exemplo suo fideles omnes ad eludendas inimicorum insidias, et ad tuendum, quovis postposito periculo, pietatem ac religionem excitent ac promoveant. Quum itaque omnia jam absoluta sint quae juxta praxim Sacrae Rituum Congregationis et Summorum Pontificum decreta requiruntur in causa B. Josaphat Archiepiscopi Polocensis et B. Petri de Arbues... cumque jam abunde constet de eorum martyrio tam materiali quam formali, necnon de signis seu miraculis a Deo eorum intercessione patratis, illud unum superest ut Sanctitas Vestra, supremo suo judicio omnia confirmando, hos invictos catholicae fidei propugnatores ad supremos altarium honores evehere, cunctisque fidelibus in exemplum proponere dignetur. Qua de re sententiam meam rogatus adjicio, omnimoda spe fretus omnia ad gloriam Dei, Ecclesiae exaltationem et fidelium populorum aedificationem profutura.

* N. Joseph Episc. Petrocoricensis et Sarlatensis.

D. BARTOLINI, I, 460-1.

519.

GREGORIUS, EP. PLACENTIN.

Dei misericordia cui non est numerus, magis elucet hisce temporibus, quibus (proh dolor) abundant defectiones nonnullorum Christianorum, patefaciendo firmitatem et constantiam, strenuorum Martyrum Josaphati Kunceвич, Petri de Arbues, et Nicolai Pichii cum octodecim sociis, ut, absque dubio, reviviscat fides pusillorum, et perfectorum roboretur. Quapropter, peractis omnibus quae de more peragenda sunt, ad supradictorum Martyrum Canonizationem, suffragium meum libenter praesto, ad eandem rite exequendam.

Gregorius Maria Episc. Placentinus.

IBIDEM.

520.

JOANNES, EP. PORTUGALLEN.

Ex Apostolicis S. Sedis actis constat de passione, martyrio, martyriique causa, signis, et cultu Beatorum Martyrum Josaphat Archiepiscopi Polocensis; Petri de Arbues; Nicolai Pichii cum octodecim sociis, qui Brilae in Hollandia pro Christo passi sunt; idcirco iisdem actis adhaerens summopere expedire existimo ut martyres ipsi in album Sanctorum referantur, ut dum Ecclesia dire impugnatur, solemni eorum cultu novus Religioni triumphus, fidelibusque in perferenda persecutione fortior, eo exemplo, animus adjiciatur.

Joannes Episc. Portugallensis.

IBIDEM.

521.

FRIDERICUS, EP. PATAVINUS

Cum, docente Apostolo, nemo coronari debeat nisi qui legitime certaverit, cumque B. Josaphat Kuncevicus Polocensis Ruthenorum Archiepiscopus, qui in illa Ecclesia regenda gregis forma ex animo factus, eximio virtutum exercitio praefulgens, heroica tandem constantia fortiter dimicando, animam impiorum Schismaticorum gladiis effuderit, ea tantum de causa quia Catholicae Ecclesiae unitatis, ac Romani Pontificis primatus propugnator extitit acerrimus, hinc haud, mea quidem sententia, ambigendum, quin ipsi Sanctorum honores tribuendos esse decernatur...

Quae quidem omnia Deus O. M. praeclarissimis signis post illorum obitus illustravit; ac propterea, effusis precibus, Te rogo, Beatissime Pater, ut Martyres hujusmodi inter Sanctos Caelites, infallibili Tuo judicio recenseantur.

Fridericus Ep. Patavinus.

D. BARTOLINI, I, 462.

522.

THOMAS, EP. RECINETEN.

Cum illustrem pro catholica fide mortem a Beatis Martyribus Gori-comiensibus perpassam, et splendidissima expenderim prodigia, quibus Deus Omnipotens eorum sepulcrum reddidit gloriosum, nihil sane dubito ad sollemnem eorumdem Canonizationem tutissime procedi posse: imo precor Te, Beatissime Pater, uti ejusmodi triumpho eorum cultum adaugeas. Quod etiam humillime postulo pro Beato Josaphat Kuncevicus qui per manus schismaticorum, et pro Beato Petro de Arbues qui per manus judaeorum sanctissimam vitam celebri martyrio coronarunt.

Thomas Episcopus Recinetensis et Lauretanus.

D. BARTOLINI, I, 463.

523.

I. DE SENESTREY, EP. RATISBONEN.

Diligenter lectis et perpensis compendiis Actorum, a Sacrorum Ri-

tuum Congregatione editis, libentissime assentior, quod solemnī Canoni-
zationis actu Sanctorum honoribus cumulentur beati novendecim Mar-
tyres Gorcomienses, qui imprimis pro Ss. Eucharistiae veritate et Apo-
stolicae Sedis primatu mortem ab haereticis sustinuerunt; nec non bea-
tus Josaphat, Polocensis Archiepiscopus Rutheni ritus, qui indivisibilem
Ecclesiae unitatem effuso suo sanguine contra schismaticos asseruit;
et beatus Petrus de Arbues... Suorum Sanctorum Martyrum interces-
sione Deus omnipotens Ecclesiam suam ab haeresis, schismatis et occul-
torum hostium bellis liberatam ad optatissimam pacem perducatur!

✠ Ignatius de Senestrey Episc. Ratisbonen.

IBIDEM.

524.

JOSEPHUS, EP. SYNOPENSIS

Quamquam Beati viri Josaphat Archiepiscopus Polocensis, Petrus
de Arbues Canonicus Regularis Caesaraugustanus, et novendecim Gor-
comienses longo temporis intervallo, dissitis in locis, diversoque mortis
genere Martyrium subierint, una tamen eademque fuit causa, ob quam
sanguinem fuderunt. Siquidem imitatores effecti Christi Redemptoris,
qui *dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea*, unam Catholicam
Ecclesiam dilexerunt, et magno volentique animo in ejus fide profi-
tenda, et juribus de Petri Successorum Primatu adserendis, fortiter ad
necem usque pugnare.

Hinc est quod Deus O. M. Martyrii veritatem ac sanctitatem signis
atque prodigiis confirmavit, et primos altarium honores ab Apostolica
Sede promeriti sunt... Eo vel magis quod in hac acerbissima temporum
conditione, in qua infensissimi christiani nominis hostes Romanam Ec-
clesiam convellere et scindere adnituntur, nullatenus dubitandum quin
Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, horumque Martyrum interces-
sione, Apostolicae Sedis jura sarta tectaue servantur, dissidentesque
populi ad ejus unitatem adducantur!

Joseph M.^a Episc. Synopenis.

D. BARTOLINI, I, 464-5.

525.

J. ZAFFRON, EP. SEBENICEN.

Ex attenta lectione actorum Beati Josaphat Kunceovich Polocensis
Archiepiscopi, Beati Petri de Arbues... persuasissimum mihi est, Bea-
tissime Pater, eorundem in gradu heroico virtutes, martyrium, ejusque
causam, nec non prodigia, quibus Deus ipse sibi in illis complacuisse
testatur, adeo luculentis firmisque argumentis probata esse, ut juxta
Ritum Sanctae Romanae Ecclesiae, Sacrorumque Canonum dispositio-
nem jure meritoque sint colendi martyres in terris, quorum nomina
sunt jam scripta in Coelis.

Nec minus equidem opportunum arbitror, Beatissime Pater, ut laudati fidei athletae in albo martyrum, nunc praesertim inserantur: nam quum nefastis hisce temporibus, fucatae libertatis titulo, homines perditissimi omnia nequitiae arma in Dominum et Christum ejus convertant, ut percusso, si fieri posset, Pastore, dispergerentur oves gregis; proculdubio conjicere licet nullam aetatem, ad supremas eorundem martyrum glorias celebrandas hac nostra aptiorem esse, in qua tot Praesules ex dissitis orbis partibus Romam, a Petro confirmandi, advenientes, patrocinio simul et exemplo illorum roborentur, qui induti virtute ex alto, steterunt pro muro domus Israel, pro Pontificis Romani Primatu, pro Ecclesiae unitate, proque unitatis vinculo, Sanctissimo nempe Sacramento Eucharistiae, totumque sum sanguinem horribilia inter tormenta fuderunt.

Quapropter maxima qua par est reverentia, Sanctitatem Tuam oro et obsecro, ut praedictos Sanctae Ecclesiae herōes, Beatum Josaphat Kuncewich, Beatum Petrum de Arbues, Beatosque novendecim Gorcomienses in catalogo Sanctorum Martyrum inscribere velit.

Joannes Zaffron Episcopus Sebenicensis.

D. BARTOLINI, I, 465.

526.

FIDELIS, EP. SANCTORINEN.

Martyres qui socii fuere contumeliae, ut scribit Sanctus Ambrosius, debent et participes esse laetitiae. Ita enim dicit Apostolus: sicut socii passionum estis, et resurrectionis eritis: si tolerabimus et conregnabimus. Cum ergo beati Martyres Josaphat Kuncewich, Petrus de Arbues et Nicolaus Pichius cum octodecim sociis strenue praeliaverint bella Domini, atque martyrium pro Christo fortiter toleraverint, ideo enixe deprecor Beatitudinem Tuam, ut inter Sanctos in caelis regnantes connumerare digneris.

Fr. Fidelis Episcopus Sanctorinensis.

D. BARTOLINI, I, 466.

527.

JOSEPHUS, EP. SANHIPPOLITAN.

Quae in majorem Dei gloriam cedunt, omni studio promovere concedet. Quapropter cum de martyrio et causa martyrii, pariterque de finali perseverantia et miraculis Beati *Josaphat* Kuncewich Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum, nec non B. *Petri* de Arbues... abunde mihi constare videatur, hos omnes dignos censeo, qui in album Sanctorum referantur, humillime rogans, ut Vestra Sanctis hunc supremum honorem in majorem Dei gloriam Apostolica auctoritate eis decernere dignetur.

✠ Josephus Episc. Sanhippolytanus.

IBIDEM.

528.

JOANNES, EP. SAVONEN.

Visis actorum compendiis BB. Martyrum Josaphat Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues, et Nicolai Pichii cum octodecim sociis, comperui eosdem gravissimas patienter sustinuisse persecutiones usque ad mortem in confessione Catholicae Fidei; deindeque per ipsos Deum signa ac prodigia ostendisse prout ex decretis jam a Sanctitate Sua editis comprobatur. Ea propter humiliter censeo praedictos omnes beatos, inter sanctos martyres esse recensendos.

✠ Joannes Baptista Episcopus Savonen. Naulen.

IBIDEM.

529.

FRANCISCUS, EP. SEPTEMPED.

In consistorio semipublico habito die 12 currentis mensis actum est de cooptando in Sanctorum album plures Beatos Martyres, nempe

B. Josaphat Archiepiscopum Polocensem, qui die 12 Novembris 1623 impiorum gladiis occubuit;

B. Petrum de Arbues... Beatum Nicolaum Pichii, et octodecim socios...

Quoad eos omnes peracta penes S. Rituum Congregationem luculentissime demonstrant cunctos ipsos Beatos vere Christi martyres fuisse: miracula ab omnipotenti Deo illorum intercessione operata divinam indigitant voluntatem, ut honor canonizationis eis tribuatur.

His tristissimis temporibus, in quibus christifideles, et praesertim clero addicti ab hostibus S. Ecclesiae in tot mundi plagis vexantur, opportunissimum censeo ampliori cultu honorandos praebere Beatos desuper enunciatis, ut omnes qui ob Religionem persecutionem patiuntur, ex illorum exemplo, et intercessione robur novum acquirant.

Quocirca rogo te, Beatissime Pater, ut omnes Beatos illos in albo Canonizatorum adscribas.

✠ Franciscus Ep. Septempedanus S. Severini

IBIDEM.

530.

PETRUS, EP. SEDUNEN.

Ad meum in praedicta causa votum emittendum invitatus attente compendia historiae Martyrii ac miraculorum memoratorum beatorum a Secretario S. Congregationis Rituum accurate redacta ac mihi ad manus posita perlegere satagi. Inde mihi abunde constitit, hosce beatos jam ante martyrium vitae sanctitate illustres extitisse, ac ea martyrii palmam promeruisse; constitit insuper, ipsos omnes pro fide catholica generose mortem subiisse; demumque constat et ipsos post mortem veris totque inclaruisse miraculis, quot Ecclesiae sapientissimae praecriptiones pro Canonizatione exigunt.

Quapropter minime haesito, meum in favorem Canonizationis praedictorum Martyrum suffragium ferre idque eo fero libentius, quod ista Canonizatio maxime opportuna sit...

✠ Petrus Josephus Episcopus Sedunensis.

D. BARTOLINI, I, 468-9.

531.

JOACHIM, EP. SEGOBIEN.

... Viso compendio Martyrii miraculorum et actorum in exemplari a Sacra Rituum Congregatione mihi transmissio, in causa Canonizationis Beatorum Josaphat Kunceovich Archiepiscopi, Petri de Arbues... sentio, tuto procedi posse ad solemnem Canonizationem praedictorum Josaphat Kunceovich, Petri de Arbues et Nicolai Pichii cum octodecim ejus sociis in laudata memoria seu compendio expressis et SS.mum D. Nostrum Pium Papam Novum instantanter instantius instantissime et enixe rogo ut Sanctorum Domini Nostri Jesu Christi Martyrum catalogo Deo ita inspirante adscribere velit et ab omnibus christifidelibus decernat esse venerandos tamquam Sanctos Martyres.

Joachim Episcopus Segob.

D. BARTOLINI, I, 469.

532.

VITALIS, EP. SATALEN.

Ex libellis a Sanctitate Vestra missis perspectum habui Beatum Josaphat Kunceovich Archiepiscopum, B. Petrum de Arbues et B. Nicolaum Pichium cum ejus sociis palma Martyrii eisdem in odium christianae religionis collati, fuisse insignitos...

Caeterum, Deus non praetermisit eorundem sanctitatem gloriosis signis omnibus patefacere. Quibus igitur animadversis, ego libenter assentior quatenus laudati BB. Martyres sententia irrefragabili Sanctitatis Vestrae honoribus solemnis Canonizationis cumulentur.

✠ Vitalis Justinus Episcopus Satalensis

O.M.I. Coad. S. Bonifacii.

IBIDEM.

533.

A. LANGUILLAT, EP. SERGIOPOLITAN.

In Martyrio Beatorum Josaphat Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues, primi inquisitoris Regni Aragoniae, necnon Nicolai Pichii et octodecim sociorum ejus, oculis nostris subjecta ea ad vivum expressa, inconcussisque confirmata miraculis videre est ea omnia fidei catholicae dogmata, quae contra praecipuos aetatis nostrae errores, eos in primis qui circa Ecclesiam ejusque jura versantur, Sanctissimum Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa IX, toto sui Sacri Principatus tempore, ut publica monumenta testantur, nunquam intermisit asserere, docere definireque. Quare non sine divinae sapientiae consilio et provi-

dentia procul dubio factum est, ut horum BB. Martyrum gloria ad haec usque nostra tempora reservaretur revelanda...

✠ Adrianus Languillat S. I. Episcopus Sergiopolitanus
Vic. Apost. Nankinensis.

D. BARTOLINI, I, 470-1 (in l. greca et latina). 534.

T. KOJUNGI, EP. SIDONIS

Cum constitisset, omnibus bene perpensis, de eximia sanctitate et miraculis, quibus claruerunt beati Dei Martyres, de quibus agitur hac solemni die, persuasum est mihi, eorum Canonizationem incrementum esse allaturam Dei gloriae et fidei, nec non novum argumentum benevolentiae S. Sedis erga orientalem Ecclesiam, quae per tot saecula Sanctis orbata gratissimo animo futura, immortalesque gratias Tuae Sanctitati actura, in persona Beati Josaphat ornamentum decusque hisce in terris, et patronum magnum in coelis habebit. Deprecor ergo, ut Tua Sanctitas, Illum cum aliis Martyribus in Sanctorum albo recensere dignetur.

✠ Teodosius Kojungi Episcopus Sidonis.

D. BARTOLINI, I, 471. 535.

A. RICCI, EP. SIGNINUS

Beatus Josaphat Archiepiscopus Polocensis ab ineunte aetate in semitis justitiae progrediens, humilitatis, prudentiae, castitatis. uno verbo virtutum omnium speculum extitit, et omnibus omnia factus tantam demum operam et industriam posuit in profligandis haereticis et schismaticis, in unitate Ecclesiae adstruenda, in Sedis Apostolicae Primatu propugnando, et in Ecclesiae juribus tutandis, ut nefarii homines, facta impia conspiratione, ad necem eum quaererent, donec impetu facto in aedes Archiepiscopales, capite Archiepiscopi securi disjecto, sacrilegum parricidii scelus immanissime perfecerunt. Quam opportunum sit ut hic Primatus et Ecclesiae jurium fortissimus propugnator hisce praesertim miserrimis temporibus, quibus in Ecclesiae jura tanto furore impudentissima fronte etiam publice invehitur, sicut in coelis vitae coronam accepit, ita glorificetur in terris, nemo non videt. Quapropter, Beatissime Pater, aequum profecto est, ut tantus Fidei et Ecclesiae Principatus usque ad effusionem sanguinis invictissimus adsertor in commune christianae reipublicae bonum solemni Tuo decreto in Sanctorum Martyrum album recenseatur.

✠ Aloysius Ricci Episcopus Signinus.

D. BARTOLINI, I, 473. 536.

PETRUS, EP. SAPPENSIS

Sanguinem a Beatis Martyribus Josaphat Kunceвич Archiepiscopo Polocensi Ruthenorum ritus orientalis ex Ordine S. Basilii Magni, et

a Petro de Arbues Canonico regulari Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae ac primo Inquisitore regni Aragoniae, necnon a Nicolao Pichio cum octodecim sociis ex utroque Clero, fusum fuisse non elatione, sed caritate, luculenter ex actibus S. Rituum Congregationis jam constat; ideoque nihil aliud remanet, nisi Tu, Beatissime Pater, ad majorem S. Matris Ecclesiae exaltationem, et ad augendam in populo Christiano fidem erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, ac debitam Romano Pontifici Divi Petri successori subiectionem, cujus tu his difficillimus temporibus locum tenes, eosdem qui de sanctissimis causis vitam generose, et impavide dederunt, in Sanctorum numerum quantocius adscribas, humiliter et suppliciter exposco.

Fr. Petrus Episcopus Sappensis.

D. BARTOLINI, I, 473-4.

537.

JOSEPHUS, EP. SENOGALLIEN.

In odium catholicae fidei, Sanctae Romanae Ecclesiae et Summi Pontificis Primatus post crudeliora tormenta Martyr occubuit fortissimus Josaphat Kunceovich Archiepiscopus Polocensis. Hujus veritatis haud afferam momenta gravissima, quippe quae jam producta in matura ac diligenti processus discussione, luculenter ostendunt B. Polocensem Praesulem non poenam, sed causam Martyrem fecisse; quod et miracula produnt Eodem post mortem gloriosam intercedente, a Deo Omnipotente operata. Hodie igitur Tuae Sanctitatis solio se sistit Ipsum comitantibus B. Petro Arbuesio... necnon BB. Nicolao Pichio cum XVIII sociis Martyribus Gorcomiensibus... B. itaque Josaphat, B. Petrus de Arbues, BB. Gorcomienses Martyres adstant formosi in stolis suis gloriantes in accepto vulnere pro fide in omnibus persecutionibus, quas sustinuerunt, ut digni haberentur regni Ejus, pro quo passi sunt. Eorum tamen gloria hoc nostro aevo erat revelanda, quo infensissimi Religionis hostes Judaei et Haeretici omnes armis ab inferis acceptis, iisque junctis in unum conveniunt adversus Ecclesiam catholicam et Sanctam Petri Sedem. Opportunum ergo est, Beatissime Pater, ut invictis praelaudatis martyribus solemnes decernas Sanctorum honores...

✠ Fr. Joseph Episcopus Senogalliensis.

D. BARTOLINI, I, 475-7.

538.

G. SILLANI, EP. TERRACINEN.

Congregati coram Majestate Tua ut sententiam promamus an supremi Altaris honores decerni possint aliquibus beatis viris, qui sexto-decimo saeculo vel paulo ante vel paulo post floruerunt, nonnulla circa ipsos praemittenda puto.

Primus ratione dignitatis se offert B. Josaphat Kuncevicus Polocensis Archiepiscopus, qui Ecclesiae unitatis ac Romani Pontificis Pri-

matus propugnator acerrimus nil intentatum reliquit ut schismaticos ad verum Christi ovile reduceret, et quoad plurimos obtinuit, quos inter fuit senex Archiepiscopus, cui initio datus fuerat coadjutor, ipsum enim, schismate ejurato, sacramentis refecit et ad bene moriendum adjuvit. Hinc schismatis sectatores veriti suae sectae eversionem a doctrina et zelo Josaphat, consilium inierunt Ipsum perdendi, quod nefarium facinus Vitebsci completum est, pluribus plagis inter probra et ludibria impositis ab iisdem Schismaticis, in ipsum saevientibus cadaver, quod in flumen demersere. Omnipotens Deus illico martyrem illustravit portentis, eoque potissimum quod ejus corpus ex aquis eductum integrum ac vivo simillimum apparuit, unde innumeri schismatici, ipsique carnifices catholicos se professi sunt; ac Josaphati precibus jure tribuendum videtur Pseudo-Archiepiscopum conspiracy fauctorem lacrymis sua crimina proluisse et Petri Cathedrae ad extremum usque spiritum ardenti animo adhaesisse.

Venit inde B. Petrus de Arbues...

Tandem admirandi sunt decem et novem religiosi viri partim ex clero saeculari, partim ex regulari diversarum familiarum dicti Gorcomienses...

Quibus omnibus perpensis, mihi videtur aperte constare de martyrio omnium supra nominatorum, causa martyrii, ac testimonio ab Omnipotente dato de eorum constantia in ipso pro fidei confessione usque ad consumationem sustinendo, adeoque dignos esse qui in Sanctorum albo numerentur, sicque Pastores B. Josaphat, ceteri de Clero Arbuesium, ac Gorcomienses exemplo habebunt ad dimicandum contra falsae libertatis sectatores, diabolique ministros, qui, ablata omni divina ac humana, praesertim Pontificia auctoritate, vellent, si fieri posset, catholicam eradicare Ecclesiam, quam unicam suis pravis desideriis inimicam conclamant...

✠ Guilelmus Sillani Ep. Olim Terracinae,
Setiae ac Priverni Miss. Cong. a Pretioso Sanguine.

D. BARTOLINI, I, 477-8.

539.

RAYMUNDUS, EP. TUDENSIS

Ego Raymundus Episcopus Tudensis viso compendio martyrii, miraculorum et actorum in exemplari a sacra Rituum Congregatione mihi transmissio in causa canonizationis Beatorum Josaphat Kuncevic Archiepiscopi, Petri de Arbues et Nicolai Pichii cum octodecim ejus sociis; constando prout evidenter constat de cujuslibet eorum martyrio et martyrii causa, et de miraculis ante et post beatificationem illorum intercessione a Deo patrat; itemque in praedicta causa rite servata fuisse omnia quae servari debebant, sentio tuto procedi posse ad solem-

nem canonizationem praedictorum Josaphat Kunceovich, Petri de Arbues et Nicolai Pichii cum octodecim ejus sociis in laudata memoria seu compendio expressis, et Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam Nonum instantanter, instantius, instantissime et enixe rogo ut Sanctorum Domini Nostri Jesu Christi Martyrum catalogo, Deo ita inspirante, adscribere eos velit et ab omnibus christifidelibus decernat esse venerandos tanquam sanctos Martyres.

Raymundus Episcopus Tudensis.

D. BARTOLINI, I, 478-9.

540.

S. SPILOTROS, EP. TRICARICEN.

Sancta Dei Ecclesia, quam Christus acquisivit sanguine suo, etiam sanguine Martyrum nova prole foecundatur in dies, augetur, ac roboratur... Jam vero gloriosi Christi Martyres Josaphat Kuncevicus, et Petrus de Arbues, nec non beati Martyres Gorcomienses, de quorum canonizatione hodierna die agitur, vel pro Christiana Religione, vel pro fide Catholica, vel pro Sede Petri, successorumque ejus Romanorum Pontificum gloriosissimam oppetiere mortem, et Deus omnipotens miracula patravit multa, quibus eorum beatorum Martyrum sanctimoniam, et assertae ab ipsis doctrinae veritatem infallibili suo testimonio confirmaret. Haec omnia, ut moris est, examini subjecta, recognita et approbata fuerunt, concessumque fidelibus ut praefatos Martyres religiose coleant, ac venerarentur. Quare oro, obtestorque, Beatissime Pater, censeo, ac reor, ut per Pontificiam Tuam auctoritatem hisce Christi athletic Sanctorum cultus, ac caelestes honores decernantur.

Fr. Simon Spilotros

Ordinis Carmelitarum Episc. Tricaricen.

D. BARTOLINI, I, 479.

541.

J. ETHERIDGE, EP. TORONEN.

VOTUM. Jacobi Etheridge Episcopi Toronensis et Vicarii Apostolici Gujanae Britannicae in causa Canonizationis Beatorum Martyrum Josaphati, Petri de Arbues, et Gorcomiensium. — *Placet pro omnibus.*

1.^o Quia in causa omnium adsunt ea omnia quae ad Canonizationem requiruntur.

2.^o Quia hisce temporibus ac praecipue hisce regionibus quibus Beati Martyres dum viverent versabantur maxime expedit ut Catholici eorum exemplis sanctisque suffragiis adjuventur.

† Jacobus Etheridge Episc. Toronensis
et Vicarius Apost. Gujanae Britannicae.

D. BARTOLINI, I, 480.

542.

CAROLUS, EP. TIBURTIN.

Qui bonum certamen certantes gloriosum sanguinem fuderunt pro

Domino, aequum est, ut corona triumphali signo sanctitatis expressa, in terris quoque donentur, quam recepissee de manu Domini signa testantur. Palmam igitur habeat victoriae Beatus Josaphat Kuncevicus, bonus ille pastor, forma gregis factus ex animo, sollicitus usque ad mortem servandi unitatem spiritus in vinculo pacis. In multitudine electorum habeat laudem Beatus Petrus Arbuensis... Habeant ita fideles per te, Beatissime Pater, novos in coelis Patronos, quos invocent, prodigiorum multitudine clarificatos; nova per te habeat Ecclesia praeclarissima virtutum exempla, quae luctuosissimis hisce temporibus persecutionem patitur propter justitiam, et afflictam sollicitudine certaminis consolabitur saltem corona victorum.

✠ Carolus Episcopus Tiburtin.

D. BARTOLINI, 480-483.

543.

BERNARDINUS, EP. TERRACINAE

Sancta Catholica Ecclesia, Beatissime Pater, igneo persecutionum diademate, supremo sapientiae consilio, insignita, quo divina ejus origo innotesceret et a falsis quibusque sectis unico velut ictu secerneretur, Beatorum Martyrum semper splendore micavit, pugnantium caeleste certamen, certamen Dei, certamen spiritale, praelium Christi.

Innumeris Athletis, qui immortalitatem emere pretio sui sanguinis, splendidum agmen addendum, in quo et pugnavit, et vicit fidei Protector.

Primum: Beatus Josaphat ex pervetusto Ordine sancti Basilii Magni Archiepiscopus Polocensis in Alba Russia. Ipse enim boni Pastoris morem gerens, die, noctuque ad limen mystici ovilis excubias egit, in lupos ad extremum usque strenue dimicavit, gregem sibi commissum ad salutaria fidei catholicae pascua eduxit, et ne veneno inficeretur doctrinae eorum, qui unitati militantis Ecclesiae sub uno visibili capite Romano Pontifice Christi in terris Vicario adversabantur, fuste capite percusso, bipenni dissecto, ac tandem ballistae igneae globulo iterum lacessito, fortiter fidenterque occubuit. Quam fuerit in conspectu Domini pretiosa Beati Episcopi mors, martyrium et causa martyrii, miracula comprobarunt, prout ex actis Sacrorum Rituum Congregationis loculentissime patet.

Secundum: Splendidus quoque fidei Catholicae adsertor fuit Beatus Petrus de Arbues...

Cum itaque, Beatissime Pater, tum de Beati Josaphat, et Petri de Arbues, tum Beati Nicolai Pichii et sociorum constet Martyrio et causa martyrii, deque patratis a singulis miraculis, dignetur Sanctitas Vestra praedictis Christi Militibus Sanctorum Martyrum honores decernere. Glorificabitur namque Deus in Sanctis suis, virtus ac meritum summo

in honore erunt apud fideles, et sperandum omnino futurum, ut calamitosis hisce temporibus dum fervet persecutio Russici Gubernii contra Romanam Ecclesiam, et Hispania sectariorum minis exagitur, Hollandia denique haeresi Calviniana adhuc inficitur, non solum Pastores, sed et oves in illis regionibus degentes, imo universus catholicus grex horum martyrum exemplo ac patrocinio roborati in fide vel inter cruciatus et mortem permaneant.

✠ F. Bernardinus Episcopus Terracinae, Setia et Priverni.

D. BARTOLINI, I, 483 (lingua syra et latina). 544.

F. MATAH, EP. TAZIRENSIS

Quum perpensis omnibus quae traduntur de martyrio et miraculis Beatorum Josaphat Polocensis Archiepiscopi et XIX Martyrum Gorcomiensium et Petri de Arbues rite constet dignissimos esse duliae cultu, humiliter Te obsecro, Beatissime Pater, ut invictissimos istos Christi athletas in albo Sanctorum adscribere digneris.

Flabianus Petrus Matah Episc. Syrus Tazirensis.

D. BARTOLINI, I, 484 (lingua armena et latina). 545.

J. GHIUREGHIAN, EP. TRAPENZUNTIN.

Pietas, studium catholicae fidei, et ferventissimus charitatis ardor, quo in Deum et proximum Beatus Josaphat Polocensis Archiepiscopus, et Beatus Petrus de Arbues, et XIX Martyres Gorcomienses ita exarsant ut vitam pro Christo darent, dignissimos reddit ipsos ut irrefragabili Sanctitatis Tuae judicio duliae cultu in universa Ecclesia honorantur.

Joannes Ghiureghian Episcopus Armenus Trapezuntinus.

D. BARTOLINI, I, 484-5. 546.

PAULUS, EP. TIPHERNAS

... Lectis ac mature perpensis actibus Martyriorum Beati Josaphati Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis Ruthensis, et B. Petri de Arbues Canonici regularis Ordinis S. Augustini, nec non BB. XIX Martyrum Gorcomiensium, liquido constare mihi videtur, recensitos viros permagnos sustinuisse labores usque ad sanguinis effusionem, imo ad mortem usque, idque Catholicae fidei tuendae causa. Insuper Deus ipse eorumdem sanctitatem testatam voluit, dum miracula, circa quae ambigendi nullus remanet locus, non semel operatus est ad solamen ipsum invocantium per merita praedictorum Beatorum.

Hisce positis votum meum adjungo votis Fratrum Coepiscoporum pro solemni Canonizatione Beati Josaphati Episcopi, B. Petri de Arbues Canonici Regularis, BB. XIX Martyrum Gorcomiensium, si SS. Domino, dictante Spiritu Sancto, ad hanc solemnem declarationem visum fuerit devenire. Fr. Paulus Episcopus Tiphernas et Adm. Apost. Gaudisien.

D. BARTOLINI, I, 485.

547.

JOANNES, EP. TUDERTINUS

Attente Beatorum Josaphat Kuncevicii Polocensis Ruthenorum Antistitis, Petri Arbuesii, Nicolai Pichii, ejusque duodeviginti sociorum vitae compendiis perlectis, matureque perpensis, summa cum animi laetitia, ipsos hic in terris peregrinos multis tribulationibus, ac periculis subjectos fuisse, et mortificationem Christi in corpore circumferentes, post vitam sanctissime actam, miraculorum gloria inclaruisset, et pro Catholica fide invictissimo animo martyrium perpessos fuisse probe dignovi. Qua de re te, Beatissime Pater, humiliter oro, atque obtestor, ut in Sanctorum numerum eosdem solemniter ritu cooptare minime dedigneris.

✠ Joannes Episcopus Tudertinus.

D. BARTOLINI, I, 486.

548.

J. MARANGÒ, EP. TENENSIS

Providentissimum divinae sapientiae consilium fuit ut hisce potissimum temporibus causae canonizationis istorum Beatorum agerentur. cum totis viribus infestissimi Ecclesiae hostes Primatum Summi Pontificis evertere conantur. Etsi vero propugnatores sese jactitent libertatis. hoc unum prae oculis semper habent, libertatem Ecclesiae ac conscientiae Catholicae penitus destruere. Ast perspectis ac mature consideratis actis Martyrii Josaphati Kuncevicich, Petri de Arbues, nec non Martyrum Gorcomiensium, statim prae oculis exsurgit ipsos in odium primatus Divi Petri ejusque successorum, fundamenti verae et unice Ecclesiae mortem gloriosissimam subiisse. Nulla igitur aptior aetas hac nostra inveniri poterat ad immortales glorias istorum martyrum celebrandas. Eo vero libentius praesens votum emitto cum Episcopus etsi *immerito* in regno Graeciae spero fore ut intercessionem istorum Martyrum Graeci ad unitatem fidei adveniant, Primatum Divi Petri agnoscant, Eique se subditos profiteantur.

✠ Joannes Marangò Episc. Tenensis
et Migonensis nec non Adm. Andrensis.

D. BARTOLINI, I, 486-7.

549.

PHILIPPUS, EP. TRIPOLITAN.

Actis apud Congregationem SS. Rituum jussu SS.mi D. N. Pii Papae IX perquisitis; et vita, virtutibus, et miraculis Beati Josaphati Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis et Ruthensis Martyris ex ordine S. Basilii Magni, Beati Petri de Arbues... perspectis, rite ac tuto ad eorum canonizationem procedi posse existimo: quin imo quamplurimum ad aedificationem universi populi christiani et caeleste auxilium conferre.

✠ Philippus Episc. Tripolit.
Ab. Sublac. Adm. Apostolicus.

D. BARTOLINI, I, 487-8.

550.

ANTONIUS, EP. URBANIEN.

Inter invictos Heroas qui gloriosum Christianae Religioni et sanctae huic Apostolicae Sedi testimonium suo sanguine praestiterunt, optimo quidem jure Beatos Josaphatum Kuncevicium Archiepiscopum Polocensem, Petrum de Arbues... recensendos puto...

Quam animi virtutem et constantiam vel in terris remunerans Deus Omnipotens, frequentibus miris prodigiis ipsorum Reliquias magis magisque in dies a Fidelibus cultas, sicuti ex Apostolicis patet processibus, condecoravit. Quae cum ita sint, excipe, Beatissime Pater, humillimas meas quoque postulationes et preces, quibus efflagito ut supradictis Beatis Martyribus supremos Altaris indicas honores...

✠ Antonius Episcopus Urbaniensis. et Vadensis.

D. BARTOLINI, I, 488.

551.

JOSEPHUS, EP. VERCELLIEN.

Attente legi matureque perpendi Acta beatorum martyrum Josaphat Kunceovich, Petri de Arbues et Nicolai Pichii cum octodecim sociis, in quibus adeo manifeste apparet martyrium in odium fidei datum et pro fide susceptum, ut nulla mihi sit de eo dubitandi ratio.

Signa quoque, pro eorum sanctitate probanda a Deo data, manifesta sunt. Idcirco judico, ipsis sanctorum honores esse tribuendos, et Canonizationis laurea coronandos. Dignetur ergo Sanctitas Vestra quantocius id praestare ad Dei gloriam, consolationem fidelium, malorumque confusionem.

✠ Josephus Episcopus Vercellensis.

D. BARTOLINI, I, 488-9.

552.

ALOYSIUS, EP. URITANUS

Exemplaribus Actorum pro futura Canonizatione BB. MM. Josaphat Kunceovich, Petri de Arbues, et Nicolai Pichii cum octodecim Sociis, qua majori potui diligentia, a me perlectis, Auctori omnium bonorum Deo medullitus gratias egi, qui hac rerum miserrima tempestate disponit, praefatos Beatos Martyres Sanctorum Collegio adscriptum iri, quorum passio simillimam praefert imaginem despumantium fluctuum, qui Sanctam Petri Naviculam submergere quam pertinacissime aggrediuntur. Et quoniam in unoquoque eorum Beatorum, pro mensura donationis Christi, perspexi charitatem erga Deum, Principis Apostolorum Sedem, et proximos ardentissimam, ex qua velut ex uberimo fonte dimanant, et quam, velut omnium virtutum reginam, omnes tum theologiae tum morales virtutes comitantur, praesertim vero serpentis prudentia et columbae simplicitas in *responsis*, constantia in *periculis*, in acerbissimis cruciatibus invicta fortitudo, et supercaelestis

pax in ponendis animabus suis pro Christo, pro Ecclesia, et pro Romano Pontifice; nullum in corde meo dubium reliquum est, quemque praefatorum Martyrum virtutes omnes in gradu heroico exercuisse pro locorum et temporum diversitate.

Quibus omnibus accedunt non pauca satis comprobata miracula, quorum supernaturali voce Deus testatam voluit Servorum suorum sanctitatem; nec non et accuratissima judicia, et luculentissimae sententiae Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, ac Sanctae Sedis Apostolicae, definientes tuto procedi posse ad solemnem Canonizationem omnium et singulorum praedictorum Beatorum Martyrum.

Quare mihi omnino persuasum est in Domino, fore, ut magnopere glorificetur Deus in hisce Martyribus, et praeclarissimum exemplum detur omnibus christifidelibus in infensissimo bello impietatis contra Ecclesiam et hanc Sanctam Romanam Cathedram et Regiam Sedem, si Tu, Beatissime Pater, solemne decretum emiseris, et festivitatem celebraveris super eorum Canonizatione.

✠ Aloysius Episcopus Uritanus.

D. BARTOLINI, I, 489-90.

553.

F. MAURIZI, EP. VERULANUS.

Nemo est, ajente Chrysostomo, qui nesciat Martyrum glorias divino consilio a fidelibus celebrari ut honor debitus illis dicatur, nobisque virtutum praebeantur exempla. Hisce itaque nostris calamitosis temporibus ad Beatorum Martyrum Josaphat Kunceviech Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues Aragoniae Inquisitoris, et Nicolai Pichii cum octodecim sociis ex utroque Clero solemnem Canonizationem, Beatissime Pater, opportune sapienterque devenies. Ex olim confectis, et nuper absolutis Apostolicis Actibus tam de singulorum martyrio, quam de martyrii causa et Illorum in hoc perferendo constantia luculentissime patet; itemque de miraculis quae Deus omnipotens Ipsis intercedentibus operari dignatus est. Sit B. Martyris Josaphat firmissima constantia Pastoribus exemplum, et tutela; Catholicae Fidei propugnatoribus solamen praebeat et robur Beati Petri mors pretiosa; Martyres vero Gorcomienses Catholicis omnibus firmitatem in Fide, sanctam in bonis operibus perseverantiam a Domino obtineant.

In votis itaque meis submisce est, Beatissime Pater, ut horum Beatorum MM. solemnia Canonizationis absolvas.

✠ Fortunatus Maurizi Episc. Verulanus.

D. BARTOLINI, I, 490-1.

554.

J. TARGIONI, EP. VOLATERRANUS

Cum ex praeclaris virtutibus, Martyrii causa, fortitudine in sua confessione, indubiis postea miraculis Beatorum Martyrum Josaphat

Polocensis Ruthenorum Archiepiscopi; Petri Arbuesii, et Nicolai Pichii cum octodecim sociis Martyribus Gorcomiensibus gloria, qua Dei munere in coelis perfruuntur, plenissime comprobata fuerit, uti compendia historiae singulorum, et Acta Processualia declarant, nil aliud, mea quidem sententia, superesse puto, quam ut eorundem fortissimorum Christi Martyrum causa, supremo auctoritatis tuae iudicio, Beatissime Pater, ad optatissimum exitum deducatur; atque ita votis tot Ecclesiae Procerum satisfiat; in servis suis semper in Ecclesia sancta Christus laudetur; christifidelibus autem Martyrum horum confessio in exemplum proferatur, quo non constantiam modo fideique robur in omnibus imitentur, sed eas praecipue catholicas veritates, pro quibus strenue tuendis sanguinem fuderunt, quaeque hac aetate ab impiis malis quibusbet artibus impetuntur, firmiter tenere, fortius defendere discant, Iisque intercedentibus valeant.

✠ Joseph Targioni Episcopus Volaterranus.

D. BARTOLINI, II, 256-7.

555.

FRANCISCUS, EP. LARINEN.

Ex iis quae leguntur in compendiis, a Sacrorum Rituum Congregationis Secretaria editis, vitae, virtutum, et miraculorum Beatorum Martyrum Josaphat Archiepiscopi Polocensis, Petri de Arbues... satis patet quam dignum sit, ut ipsi nobiliori per orbem terrarum cultu a christifidelibus observentur: ideoque efflagito, ut ad maiorem Dei gloriam, et pietatem in fidelibus augendam Sanctitas Vestra eosdem Beatos quam citius solemner in Vaticana Basilica Sanctorum numero adscribere dignetur.

✠ Franciscus Episcopus Larinen.

D. BARTOLINI, II, 257.

556.

L. FORWERK, EP. LEONTOPOLITAN.

Beati Martyres Confessores ac Virgines, videlicet:

1. B. Josaphat Archiepiscopus Polocen. Ruthenorum in Alba Russia Martyr;

2. B. Petrus de Arbues...

7. B. Germana Cousin, Virgo saecularis in dioecesi Tolosana eminentes mira pietate erga Deum Trinum, insigni charitate erga proximum, perfecta sui ipsius abnegatione, admirabili morum innocentia et probitate, praeclaris meritis de animarum salute, heroica Domini Nostri Jesu Christi Salvatoris imitatione in passione, nec non miraculis rite comprobatis omnino digni censendi sunt, ut in Sanctorum album solemni decreto Beatissimi Patris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae Noni referantur.

Quod votum actis in causa Canonizationis praefatorum Beatorum innixum propria manu scripsi et subscripsi.

✠ Ludovicus Forwerk Episcopus Leontopolitanus
et Vic. Apost. in regno Saxoniae.

D. BARTOLINI, II, 258-9.

557.

ANTONIUS, EP. NUCERINEN.

Perpensis Actis confectis in causa Canonizationis B. Josaphati Kuncewicii, cum de martyrio, ejusque causa plenissime constet; et cum S. Rituum Congregatio jam adseruerit, tuto procedi posse ad ejusdem solemnem Canonizationem; quod confirmatum fuit a Sanctitate Vestra die 2 Maii 1865, sum in sententia, ut ad hujusmodi solemnem Canonizationem deveniatur.

Quod dictum velim et de B. Petro de Arbues...

Et maxime conveniens puto ad horum solemnem Canonizationem procedi, cum pro tuendis iis nostrae SS.mae religionis veritatibus mortem subierint, in quas horum temporum iniqui homines tela conjiciunt...

✠ F. Antonius Maria Episcopus Nucerin.

D. BARTOLINI, II, 259-61.

558.

H. BINDI, EP. PISTORIEN.

I. Attente, pioque animi motu, perlectis coram Deo Actis in compendium nobis exhibitis praeclarorum novendecim virorum Gorcomiensium...

II. Et quoniam, praeter hos novendecim Martyres Gorcomienses, de aliis quoque sex nobilissimis Dei servis in causa canonizationis cognitum est, qui iam titulo Beatorum, ex Apostolica auctoritate, et Tua, Beatissime Pater, fruebantur, quorum nomina haec sunt,

B. *Leonardus a Portu Mauritio*...

B. *Josaphat Kuncewich*, Archiep. Polocensis et Ruthensis Martyr ex Ord. S. Basilii M.

B. *Paulus a Cruce*... nos quoque in communem omnium Patrum sententiam imus, hos confessores, Virginesque, de quorum heroicis virtutibus, deque prodigiis per eos, divina operante gratia patratis luculentissime constat, dignos esse qui supremis caelorum honoribus, cum caeteris Gorcomiensibus Martyribus, solemni canonizatione honestentur, talique modo in servis suis glorificetur Deus: ipsi autem, dum Ecclesia a perditissimis hominibus pessime divexatur, omnique machinatione impetitur, enixis precibus impetrent, ut dissipentur inimici ejus, teque ad multos annos ut nobis frui contingat, Beatissime Pater, ad cuius nuntum omnes pene catholici orbis Antistites, quamplurimi ex clero, innumeraeque christianae plebis multitudo Romae ex dissitis regionibus confluxere, omnesque inexplebili affectu ad tuos pedes provoluti, tua

sanctissima suavissimaque verba sibi avidis auribus imbibentes, Tuamque Apostolicam benedictionem ferventi corde excipientes, devoti dignitati auctoritatisque tuae supremae, illud impudentissimum mendacium, Pontificatum Romanum extinctum iam esse, in dedecus potestatis tenebrarum miris modis exprobravere. Euge Pater! Vivat Deus! exultent Sancti! augeatur in dies, triumphet Ecclesia!

✠ Henricus Bindi Episc. Pistorien, et Patren.

D. BARTOLINI, II, 261-2.

559.

JOSEPHUS, EP. SANTANDERIENSIS

Si imbecillitati meae consulerem, potius tacere debuisssem, quam vel unam syllabam proferre auderem de re gravissima merito Vestro supremo iudicio reservata. Sed, votis Sanctitatis Vestrae obsequentissime parens, dicam breviter, quod mea sententia expleta sunt omnia quae juxta sacros canones requiruntur, ut in Sanctorum album referantur Beatus Josaphat Archiepiscopus Polocensis ex ordine Sancti Basilii Magni, Beatus Petrus de Arbues...

Quapropter Sanctitatem Vestram enixe precor, ut ad solemnem Canonizationem praedictorum invictorum Martyrum, Confessorum et Virginum quantocius deveniatur irrefragabili Vestro decreto ad majorem Dei gloriam, roborandamque eorum intercessione et exemplo catholicam fidem et charitatem his lugendis temporibus quibus tanta fraudum varietate vera Christi Ecclesia impetitur, charitasque frigescit, mortalibus rerum terrenarum cupiditate allectis, bonisque caelestibus nunquam perituris oblitis.

Josephus Episcopus Santanderiensis.

D. BARTOLINI, II, 262-66.

560.

F. ZUNNUI, EP. USELLENSIS

In causis Canonizationum Beatorum Josaphat Kuncewich Pontificis; Petri de Arbues, Nicolai Pichii et sociorum martyrum... visis actuum compendiis nobis in Domino persuasum fuit horum Beatorum omnium christianarum virtutum exercitium eum attigisse perfectionis apicem, ut eae undequaque heroicae dici omnino debeant.

Beatus enim Josaphat tanta pro Ecclesiae catholicae unitate, et in agnis pascendis et ovibus Christi Domini redemptoris nostri, romani Pontificis primatu, dimicavit omnis rationis ardore, ut impiorum gladiis occumbere non dubitaverit, dummodo schismatis sectatores ad ecclesiae romanae unitatem reduceret.

Ne ullum autem de ejus Martyrii causa dubium oriretur, qui graecam cum latina suo sanguine univit Ecclesiam, Christus Dominus servi sui sanctitatem publico miraculorum testimonio probatam voluit.

Josaphati siquidem intercessione et Petrus Deucherus Consul Polocensis visum, et Marina foemina gressum recuperarunt.

Quam praeter caeteras in mirabili effervescentiae et multiplicationis sanguinis jam exsiccati e lateritio Ecclesiae erumpentis eventu. ut Beati Petri de Arbues sanctitas comprobaretur, tenuit Deus providentiam...

Quae quum ita sint de voto nostro in hisce Canonizationum causis quaesiti, plurimum in Domino jucundamur. Altarium honores omnibus hisce Beatis a Summo Pontifice omnis veritatis et sanctitatis magistro, in quo est omnis potestatis et principatus plenitudo, his praecipue temporibus decerni, quibus, quae horum Beatorum vita et miraculis adstruuntur veritates et virtutes, eadem a filiis Belial denegantur, et contemnuntur.

✧ Franciscus Zunnui Casula Episc. Usellensis
et Terralbensis in Sardinia.

D. BARTOLINI, II, 266.

561.

FRANCISCUS, EP. VALENTINEN.

Perlectis attente ad me missis et accurate examinatis compendiis vitae, virtutum et miraculorum, necnon actorum in causa Canonizationis

1. Beatorum XIX martyrum Gorcomiensium,

4. Beati Josaphat Kuncevic, ut per supremam Pontificis Maximi sententiam sollemnis Canonizatio habeatur, et hisce religionis christianaе heroibus Sanctorum Caelitum honores decernantur enixe et humillime deosco.

✧ Franciscus Episcopus Valentinensis in Gallia.

Ex communicatis causis pro Canonizatione Sanctorum, scilicet :

Beati Josaphat Kuncevic Archiepiscopi, Beatorum Petri de Arbues, Nicolai Pichii cum octodecim ejus sociis... horum omnium Sanctorum fides heroica, vita caelestis, omnes virtutes perfectae, et patrata miracula resplenduerunt, quibusque positis et attentis, si Vestrae Sanctitati placuerit, sentio et precor quod hi omnes Beati in Sanctorum album ad majorem Dei gloriam et ecclesiae catholicae exaltationem auctoritate Apostolica cooptentur.

✧ Ludovicus Delcussy Episcopus Vivariensis.

562.

Cum Reverendissimi Cardinales suas exposuissent sententias singula ego scripta ab eorum sumebam manibus. Interim juxta Methodi praescriptum Reverendissimi Patriarchae, Primates, et sex seniores tum Archiepiscopi tum Episcopi perbreve edicebant sententiam; reliqui vero Antistites, ob magnam eorum frequentiam, ex ordine respondebant PLACET, suumque quisque scriptum vel mihi vel Apostolicarum Caeremoniarum Magistris tradebat.

Postremum dixerat Pontifex Maximus verbum, et D. Joseph Vassalli pro D. Procuratore Generali Fisci Pontificii Protonotarios Apostolicos hisce compellavit verbis:

Ego Joseph Vassalli SS.mi D. N. et Camerae Apostolicae Commissarius generalis vice ac nomine Petri Bertini, Procuratoris Fiscalis, rogo vos omnes Protonotarios Apostolicos hic praesentes ut de sententiis, consilio et unanimi consensu E.morum et R.morum S. R. E. Cardinalium, nec non R.morum Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, deque Summi Pontificis oratione ac deliberatione praehabitis super solemni Canonizatione Beatorum Martyrum *Josaphat Kunceovich* Archiepiscopi Polocensis, *Petri de Arbues* Canonici regularis, et *Nicolai Pichii* cum octodecim sociis ex utroque Clero, ac diversis Regularium familiis, unum vel plura instrumenta publica conficiatis ad servandam tantae rei memoriam.

Respondit R. P. D. Lucas Pacifici Protonotariorum Apostolicorum Senior pro Praesulibus Collegis suis *Conficiemus*, testesque gestorum adhibuit, qui circa solium stabant, dicens *Vobis testibus*. Summus Pontifex e Solio surgens, et adstantes signo crucis muniens Sacellum Paullinum sacras depositurus vestes repetiit. Protonotarii Apostolici autem Consistorialem solemnitatem in acta retulere.

Post semipublica Consistorialia Comitia, indictamque a Pontifice Maximo in diem XXIX Junii Principum Apostolorum Natalem Canonizationis solemnitatem, nil aliud mihi, aliisque ad quos id pertinebat, optandum supererat, quam ut ab operariorum multitudine Basilicae Vaticanae ornatui finis imponeretur. Voto res cessit.

Interea eadem die XIV Junii Reverendissimus Cardinalis Constantinus Patrizi Sanctissimi Domini Nostri in Urbe Vice Sacra Antistes Monitum per Urbis compita affigi jussit, quo christifideles ad sacras novendiales preces in templis fundendas invitabantur, ut purificatis mentibus diem Apostolorum festum, atque immortalem novorum Caelitum gloriam pie sancteque recolerent. Et quoniam Ecclesiae Catholicae benignitas dum fidelium mentes religiosis fovet institutionibus, salubre quoque corporibus levamen non denegat, ita in eodem denunciatum est Monito Summum Pontificem ad augendam tantae festivitatis laetitiam, licet esset Sabbatum, carnibus vesci omnibus gratiam fecisse.

563.

Romae, 21 . VI . 1867.

Sollemnitas canonizationis paratur.

D. BARTOLINI, II, 273-4.

DISPOSIZIONI

PER LA PROCESSIONE E PEL SUONO DELLE CAMPANE
NELLA SOLENNE CANONIZZAZIONE IL 29 GIUGNO 1867.

*COSTANTINO PER LA MISERICORDIA DI DIO
VESCOVO DI PORTO E S. RUFINA
DELLA S. R. C. CARD. PATRIZI,*

*DELLA SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE VICARIO GENERALE,
DELLA ROMANA CURIA
E SUO DISTRETTO GIUDICE ORDINARIO EC. EC.*

Il Clero Regolare si adunerà nel luogo solito, come nella Processione del *Corpus Domini*, alle ore 6 antimeridiane.

Il Clero Secolare si adunerà anch'esso nell'indicata ora coll'ordine seguente.

I Capitoli delle Patriarcali di S. Giovanni in Laterano, e di S. Maria Maggiore si raduneranno nella Sala detta dei Paramenti coll'ingresso al numero 4 della prima Loggia, che è sopra il Cortile di S. Damaso.

Lo stesso ingresso servirà pure al Seminario Romano che dovrà vestirsi nella Galleria contigua alla menzionata sala.

I Capitoli delle altre Basiliche si vestiranno nella Sala, che precede quella de' Paramenti coll'ingresso al Num. 3.

I Capitoli delle Collegiate, ed il Collegio dei Parrochi si vestiranno nella parte superiore della Sala Ducale coll'ingresso al Numero 2 della suddetta Loggia.

Giunta che sarà l'ora, tutto il Clero Secolare e Regolare per discendere nella Galleria di Costantino ove si ordina la Processione, passerà per la Scala del Museo, Cortile di S. Damasco, e la Scala nuova.

La Processione uscirà dalla Porta Maggiore del Palazzo Apostolico, volgerà subito a destra, e traversando in linea retta la Piazza del Vaticano, raggiungerà l'altra Galleria di Carlo Magno per procedere alla Basilica.

Principiando dagli Orfani, fino a tutte le Corporazioni, Regolari Mendicanti, traversata che avranno la Piazza di S. Pietro, ed entrate nella seconda Galleria, proseguiranno tutte interamente in ordine di processione fino alla porta Maggiore della Basilica; ed arrivate a questo punto procederanno innanzi nella seconda parte del Portico, schierandosi in tante file una avanti l'altra, nel modo che verrà loro indicato da' Ceremonieri Pontificii.

Il resto poi del Clero Regolare, che principia da' Monaci, e quella parte del Clero Regolare che procede appresso la medesima Croce, giunta alla detta Galleria, dividendosi da ambe le parti colle loro Croci, staranno schierati fino a verso la porta principale della menzionata Basilica, aspettando il passaggio di SUA SANTITA'.

I Capitoli delle Basiliche minori senza il Padiglione, ed i Capitoli delle Patriarcali col Padiglione entreranno in Chiesa dividendosi similmente in due ali dalla porta fino alla linea delle due Statue di S. Vin-

cenzo De' Paoli, e di S. Camillo, aspettando come sopra l'arrivo di SUA BEATITUDINE.

Tutto il Clero Secolare e Regolare porterà la Candela accesa, che verrà somministrata dai Ministri delle Postulazioni, e canterà o reciterà durante la Processione le Preci ordinate da SUA SANTITA', le quali in apposito libretto saranno distribuite.

Al segno del Cannone di Castel S. Angelo e delle Campane del Campidoglio, si dovranno far suonare le Campane di tutte le Chiese di Roma per lo spazio di un'ora, ed i Superiori delle rispettive Chiese sono incaricati dell'adempimento di questo ordine.

Dato dalla Nostra Residenza li 21 Giugno 1867.

C. CARD. VICARIO

Vincenzo Canonico Martini Segretario

564.

Romae, 25 . VI . 1867.

Paratur sollemnitas Canonizationis.

D. BARTOLINI II, 275-277.

Deinceps Summus Pontifex aeternae fidelium salutis paterni amoris, ut innumerae tum civium, tum exterorum multitudines, quae pietatis, atque insolitae celebratis studio ad Canonizationis solemnitatem confluerat, spiritualem quoque fructum concederet, Indulgentiam Plenariam per Edictum Cardinalis Vice Sua in Urbe fungentis promulgari mandavit.

INVITO SACRO PER LA SOLENNE CANONIZZAZIONE
COSTANTINO per la Misericordia di Dio Vescovo di Porto e S. Rufina
 della S. R. C. CARD. PATRIZI,
 Arciprete della Patriarcale Basilica Liberiana,
 della SANTA' DI NOSTRO SIGNORE Vicario Generale,
 della Romana Curia e suo Distretto Giudice Ordinario ec. ec.

Il 29 di Giugno sarà di quest'anno il giorno più memorabile ne' fasti di Roma Pontificale, per il doppio titolo di religiosa esultanza: il DICIOTTESIMO CENTENARIO del trionfale Martirio de' SS. APOSTOLI PIETRO E PAOLO, e la solenne CANONIZZAZIONE DI VENTICINQUE BEATI. Roma pagana disconobbe colla vera religione la vera virtù, e ne pose a morte i due primi Campioni. Roma cristiana di conserto agli onori diciotto volte secolari, che ad ambo i PRINCIPI DEGLI APOSTOLI tributa con tutto il mondo fedele, esalta, PER GIUDIZIO APOSTOLICO, ALTRI EROI, che figli della stessa fede, parteciparono in varia forma alla stessa grazia di santità!

Al dovizioso apparato della Patriarcale Basilica Vaticana è per rispondere ancora la maestà delle sacre funzioni costituenti la duplice Festa.

L'apriranno i soliti Vesperi Papali della Vigilia.

Nella mattina della Solennità alle sette incirca avrà luogo dapprima la Processione che inaugura l'onore de' nuovi Santi; poi, eseguendo nella Basilica Vaticana tutto il resto dello splendido rito della Santificazione, IL SANTO PADRE canterà la Messa solenne.

Il R.mo Capitolo Vaticano compirà le glorie del giorno co' secondi Vesperi.

Frattanto allo sparo del Cannone dal Castel S. Angelo, e al suono delle Campane del Campidoglio tutte le Chiese di Roma, com'è solito farsi in tal circostanza, suoneranno a festa per un'ora affine di annunziare nel compiuto esaltamento de' Servi di Dio nuove cagioni di cristiana allegrezza.

Perchè nulla manchi in un'azione sì grande della Santa Sede allo spirituale vantaggio della moltitudine dei Fedeli che piamente vi accorre, la Santità di Nostro Signore PIO PAPA IX concede la Indulgenza Plenaria, con remissione di tutti i peccati, a tutti i Fedeli indistintamente, che pentiti, confessati e comunicati, o con proposito almeno di comunicarsi nella seguente settimana, interverranno alla cerimonia della Canonizzazione, o alla Processione che la precede, o visiteranno in quel giorno la Basilica Vaticana.

La stessa Indulgenza Plenaria concede SUA SANTITÀ' a tutte quelle persone che convivono in Monasteri di clausura, o in Conservatorî, ed altri pii Luoghi od Istituti di Roma, come ancora agl'infermi, ai racchiusi in prigione, ed a quanti fossero per qualunque modo legittimamente impediti; purchè abbiano ricevuto i Santi Sacramenti della penitenza e della eucaristia, ed allo sparo del Cannone, ed al suono del Campidoglio, genuflessi, o in quell'atteggiamento divoto, che sarà loro possibile, recitino tre Pater, Ave, e Gloria ad ossequio della SS.ma Trinità, e in ringraziamento del bene, che alla cattolica Chiesa risulta dall'accrescersi il novero glorioso dei Santi.

Romani! Non vi diremo soltanto: emulate la pietà di tanti stranieri fratelli qua convenuti in questa occasione da ogni parte dell'Orbe; ma, nell'accorrere all'Apostolico atto, siate voi stessi il primo esempio di fede e pietà nel momento che posano su di voi gli sguardi dell'universo!

Dato dalla nostra Residenza li 25 Giugno 1867.

C. CARD. VICARIO

Vincenzo Canonico Martini Segretario

565.

D. BARTOLINI, *op. cit.*, II, pag. 277-281.

Verum auspicatissima instabat dies, et ut sacra Rituum pompa recte procederet, R. P. D. Aloisius Ferrari Apostolicis Caeremoniis Praefectus diligentia rerumque liturgicarum peritia nulli secundus hujusmodi Schedam, normamque ducendi Supplicationem Reverendissimis Cardinalibus, ac Venerandis Antistitibus per Cursores Pontificios distribuit:

*INTIMATIO PER CURSORES FACIENDA, DOMI QUOQUE
DIMISSO EXEMPLARI.*

Feria VI die vigesima octava Junii 1867 in pervigilio SS. Apostolorum Petri, et Pauli almae Urbis Patronorum principalium *hora quinta cum dimidio* solemnes Vesperas SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER in basilica vaticana celebrabit, ad quam e superiori aula de more descendet.

E.mi, et R.mi DD. Cardinales vestibibus *rubris* induti cum calceis *rubris*, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates generales, et Poenitentiarum memoratae basilicae sacra assument paramenta *rubri* coloris in aula ducali.

E.mi ac R.mi DD. convenient in aulam paramentorum, ibique adventum SUMMI PONTIFICIS expectabunt, ex qua SANCTITATEM SUAM comitantes ad basilicam praefatam accedent, et Vesperis ac benedictioni sacrorum Palliorum adsistent.

Sequenti vero die vigesima nona, Festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sanctissimus Dominus Noster PIUS PAPA IX *hora septima ante meridiem* in Apostolici vaticani sacrarii aulam descendet. Ibi sacris vestibibus indutus ad sacellum Sixti IV perget, initium sacrae actioni peragendae daturus; et deinde ab utroque Clero Urbis in modum supplicationis disposito exceptus, deferetur e sacello praedicto in basilicam vaticanam, in qua Canonizationis sollemnia explebit adscribendo inter Sanctos, Deo inspirante, Beatos Josaphat Kunceovich Archiepiscopum, Petrum de Arbues, Nicolaum Pichium cum octodecim ejus Sociis, Paulum a Cruce, Leonardum a Portu Mauritio, Mariam Franciscam a Vulneribus D. N. J. C., et Germanam Cousin.

E.mi, et R.mi DD. Cardinales *vestibus et caligis rubris* induti per viam nuncupatam *di Borgo Pio* (quam et omnes Antistites tenebunt) palatium vaticanum petent, et per atrium vulgo *di Belvedere* superius ascendent. In aula regia vestes sacras *rubri coloris* unicuique Ordini proprias assument cum mitris serico damascenis, et sic induti in sacello Sixtino praedicto SUMMI PONTIFICIS adventum expectabunt.

R.mi DD. Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, et Abbates generales amictu, pluviali *rubri coloris*, et mitra simplici ex lino, necnon

Poenitentiarii basilicae vaticanae planetis rubris induti in aula ducali, in sacellum praefatum convenient.

Protonotarii cappas, Auditores Rotae, Clerici Camerae, Votantes Signaturae Justitiae, et Abbreviatores de parco majori, superpelliceum supra rocchettum: Advocati consistoriales consuetae vestes violaceas cum capitiis assument, et in sacellum Paulinum convenient, exceptis duobus Protonotariis Apostolicis, tribus S. R. Rotae Auditoribus, ac tribus Signaturae Votantibus, qui recto tramite petent sacrarium sacelli Sixtini. Septem candelabra ab Acolythis deferenda, extra januam praefati sacelli erunt parata.

SUMMUS PONTIFEX intonato in enunciato sacello hymno « *Ave maris stella* » et sella gestatoria conscensa, postquam tres cereos ab Eminentissimo D. Cardinali Patrizi Canonizationis Procuratore acceperit, consueto supplicationis ritu, minorem ex cereis sinistra deferens, praeeruntibus Eminentissimis Patribus, caeterisque prout de more, omnibus manu cereum accensum gestantibus, et preces recitantibus, in basilicam vaticanam evehetur.

Cum autem SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER suis Apostolicis litteris in forma Brevis datis die 17 vertentis mensis Junii omnes Sacro- dum Antistites tam solemni Canonizationi praesentes, qui nondum pontificio solio adistentes renunciati fuere, in collegium idem cooptandos, et hujusmodi honore decorandos esse censuerit; tum in eadem supplicatione ipsi Antistites ita incedant, ut servetur dumtaxat inter eos ordo dignitatis patriarchalis, archiepiscopalis, et episcopalis, atque habita temporis ratione propriae cujusque promotionis. Ex hisce duodecim super solii gradus SANCTISSIMO PATRI adistentiam praestabunt, reliqui vero locum tenebunt in subeselliis sibi paratis, servato ut supra dignitatis et promotionis ordine.

In commemorata solemni supplicatione E.mi DD. Card. praeter Caudatarium secum tantum deferent unum e suis nobilibus familiaribus: R.mis autem Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis permittitur dumtaxat unus cappellanus.

In basilica vaticana Sanctissimum Sacramentum adorabunt: tum ad aram maximam accedent, ubi sacrae actioni solemnis Canonizationis praedictorum Beatorum per SANCTITATEM SUAM explendae, et deinde Missae consueto pontificali ritu per Eamdem celebrandae intererunt. Post evangelium SUMMUS PONTIFEX habebit homiliam, qua absoluta, solemnem populo benedictionem impertiet, et Cardinalis Episcopus adstans plenariam indulgentiam promulgabit.

E.mi et R.mi DD. Cardinales Congregationi Sac. Rituum praepo-

siti, lecto offertorio, oblationes a duobus nobilibus eorum familiaribus delatas SANCTITATI SUAE, ut ritus fert, praesentabunt.

Festi ignes et luminaria, ut moris est, sub nocte ejusdem diei et sequentis fient in peractae Canonizationis laetitiam.

Intimentur ideo omnes et singuli E.mi, et R.mi DD. Cardinales, R.mi Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi in Urbe praesentes, Abbates generales in Cappella locum habentes, Poenitentiarii basilicae vaticanae, Vice-Camerarius, Princeps Solii, Auditor et Thesaurarius R. C. A., Antistes Pontificiae domui praepositus, Protonotarii Apostolici, Generales Ordinum Mendicantium, Senator et Conservatores Urbis, Magister S. Hospitii, Auditores Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae Justitiae, Abbreviatores, Secretarius literarum Apostolicarum *ad principes*, caeterique intimari soliti.

Decanus Acolythorum Votantium Signaturae Justitiae moneat viginti Referendarios, ut ex his sexdecim induti veste violacea cum rocchetto et mantelletto praesto sint ad substinendum vicissim super SUMMUM PONTIFICEM baldacchinum; reliqui vero cum superpelliceo super rocchettum, Votantium et Abbreviatorum deficiente numero, eorum vices gerent in officio Acolythorum.

De Mandato SSmi D. N. PAPAE

Aloisius Ferrari Proton. Apost. Caerem. Praefectus

566.

Romae, 29 . VI . 1867.

Descriptio sollemnitatis canonizationis.

BARTOLINI D., *Commentarium Actorum omnium...*, vol. II, pag. 281-287, 299-317.

Die XXVIII Junii post meridiano tempore Sanctissimus Dominus Pontificalibus amictus ornamentis et sella gestatoria considens, comitantibus Reverendissimis Cardinalibus, Antistitibus, caeterisque quibus Sacris hisce Solemniis interesse fas est, ab aula Ducali per gradus scalae Berninianae descendens, Vaticanam Basilicam ingressus est ut Vesperarum psalmis decantatis, ad Aram Divi Petri sepulcro superpositam thura incenderet.

Tandem lux illa decora quae jam romuleum pervaserat solum Apostolorum sanguine conspersum, diem hunc beatum novis irrigavit ignibus; et quae olim moerore pallescens Neronis saevitiam exhorruit, nunc post octavum decimum saeculum Pium Pontificem Maximum salutarem ad sepulcrum Coeli Janitoris Hostiam litantem, atque immarcescibiles christianae fidei Heroibus coronas largientem micanti circumdat fulgore, et communi perfunditur gaudio. Cum uterque Clerus a Viatoribus Curiae Reverendissimi Cardinalis Summi Pontificis in Urbe vice sacra fungentis ad instituendam Supplicationem advocaretur, Sanctissimus Dominus in Sacratio Sacelli Sixti IV sacras multoque auro intextas rubri coloris vestes induit; scilicet Amictum, Albam, ad cujus ora reticulum miro belgico opere elaboratum attexebatur, Cingulum, Stolam, magnumque Pluviale quod Pontificiam Trabeam vocant; ejusque capiti Tiara tribus coronis distincta gemmisque radians imposita est. Mox ad Sacellum Sixtinum venit, et ante faldistorium submissis genibus paulisper oravit; inde stans Hymni Deiparae primum cecinit versiculum *Ave Maris Stella*, et iterum genua submisit dum Schola Cantorum stropham prosequeretur. Postea surgens, et sellam gestatoriam conscendens, mitra ornatus, praetento sinistra

manu cereo accenso, dexteraque super populum crucis signo fausta adprecans rubrum sub tentorium phrygio deaurato opere fulgens exceptus est, atque sacrum Supplicationis clausit agmen.

Solemnis haec Supplicatio a Palatio Vaticano institui coepit, inde per fores aeneas in maximum Basilicae S. Petri forum contendit, ubi se liberior explicans ad obversam Porticum quae a Carolo Magno nomen habet gressum fecit. Illuc Urbis Clerus ac Religiosorum hominum Familiae hinc inde in aciem positi opperiebantur Summum Pontificem, et Vexilla Beatorum, quibus Caelitum honores decernendi erant. Pedestres militum copiae ab utroque latere dispositae irruentem turbam, ne rectum inturbaret ordinem, submovebant, expeditamque viam augustae pompae ad Basilicam eunti parabant.

Ordo vero in solemnī Supplicatione servatus, quemque Sanctitatis Suae mandato R.P.D. Apostolicis Caeremoniis Praefectus indixerat, fuit prout sequitur.

Singuli ad utrumque pertinentes Clerum bini incedebant cereos accensos prae manibus tenentes, sacrasque fundentes preces, quas Lector deinceps relatas habebit.

Anteibant Alumni Orphanotrophii Urbis.

Sodales a Poenitentia nuncupati.

Sodales Augustiniani excalceati.

Sodales Franciscuales Capulati.

Sodales Calceati Mercedarii a redemptione captivorum.

Sodales Congregationis B. Petri a Pisis.

Sodales Franciscuales Paullani Minimi.

Sodales Franciscuales Tertiarii.

Sodales Franciscuales a Conventu.

Sodales omnes Ord. Minor. Franciscalium veteris Observantiae.

Eremitae Augustiniani calceati.

Sodales Servi Deiparae.

Sodales Dominiciani Praedicatores.

Post Mendicantium Familias procedebant Monachorum Coetus scilicet :

| | | |
|----------------------------|---|----------------------------------|
| ex Ordine Sancti Benedicti | } | Olivetani |
| Monachi | | Cistercienses |
| | | Gualbertiani seu Vallis Umbrosae |
| | | Camaldulenses |
| | | Cassinenses |

Canonici Regulares Lateranenses a D. N. Jesu Christo Salvatore.

Sequebatur praecedente Cruce Clerus Saecularis :

Clerici Seminarii Romani.

Rectores Paroeciarum Urbis.

Canonici et Beneficiarii Ecclesiarum Collegialium :

S. Hieronymi Illyricorum.

S. Anastasiae.

SS. Celsi et Juliani.

S. Angeli in summo Circo.

S. Eustachii.

S. Mariae ad Viam Latam.

S. Nicolai Miraensis ad Carcerem Tullianum.

S. Marci ad Pallacinas.

S. Mariae ad Martyres.

Curator Cleri Romani digniori incedebat loco.

Deinde praeceuntibus tintinnabulis et umbellis elatisque Crucibus progrediebatur Basilicarum Urbis minorum Clerus, nempe:

Canonici ac Beneficiarii

S. Mariae Dominae Nostrae Coeli Reginae.

S. Mariae Cosmedianae.

S. Laurentii in Damaso.

S. Mariae Transtiberinae.

Veniebant postrema Collegia Canonicorum et Beneficiorum qui sacra obeunt munera in Basilicis Patriarchalibus Liberiana nempe, Vaticana, et Lateranensi Archibasilica Christi Servatoris, quae omnium Urbis et Orbis Ecclesiarum Primatum tenet. Mox procedebat, sua comitante Curia, Antistes suffectus Cardinali vicaria Summi Pontificis potestate in Urbe perfungenti.

Subinde incedebant Consultores Congregationis Sacris tuendis Ritibus praepositae, ejusque Praesules Officiales.

Hinc in aciem instructi sex gradiebantur Presbyteri Archidioecesis Tolosanae superpelliceo induti accensaque funalia ad pectus elata gestantes.

Vexillum prodibat Beatae Germanae Cousin Virginis Saecularis oppidi Pibrac ejusdem Tolosanae Dioeceseos, quod sex laici Sodales Archisodalitii divinae Eucharistiae cultui addicti in Paroecia S. Mariae in Via sustentabant.

Quatuor Presbyteri e praefata Archidioecesi electi amictu linteo induti oblongos funes sericos transversae Vexilli hastae alligatos manibus attollebant.

Sex prosequiebantur Sodales Franciscuales excalceati Alcantarenses superpelliceis amicti faces cereas ante pectus deferentes.

Vexillum Beatae Mariae Franciscae a Vulneribus D. N. J. C. Tertiariae Professae Franciscalis excalceatae ejusdem Alcantarensis Familiae, quod a sex Archisodalitio Stigmaticiano S. Francisci Assisiensis adscriptis elevabatur.

Presbyteri quatuor e Neapolitano Clero electi amiculis linteatis superinduti et Eques Torquatus D. Nicolaus Croce Alcantarensium Syndicus nobilium more convestitus sericas restes e Vexillo pendentes sublevabant.

Sex superveniebant Franciscales severioris observantiae S. Bonaventurae Urbis Recessum incolentes superpelliceo itidem induti atque faces attollentes.

Vexillum Beati Leonardi a Portu Mauritio Missionarii Apostolici Franciscalis ejusdem austerioris Coenobii S. Bonaventurae delatum a Sodalibus Archisodalitii Amatorum Jesu et Mariae in Monte Calvario nuncupati.

Alii quatuor Franciscales ordinario tantum habitu induti una cum Excellentissimo Viro Pio Grazioli Manliani Dynaste Causae Syndico trabeato sericos Vexilli funes deferebant.

Sex aequae sequebantur Sodales Congregationis Clericorum exalceatorum a Cruce et Passione D. N. J. C. superpelliceis amicti, atque funalia accensa gestantes.

Vexillum Beati Pauli a Cruce Congregationis ejusdem Institutoris a Sodalibus laicis Archisodalitii Sacrae Eucharistiae colendae in Basilica Vaticana sustentatum. Alii Congregationis a Passione D. N. J. C. Clerici restes sericas a Vexillo pendentes perferebant.

Subsequebantur alii electi ex Clero saeculari, ac diversis Religiosis Familiis ad quas XIX Gorcomienses pertinere Martyres superpelliceis induti facesque deferentes.

Vexillum Beati Nicolai Pichii et Sociorum Martyrum Gorcomiensium suffultum a Sodalibus laicis Archisodalitii ad redimendos captivos antiquitus constituti (vulgo *Gonfalone*).

Funes sericos honoris gratia deferebant nobiles Viri Belgici Joannes de Mulié Beati Nicolai Pieck consanguineus, et Joannes Van Overloop cum duobus Belgicis Sodalibus Franciscalibus severioris observantiae P. Eucherio de Roy et Francisco Vael Clerico qui omnes erant Beati Francisci Rodii consanguinei.

Sex Sodales Mariani Mercedarii superpelliceis circumamicti accensos sublevantes cereos praecedebant.

Vexillum Beati Petri de Arbues Canonici Regularis Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae ex Ordine S. Augustini, quod Vexillarii Sodales Archisodalitii Eucharistiae Sanctissimae in Basilica Liberiana cultu perpetuo prosequendae suffulciebant.

Sericos autem Vexilli torulos sustinebant illustres Viri Hispani Angelus Valero y Algora, Polycarpus Valero, et Raymundus Valero omnes consanguinei Beati Petri de Arbues, una cum altero ex Canonicis ejusdem Metropolitanae Ecclesiae.

Denique procedebant Basiliani Monachi sex Coenobii Cryptoferratensis Ordinis S. Basilii Magni funalia ante pectus elevantes lineisque amictibus superinduti.

Sodales Archisodalitii a quinque Vulneribus D. N. J. C. augustae Eucharistiae cultui in Basilica Damasiana mancipati Vexillum sustentabant Beati Josaphat Kuncewicz Archiepiscopi Polocensis Ruthenorum Martyris ab eadem Monastica S. Basilii Magni Familia.

Quatuor etiam Cryptoferrantenses Coenobitae sericas Vexilli restes deferebant.

Post Beatorum Vexilla eorumque comitatum procedebant interstantem Urbis Clerum nobiliores illorum Ordines qui Pontifici Maximo in Sacrorum Solemnium celebratione adstare solent, nempe :

Nobiles Cubicularii Intimi et Honorarii.

Patroni Sacri Palatii.

Moderator pietatis Familiae Domus Pontificiae una cum Concionatore Apostolico; primus e Sodalibus Deiparae Servis, alter Franciscalis Capulatus.

PP. Procuratores Religiosarum Familiarum.

Aeditui ab intimo Sacello Summi Pontificis Tiaras et Infulas pretiosas Ejusdem deferentes.

Reliqui Aeditui ab intimo Sacello.

Procurator Generalis Fisci una cum Curatore rationum Aerarii Pontificii.

Advocati Sacrae Consistorialis Aulae.

Nobiles Ecclesiastici Viri tum honorarii tum ab intimo cubiculo Pontificis.

Chorus Cantorum Pontificiorum Hymnum *Ave Maris Stella* ad harmoniam canentium.

Praesules Relatores judiciorum recognoscendorum; quos inter Presbyter, Diaconus, et Subdiaconus sacris Pontificiis Solemniis administrantes Canonici primus Lateranensis, alter Vaticanus, tertius Liberianus.

Praesules a Pontificiis Diplomatibus expediendis.

Praesules in Supremum Principis Pontificis consilium vocati ad res judicatas rescindendas, seu Signaturae Justitiae.

XII Praesules Aerarii Pontificii curandi.

XII Praesules Sacri Consilii litibus judicandis, seu S. Romanae Rotae Auditores.

Magister Sacri Palatii Apostolici Sodalis Dominicanus cum juniore S. Rotae Romanae Auditore incedens.

Duo Aeditui ab intimo Sacello Tiaram atque infulam Summi Pontificis usuales gestantes.

Magister Superistes Sacri Hospitii.

Acolythus qui erat Senior ex praesulibus Signaturae Justitiae thuribulum thymiamate odorum agitans.

Subdiaconus Apostolicus alter e Sacrae Rotae Romanae Auditoribus sacra rubra subdiaconali tunica indutus pontificiam attollens Crucem, incedensque septem inter Acolythos Praesules Signaturae Justitiae aureata praeferentes candelabra cum cereis accensis aureisque fasciis circumlineatis.

Sequebantur Subdiaconum duo Magistri Ostiarii de virga rubea.

Subdiaconus Apostolicus Sacro Solemni administraturus alter quoque S. Romanae Rotae Auditor pulcherrima subdiaconali tunica ex serico rasili rubro phrygio opere superinducto contextus, medius inter Diaconum, et Ippodiam Graecos tunicis proprii ritus circumtectos.

Poenitentarii Franciscuales a Conventu qui in Vaticana Basilica fidelium confessiones excipiunt Sacra damascena casula rubri coloris induti, quos praecedebant duo clerici linteati virgas florum fasciis ornatas sustinentes.

Abbatum infaluti quos inter Praesul Praeceptor Magni Xenodochii Sancti Spiritus.

Episcopi et Archiepiscopi.

Primates et Patriarchae omnes lineis infulis ornati, ac sacris penulis rubris tecti.

Qui autem erant Graeci, Armëni, Syriaci, Maronitae, Caldae, et Copti sacris ac ornatissimis cooperiebantur vestibus proprii ritus, Romanumque Pontificem supremum Ecclesiae universae Hierarcham venustissima ac mirabili circumdabant varietate.

Amplissimus denique procedebat Sanctae Romanae Ecclesiae Senatus, Diaconi, Presbyteri, et Episcopi Cardinales, primi Dalmatica, alteri sacerdotali Casula, tertii Penula amiciebantur; quae sacrae vestes rubrae ex auro textili elaboratae erant, ac ditissimo opere phrygio distinguebantur.

Sequebantur togati Senator ac Viri R. P. C.

Reverendissimus P. D. Praesul Urbis Praefectus, cui erat a sinistris Exellentissimus Princeps Stator proximus a solio.

Duo Praesules Protonotarii Apostolici e numero Beneficiorum quibus erat munus fimbriam sirmatis anteriorem elevandi dum Summus Pontifex pedes incederet.

Duo Diaconi Cardinales Pontifici adstantes, mediumque habentes Cardinalem Diaconum in Solemni Sacro administraturum, nobili ornatum Dalmatica Tunicae Subdiaconi Epistolam cantaturi simili.

Seniores duo Caeremoniarum Magistri Pontifici inservientes.

Demum PONTIFEX MAXIMUS Beatissimi Petri Successor, Chri-

sti in terris Vicarius, Supremus Ecclesiae Magister, et Pastor christiani gregis, prout superius descriptum est summa procedebat majestate.

Nobiles Equites Pontificis corporis custodes ab utroque incedebant latere, praecedentibus eorum Ducibus.

Duo nobiles intimi a cubiculo substantes Flabella.

Servientes armorum hinc inde.

Senior e S. Rotae Romanae Auditoribus Infulae Pontificiae Minister medius inter duos nobiles intimos a cubiculo, quorum cura erat deferendi posteriores sirmatis et penulae oras.

Cantores Pontificii selecti ad suaviorem harmoniam hymnos concinentes.

Reverendissimus P. D. Antistes Maximus Curiae Innocentianae.

Reverendissimus P. D. Praefectus Aerari Pontificii.

Reverendissimus P. D. Pontificiae Domus Praepositus.

Praesules Protonotarii Apostolici tum Beneficiarii tum ceteri supra eorum numerum.

Omnium postremi summi Familiarum Regularium Moderatores procedebant.

* * *

Cum autem Summus Pontifex tanta decorus dignitate sacrum attigisset Templi Vaticani limen, illico caelestis Urbis Jerusalem beata ei prae oculis occurrit visio, sponsae enim ritu Basilica haec formosissima nuptialibus se cinxerat vestibus, et undique splendoribus ceu margaritis emicabat.

Lubet modo nobilissimum hunc Vaticanæ Basilicæ ornatum paucis exprimere, quem lector etiam in adjecta cromolithographica tabula conspicere poterit.

Id mente assequi voluit Eques Fontana Architectus ut Templi parietum decoramentum tholo et testudini nimio auro fulgentibus apprime congrueret. Proindeque super ingentium pilarum strias a capitulis usque ad bases aureae inductae erant taeniae, quae tamen infra rubris etiam fasciis distinguebantur: ex capitulorum cauliculis florumserta pendeabant; florumqueserta et corollae aureis cum stellis totidem superponebantur areolis vel inauratis vel caeruleis, quae spatia inter pilas decorabant. Superiores loculi statuas excipiebant Sanctorum Pontificum in Basilica Vaticana quiescentium a Ferdinando Raimondi ita efformatas, ut statuis marmoreis in inferioribus sitis loculis assimiles viderentur. In ampla caerulea subter coronam zona evangelicae legebantur de Divo



IMAGO S. JOSAPHAT TEMPORE CANONIZATIONIS
ОБРАЗ СВ. ЙОСАФАТА З ЧАСІВ КАНОНІЗАЦІЇ

Petro sententiae litteris aureis inscriptae quas ego, volente Architecto, proposui (a).

Insuper per universum Templi ambitum cerea pene innumera colucebant lumina miro aptoque ordine disposita vel in coronariis crystallinis lampadibus pendentia; vel ad statuarum loculos antefixa; vel in encarpis ad similitudinem florum colligata super totius aedificii ac tholi coronam, vel in magnificis infixae candelabris ab Alberto Galli affabre elaboratis, quae ante maximas ejusdem tholi pilas prostabant. Quod vero ad Principis Apostolorum Martyrium commemorandum Summus Pontifex per me Architecto faciendum innuit, illud defixis spectatores oculis intuebantur: nempe praegrande Triregnum clavibus impositum ex quo inversa pendebat crux extremum Divi Petri supplicium; quae omnia limpidissimis globulis crystallinis luminibusque intextis opere admirabili a Jacobo Moretti elaborata a summa testudine in mediam Basilicae Aulam pendebant.

Nunc operae pretium est ut prodigia in Vexillis expressa et Epigraphes eadem indicantes depromam.

Intra magnos quatuordecim utriusquae Aulae, medianae scilicet et transversae, fornices rubra serica explicabantur vela aureis conspersa stellis, quaeque et aureus obibat limbus. Ante vela erant Vexilla auratis appensa restibus, auratisque exornata lemniscis, quae prodigia exprimebant a Dei virtute Beatorum interventu patrata, quorum gratia iisdem Beatis Caelitum decernebantur honores. Epigraphes ad prodigiorum gestorumque elucidationem inscripta erant a clarissimis viris R. D. Felice Giannelli Sacrorum Rituum Congregationis Hymnographo, R. D. Carolo Nocella in Seminario Romano Eloquentiae Professore, et R. P. Francisco Tongiorgi e Societate Jesu in Lyceo Gregoriano Sacrae Archeologiae Antecessore.

In Vexillo quod internae principi supereminebat Basilicae januae Prosper Piatti juvenis quidem sed pictor valde praestans expressit, quod ei subjeci argumentum, videlicet christifideles ex toto terrarum Orbe ad Apostolorum Limina peregrinantes.

Epigraphes erat:

(a) Simon vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. — Dixit Petrus: Tu es Christus Filius Dei vivi. — Jesus dixit ei: beatus es Simon Bar Jona. — Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. — Et portae inferi non praevalerunt adversus eam. — Et tibi dabo claves Regni coelorum. — Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis. — Et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis. — Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua. — Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. — Simon Joannis diligis me plus his? — Simon dicit ei: Domine tu scis quia amo te. — Dixit Jesus: pascere agnos meos, pascere oves meas.

APOSTOLICA . SEPVL CRA
 CHRISTIANORVM . EX . OMNI . SAECVLO
 ET . REGIONE . HOMINVM
 FREQVENTIA . CELEBRANTVR
 QVAM . PIETATEM . A . MAIORIBVS
 HAEREDITATE . ACCEPTAM
 O . CIVES . O . CATHOLICAE . GENTES
 NEPOTIBVS . INTEGRAM
 AMPLIFICATAMQVE . TRADAMVS

Eminentiore supra eandem januam locum praegrande occupabat Summi Pontificis Stemma, quod pueri aligeri volitantes sustinebant. Inter stelas super minores hinc inde Basilicae januas lectoris oculis hae duo obversabantur inscriptiones a R. D. Felice Profili S. Anastasiae Canonico et Seminarii Romani Praeside exaratae, florumque redimitae coronis :

MAGNI . SACRORVM . ANTISTITES
 PETRO
 PER . PIVM . IX . LOQVENTE
 FREQVENTES . HVC . ACCESSISTIS
 VNDE . SACERDOTALIS . VNITAS
 ET . SALVS . PENDET . ECCLESIAE
 MACTI . ANIMO . ESTOTE
 FIDEI . ET . MORVM . VINDICES
 VESTRA . IN . VATICANO . FREQVENTIA
 IMPIOS . PERTVRBAT
 INFERNAS . PROFLIGAT . PHALANGES

QVISQVIS . INGREDERIS . TEMPLVM
 SISTE . PEDEM
 HEIC . TRIVMPHALIS . VIAE
 PERSPICVVM . TROPHAEVM
 QVOD . IVGIS . VATICANIS . IMPOSITVM
 FIDEI . HOSTES . PERDIDIT . PROTRIVIT
 HIC . PISCATORIS . CINERES
 TOTIVS . ORBIS . VENERATIONE
 AB . AEVO . CELEBRATI
 HVMI . ANTE . EOS . PROCVMBE

Primum Vexillum e fornicibus medianae Aulae pendens ad ingredientium dexteram et ab Henrico Bartolomei depictum referebat prodigiosam sanationem, quam Caietano Abbondanza S. Mariae Franciscae a Vulneribus D. N. J. interventus a Deo obtinuit.

Epigraphes :

MARIAE . FRANCISCAE
 A . VVLNERIBVS . CHRISTI . D .
 SEDE . INSIDET . FIDENTER
 CAIETANVS . ABBONDANZA
 MORBO . TETERRIMO . QVO . GRAVITER
 AFFLICTABATVR . ILLICO . RECREATVS
 SANVS . ET . SALVVS . ASSVRGIT

(*Hic describuntur aliae picturae de miraculis Sanctorum, quas brevitas causa omisimus: Cfr. pp. 301-304, vol. II, ed. D. Bartolini*).

In quatuor quae ab ingentibus tholi pilis prominent podiis totidem appendebantur Vexilla. In horum primo ad dexteram Antonius Benini eleganter illud expresserat prodigium quo S. Petri Arbuesii sanguis e loco caedis in Cathedrali Ecclesia Caesaraugustana erumpens, super pavimentum diffusus est, ebullivitque.

Epigraphes :

SANGVIS . PETRI . DE . ARBUES . MARTYRIS
QVI . ALIAS . DE . LOCO . CAEDIS
BULLANS . EXCREVIT
INDIDEM . DVM . COLLEGAE . DIE . XII
PARENTANT
LARGIVS . ERVMPENS . LINTEOLIS
EXCIPITVR

Etc.

Tertium ad laevam Vexillum a Nicolao Panini depictum Petrum Dankowskium acri ab ophthalmia S. Iosaphati ope, eiusque cilicii contactu sanatum exhibebat.

Epigraphes :

PETRVS . DANKOVVSKI
EX . VIOLENTA . OPHTHALMIA . CAECVS
CILICIO
S . JOSAPHAT . ET . LAPIDIBVS
QVIBVS . AQVIS . FVERAT . DEMERSVS
OCVLOS . ADMOVET . REPENTE . VNIVERSOS
QVI . ADERANT
INTERNOSCENS
MIRACVLI . FIDEM . FACIT

In quarto Vexillo idem Nicolaus Panini nobilem effinxerat Polonum captivum detentum S. Josaphati apparitione recreatum, et in libertatem exemptum.

Epigraphes :

NOBILI . POLONO
IN . MISERRIMA . CAPTIVITATE . DEGENTI
S . JOSAPHAT
PONTIFICALI . HABITV
INSIGNIS . ADSTAT
BACVLQVE . PASTORALIS . ATTACTV
FRACTIS . COMPEDIBVS . LIBERVV
ABIRE . JVBET

In utroque denique Presbyterii fornice conspiciebantur Vexilla; illud ad ingredientium dexteram a Marcello Sozzi depictum puerum exprimebat Joannem Theodorum Dinchium a nativitate herniosum cum

solemni ducerentur ritu Martyrum Gorcomiensium Reliquiae ab eorum patrocinio sanitati resistutum (*etc. pp. 306*).

Et quoniam Lectorem in Presbyterium adduxi, velim ut mecum nobile oculis perlustret ipse Theatrum ubi augusta Canonizationis caeremonia obtinuit. Ara maxima Divi Petri...

Sed antequam Canonizationis commemorem ritum ne Lectorem pigeat iterum principem Basilicae mecum permeare aulam; et inde in porticu consistere, aliasque Sanctorum gesta referentes conspiciere tabulas.

Super mediae januae coronam Franciscus Leonardi S. Josaphat Martyrium expressit.

Epigraphes :

IOSAPHATVS . ARCH . POL . RVTHENOR .
 APOSTOLICAE . CATHEDRAE . PRINCIPATVS
 ADSERTOR
 CATHOLICAE . CONIVNCTIONIS
 APVD . SCHISMATICOS
 RESTITVTOR
 CONIVRATIONE . EORVM . OPPRESSVS
 ID . GLORIAE . NACTVS . EST
 VT . QVAM . VIVENS . PASTORIS . BONI . IMAGINEM
 EXPRESSERAT . FACTIS
 PROFVSA . ITEM . ANIMA
 CVMVLATE . REFERRET

Martyres Gorcomienses ab haereticis Calvinianis laqueo suspensos prima dextrorsum a Josepho Sereni depicta exhibebat tabula (*pp. 309-311*).

In dextero minori podio appensum erat Vexillum ab Equite Hercule Ruspi effictum; referebatque gloriam caelestem Sanctorum Josaphati Kuncewicii, Petri de Arbues, Pauli a Cruce, Leonardi a Portu Mauritio, Mariae Franciscae a Vulneribus Christi Domini, et Germanae Cousin.

Epigraphes erat :

IOSAPHATO . ARCHIEPISCOPO . POL .
 PETRO . ARBVESIO . MARTYRIBVS
 PAVLLO . A . CRVCE
 LEONARDO . A . POR . M . CONFESSORIBVS
 MARIAE . FRANCISCAE . A . VVLNERIBVS I . C .
 GERMANAE . COVSIN . VIRGINIBVS
 PIVS . IX . P . M .
 MAGNOS . SVPERVM . HONORES
 DECERNIT
 AMPLIFICATORIBVS . GLORIAE
 CATHOLICAE . FIDEI
 CVIVS . MAGISTERIA
 HAC . DIE . PETRVS . IN . VRBE . CONSECRAVIT

Vexillum denique postremum conspiciebatur in podio aequè minori sinistro, ubi Henricus Ingami Sanctos Martyres Gorcomienses super astra locatos expresserat.

Verba Epigraphis erant :

RELIGIOSI . VIRI
EX . PLVRIBVS . SACRIS . ORDINIBVS . XV
CVRIARVM . RECTORES . IV . GORCOMIENSES
CATHOLICA . FIDE . SANGVINE . ADSERTA . INSIGNES
PII . IX . PONT . MAX . DECRETO
AD . SANCTORVM . MARTYRV . RELIGIONEM
CONSECRANTVR
SIC . EFFVLGENTE . VNIVS . DIEI . GLORIA
VT . SACRORVM . TRIVMPHALIA . MILITVM
MAGNORVM . PRINCIPVM . TRIVMPHIS
CONSOCIENTVR

567.

Romae, 29 . VI . 1867.

Actus sollemnis Canonizationis.

D. BARTOLINI, II, 313-322.

Inter musicorum tubarumque concentus Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX ad Sacellum evectus est, ubi Sanctissima Eucharistia coli solet. Ibi in genua provolutus paullisper oravit; inde sellam gestatoriam rursus conscendens ad aram principem Beatissimi Petri Sepulcro imminentem contendit, iterumque ante ejus gradus preces fudit faldistorio innixus, quod summo studio faber deaurator Paschalis Fiorentini auro malthisque contexerat. Mox paratum sibi fulgidissimum Solium scandit, in eoque consedit obedientiae obsequium excepturus. Tunc accedere primum Cardinales ad osculum manus; deinde Antistites ad osculum genu; postremi Abbates et Poenitentiarii Vaticani ad osculum pedis. Cum singuli ad propria rediissent subsellia alter e Caere moniarum Magistris adduxit ante Solium Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi ad postulandam Canonizationem Procuratorem adlectum, una cum illustri viro Joanne Baptista de Dominicis-Tosti Equite Torquato et Sacrae Consistorialis Aulæ Advocato: Cardinale autem stante, Advocatus Consistorialis genibus submissis Cardinalis Procuratoris nomine ut Beatus Josaphat Kuncewicius, Petrus de Arbues, novemdecim Gorcomienses, Paulus a Cruce, Leonardus a Portu Mauritio, Maria Francisca a Christi Vulneribus, et Germana Cousin in Sanctorum albo recenserentur a Sanctissimo Domino instantè postulavit his verbis:

BEATISSIME PATER

Reverendissimus Dominus Cardinalis Constantinus Patrizi hic praesens instantè petit per Sanctitatem Vestram catalogo Sanctorum Domini Nostri Jesu Christi adscribi, et tamquam Sanctos ab omnibus christifidelibus pronuntiari venerandos Beatos Josaphat Kunceovich, Petrum de Arbues, Nicolaum Pichi cum octodecim Sociis, Paulum a Cruce, Leonardum a Portu Mauritio, Mariam Franciscam a quinque Vulneribus D. N. Jesu Christi, et Germanam Cousin.

Huic postulationi R. P. D. Lucas Pacifici Sanctissimo ab Epistolis ad Principes stans in sinistro Solii latere ex Pontificis mandato ita respondit:

Summa quidem laetitia exultat Sanctissimus Dominus Noster de majore Dei gloria, et catholicae Ecclesiae sibi a Christo Domino divinitus commissae bono ac splendore vel maxime sollicitus. Namque hoc auspiciatissimo die cum ingenti animi sui jucunditate, et universi catholici orbis, atque hujus praesertim urbis gaudio saecularia solemnia immortalibus Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Pauli doctoris gentium triumphis sacra concelebrans statuit Sanctorum ordini adscribere invictos Christi martyres Josaphat Kuncewiczum Polocensem Ruthenorum Antistitem, Petrum Arbuesium, ac Nicolaum Pichium, ejusque duodeviginti Socios, ac duos gloriosissimos Confessores Paulum a Cruce Fundatorem Congregationis Clericorum Sanctissimae Crucis, et Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Leonardum a Portu Mauritio, binasque clarissimas Virgines Mariam Franciscam a Vulneribus Divini Nostri Reparatoris Christi Jesu, et Germanam Cousin. Hinc ea omnia, quae ad hanc triumphalem solemnitatem peragendam ex hujus Sanctae Sedis more requirebantur, jam praesto sunt. Haec enim Vaticana Basilica toto terrarum orbe nobilissima, nunc splendidissimo apparatu, ac magnificentissima pompa mirifice fulget, ac pietatis spiritum, bonumque odorem ita undique spirat, ut cogitationem excitare videatur illius sanctae civitatis Jerusalem novae, quam Beatus Joannes vidit descendentem de coelo a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Quocirca adsunt S. R. E. Cardinales, qui sacrum ejusdem Ecclesiae Senatum constituunt; adsunt Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, qui ex dissitis etiam regionibus huc convenerunt; adsunt frequentia maxima cujusque nationis, gradus, ordinis, et conditionis fideles, et hi omnes ab Eo, qui vicariam Christi hic in terris gerit operam, et universam Ecclesiam tam provide, tamque sapienter regit, ac moderatur, summo studio exposcunt, ut his Beatis Dei Servis Sanctorum cultum et honores suprema sua Apostolica auctoritate decernere velit. Itaque Sanctissimus Dominus Noster et maximo perfunditur gaudio, et humiles ac immortales elementissimo misericordiarum Patri agit gratias, cum tantae laetitiae ministerium sibi concedere sit dignatus. Verum apprime noscens quam gravis, quam magna haec actio sit, nunc potissimum jubet Apostolicum Senatum, Sacrorum Antistites, omnesque hic praesentes instanter ad Deum effundere preces, ac deprecatores apud Eum adhibere in primis Immaculatam Deiparam Virginem Mariam, ac deinde Beatos Apostolos Petrum et Paulum, omnesque Caelites, ut Sanctus Sanctorum notum facere velit sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum ejus.

His dictis Cardinalis Patrizi ceterique, salutato Pontifice, recesserunt: et Summus Pontifex infula tectus ad faldistorium accessit et genua posuit. Tunc duo Cantores flexis genibus Litanias Sanctorum, respondente populo, praecinuere. Litaniis absolutis, Sanctissimus Dominus iterum sedit: steteruntque rursus ante Solium Reverendissimus Cardinalis Patrizi Procurator, Magister Caeremoniarum, et Advocatus Consistorialis de Dominicis-Tosti, qui pro Canonizatione obtinenda nomine Cardinalis Procuratoris instantius adprecatus est verbis ita conceptis:

BEATISSIME PATER

Reverendissimus Dominus Card. Constantinus Patrizi hic praesens instantanter instantius petit per Sanctitatem Vestram catalogo Sanctorum Domini Nostri Iesu Christi adscribi, et tamquam Sanctos ab omnibus christifidelibus pronunciari venerandos Beatos Iosaphat Kuncewich, Petrum de Arbues, Nicolaum Pichi cum octodecim Sociis, Paulum a Cruce, Leonardum a Portu Mauritio, Mariam Franciscam a quinque Vulneribus D. N. Iesu Christi, et Germanam Cousin.

Idem R. P. D. Lucas Pacifici respondit:

Ut clarius Dei voluntas in tanti momenti re noscatur Sanctissimus Dominus Noster preces instantius iterandas, et ferventiori studio Spiritus Sancti, qui unus luminis, et sanctitatis fons est, opem implorandam esse censet, ut praesentissimo auxilio sibi adsit, quo illud consilium suscipere possit, quod ad maiorem Dei gloriam, et ad Ecclesiae utilitatem procurandam conducatur.

Recesserunt postulantes, et Sanctissimus Dominus infula redimitus ad faldistorium rediit: et Diacono Cardinali, qui stabat ad ipsius dexteram, alta voce omnes monente *Orate*, tum Pontifex, tum Cardinales et Antistites depositis infulis genua submisere, supplicationesque suas tacite Deo obtulere ut Paracliti virtus propitia adesset. Vix alter Diaconus Cardinalis, qui a sinistris erat, elata pariter voce pronunciavit *Levate*, Pontifex ceterique omnes surrexerunt; et Sanctitas sua ex libro Antiphonario sibi allato ab Episcopo Cardinali seniore inchoavit canens Hymnum *Veni Creator Spiritus*, et genibus statim cum ceteris procubuit usque dum Cantores reliquam modulati sunt stropham. Dein Summus Pontifex, infula resumpta ad Solium regressus est, ubi stetit capite dedecto usque ad hymni finem: quo absoluto cum duo acutioris vocis Cantores cecinissent versiculum *Emitte Spiritum tuum et creabuntur*, respondissetque Chorus *et renovabis faciem terrae*, Sanctitas Sua Orationem decantavit *Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus* etc. ac postea infula ornatus sedit.

Postremo Cardinalis Procurator, et Advocatus Consistorialis ab Caeremoniarum Magistro ad infimum Solii gradum adducti salutarunt Pontificem Maximum; et Advocatus genibus provolutus pro Canonizatione obtinenda instantissime supplicavit dicens:

BEATISSIME PATER

Reverendissimus Dominus Cardinalis Constantinus Patrizi hic praesens instantanter, instantius et instantissime petit per Sanctitatem Vestram catalogo Sanctorum Domini Nostri Iesu Christi adscribi, et tamquam Sanctos ab omnibus christifidelibus pronunciari venerandos Beatos Iosaphat Kuncewich, Petrum de Arbues, Nicolaum Pichi cum octodecim Sociis, Paulum a Cruce, Leonardum a Portu Mauritio, Mariam Franciscam a quinque Vulneribus D. N. Iesu Christi, et Germanam Cousin.

Cui respondit tertio R. P. D. Lucas Pacifici affirmans Summo Pontifici in animo esse ut postulationes exciperet:

Divini beneplaciti tempus tandem advenisse existimat Sanctissimus Dominus Noster, et idcirco suis, omniumque votis obsecundans, Apostolico Decreto, quod Ipse ore suo mox est prolaturus Beatos Josaphat Kuncewicz Polocensem Rhutenorum Antistitem, Petrum Arbuesium, Nicolaum Pichium, ejusque duodeviginti Socios in Sanctorum Martyrum numerum referet, Beatos autem Paulum a Cruce, ac Leonardum a Portu Mauritio in ordinem Sanctorum Confessorum non Pontificum cooptabit, ac Beatas Mariam Franciscam a Vulneribus Domini Nostri Jesu Christi, et Germanam Cousin Sanctarum Virginum coetui adscribet ad omnipotentis Dei gloriam, ad catholicae Fidei decus et incrementum, ac eorundem Beatorum honorem, quorum nomina, memoriam, et laudes per sacros titulos, memoresque fastos semper concelebrabit Ecclesia.

Denique Summus Pontifex infula redimitus et sedens in Solio majestatis, et Cathedra veritatis amplissima Cardinalium, et fere quingentorum Antistitem, nec non Romanae Curiae Praesulum corona circumdatus, qui stantes, accensosque cereos manu tenentes, et vestium splendore, et dignitate personarum, et modestia oculorum adstantium animos in sui admirationem rapiebant, divino afflante Spiritu supremam dixit sententiam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae, et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra: matura deliberatione praehabita, et divina ope saepius implo-rata ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, in Urbe existentium consilio, Beatos Josaphat Kuncewicz Pontificem, Petrum de Arbues, Nicolaum Pichium cum ejus Sociis, videlicet, Hieronymum, Theodoricum, Nicasium, Willehadum, Godefridum Mervellanium, Antonium Werdanum, Antonium Hornariensem, Franciscum, Joannem, Hadrianum, Jacobum, Joannem Osterwicanum, Leonardum, Nicolaum Poppellium, Godefridum Dunaeum, et Andream Sacerdotes, Petrum et Cornelium laicos; omnes Martyres; Paulum a Cruce, et Leonardum a Portu Mauritio Confessores; Mariam Franciscam a Vulneribus Domini Nostri Jesu Christi, et Germanam Cousin Virgines, Sanctos esse decernimus et definimus; ac Sanctorum catalogo adscribimus: statuantes ab Ecclesia universali illorum memoriam quolibet anno, nempe Josaphat die decima secunda Novembris, Petri decima septima Septembris, Nicolai et Sociorum ejus nona Julii inter Sanctos Martyres; Pauli die vigesima octava Aprilis; Leonardi vigesima sexta Novembris inter Sanctos Confessores non Pontifices; Mariae Franciscae die sexta Octo-

bris; Germanae decima quinta Junii inter Sanctas Virgines pia devotione recolli debere. In nomine Pa^xtris, et Fi^xlii, et Spiritus ^x Sancti. Amen.

Sententiam Canonizationis rite ac solemniter prolatam Reverendissimus Cardinalis Procurator acceptissimam habuit, ejusque nomine Pontifici Maximo Advocatus Consistorialis de Dominicis-Tosti gratias egit, ac ut Litterae Apostolicae decernerentur humillime petiit hisce verbis:

Idem Reverendissimus Dominus Cardinalis Constantinus Patrizi hic praesens acceptat pronunciationem a Sanctitate Vestra factam, eidemque gratias immortales agit, ac enixe supplicat, us Sanctitas Vestra super Canonizatione eadem Litteras Apostolicas dignetur decernere.

Sanctissimus Dominus petitionem excipiens respondit *Decernimus*; statimque Advocatus Consistorialis conversus ad Praesules Protonotarios Apostolicos, qui circa Solium genibus provoluti aderant, eos rogavit ut de celebrata Canonizationis solemnitate ad perpetuam rei memoriam unam vel plures conficerent tabulas:

Rogantur omnes Protonotarii, et Notarii hic praesentes, ut super hujusmodi Canonizationis actu unum, vel plura, publicum, seu publica. Instrumentum, vel Instrumenta conficiant ad perpetuam rei memoriam.

R. P. D. Lucas Pacifici nobilissimi Collegii hujus senior respondit *Conficiemus*; eosque appellavit actionis huius testes, qui in Soli gradibus manebant, dicens *vobis testibus*.

Cardinalis Procurator jam ad subsellia redierat, et Advocatus Consistorialis per Solii gradus ascendens Summi Pontificis pedes deosculatus est, simulque recessit.

Post haec Sanctitas Sua, deposita infula, assurgens ex libro Sacrorum a Cardinali Episcopo Seniore sustentato gratias laudemque Deo Optimo Maximo redditurus elata voce Canticum *Te Deum laudamus* praecinuit, Choro Cantorum et populo alternis vocibus reliquos versiculos ad finem usque prosequentibus. Interim in signum laetitiae ac tantae solemnitatis clangere coeperunt tubae, pulsari tympana, omnisque generis aenea tormenta sulphureo farta pulvere explodi tum in amplissimo Palatii Vaticani cavaedio (cui nomen *Belvedere*), tum in Arce Aelia. Personuere etiam eodem temporis momento Basilicae S. Petri, et prope innumerae Urbis nolae; iisque publicae laetitiae signis commoti Caelites simul ac mortales fuere, illi ad gloriam Dei praedicandam in sanctissimis hisce concivibus ejus dextera exaltatis, isti ad eorum encomia celebranda, et patrocinium implorandum.

Cantico ad finem perducto Reverendissimus Cardinalis Joseph Ugolini Protodiaconus Pontifici a dextris assistens Versiculum psallit: *Orate pro nobis Sancti Josaphat, Petre, Nicolae tuique Socii, Paule, Leonarde, Maria Francisca et Germana*; cui per eosdem Cantores aequae psallentes responsum fuit: *Ut digni efficiamur promissionibus Christi*. Mox accedentibus ad imum Solii gradum duobus Praesulibus Signaturae Justitiae Acolythis candelabra gestantibus cum cereis accensis, Summus Pontifex flagitaturus pro Christi grege illorum opem quos in coelis regnare declaraverat, Reverendissimo Seniore Cardinali Episcopo precum sibi porrigente libro, sequentem Orationem a me cum aliis duabus in Solemni Sacro dicendis apposite concinnatam ⁽⁸⁵⁾ elata cecinit voce:

⁽⁸⁵⁾ Hac sunt aliae duae Orationes in Sacro Solemni recitatae, quas ego Sacri Consilii legitimis tuendis Ritibus a Secretis concinnavi, et Summus Pontifex suprema auctoritate Sua ratas habuit.

SECRETA

Munera, Domine, oblata sanctifica, et suffragantibus meritis Sanctorum Martyrum tuorum

ORATIO

Deus qui ad confirmandam mirabilis Sacramenti Corporis et Sanguinis tui veritatem, ad Ecclesiae unitatem servandam et ad Judaicam perfidiam superandam Sanctos Josaphat Pontificem, Petrum, Nicolaum et Socios Martyrii corona decorasti; quique Sanctos Confessores Paulum et Leonardum eximios verbi tui praecones effecisti, et in cordibus Sanctarum Virginum Mariae Franciscæ et Germanæ jucundam tibi mansionem praeparasti; concede nobis famulis tuis ut qui hodie eorum colimus gloriae triumphum, ipsis intercedentibus, fidem mente et opere profiteri valeamus, et paratam in coelis mundis corde mansionem consequi mereamur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

Et Cantores responderunt *Amen.*

Post Orationem Summo Pontifice infula capite redimito et stante, Reverendissimus Cardinalis Diaconus in Sacro Solemni administraturus in sinistro Solii latere manens publicam Confessionem pro omnibus decantavit dicens:

Confiteor Deo Omnipotenti etc. addens post verba Petro et Paulo verba Sanctis Josaphat, Petro, Nicolao ejusque Sociis, Paulo, Leonardo, Mariae Franciscæ et Germanæ; et post verba Petrum et Paulum verba

Josaphati Pontificis, Petri, Nicolai et Sociorum; Sanctorumque Confessorum Pauli et Leonardi, atque Sanctarum Virginum Mariae Franciscæ et Germanæ, da nobis ut poenitentiae lacrimis peccatorum maculas deleamus, et in confessione tui nominis usque ad mortem stabiles inveniamur. Per Dominum etc.

POSTCOMMUNIO

Deus pro cujus Ecclesia, et pro eisdem Sacris, quae sumpsimus Muneribus gloriosi Martyres Josaphatus Pontifex, Petrus, Nicolaus et Socii gladiis impiorum occubuerunt; et cujus gloriam Sancti Confessores Paulus et Leonardus evangelicis praedicationibus enarraverunt; cuique ad caelestes nuptias properanti Sanctae Virgines Maria Francisca et Germana cum accensis lampadibus obviam exierunt; Te supplices exoramus ut eorum interventu omnium hostium superatis insidiis per viam mandatorum in aeternam ingredi requiem festinemus. Per Dominum etc.

DECRETUM

Cum in Canonizationis Solemnis ex antiquissimo more institutoque Sanctae Romanae Ecclesiae ad edocendos christifideles de patrociniis apud Deum novensilium Sanctorum implorando, a Summo Pontifice peculiaris Commemoratio seu Collecta cum cantu dicatur, quaeque etiam una cum Secreta et Postcommunione addenda erit occurrenti Missae Pontificali; Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, supradictas Orationes proprias ab ipso Secretario elucubratas, et sub unica conclusione dicendas in Missa diei Natalis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli occasione proximae Canonizationis Beatorum Martyrum Josaphat Kuncewicii Pontificis, Petri de Arbues, Nicolai Pichii et Sociorum; Pauli a Cruce, Leonardi a Portu Mauritio Confessorum; et Beatarum Virginum Mariae Franciscæ et Vulneribus Christi Jesu, et Germanæ Cousin, suprema auctoritate Sua approbavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

C. Epis. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

Loco ✕ Signi

Sanctos Josaphat, Petrum, Nicolaum Ejusque socios, Paulum, Leonardum, Mariam Franciscam et Germanam.

Tunc accessit, stetitque ante Pontificem ad Solii gradus Subdiaconus Apostolicus Sacrae Romanae Rotae Auditor Tunica indutus Crucemque manibus gestans, et summus Pontifex surgens, et capite detecto ob Crucis reverentiam, Absolutionis et Benedictionis formulam decantavit dicens:

Precibus et meritis Beatae Mariae semper Virginis, Beati Michaelis Arcangeli, Beati Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sanctorum Josaphat, Petri, Nicolai Ejusque Sociorum, Pauli, Leonardi, Mariae Franciscae, et Germanae et omnium Sanctorum, miseretur vestri Omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducatur vos ad vitam aeternam.

Responderunt Cantores *Amen*.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis Omnipotens et Misericors Dominus.

Iterum Cantores dixere *Amen*.

Et Benedictio Dei Omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper.

Et Chorus Cantorum graviore vocum sono respondit *Amen*.

Augusto Canonizationis Ritu absoluto Summus Pontifex in cubiculum a Solii tergo praestructum se recepit, et data sibi paulisper ex labore quiete, Sacrum Solemne celebraturus secundarium adiit Solium in cornu Epistolae erectum. Ibi Horae Tertiae initium fecit, eam prosequente Choro: dictisque praeparationis precibus sacras induit pontificales vestes, atque Apostolico Pallio collum sibi pectusque circumornavit. Mox ad Arae Maximae gradus accedens, vetustissimo servato Ecclesiae Romanae Ordine, divinam inchoavit Synaxim. Post Evangelii cantum Sanctissimus Dominus in Cathedra sedens ad Patrum Cardinalium Senatum, Antistites, et christifideles adstantes hanc habuit Homiliam sanctorum Ecclesiae Patrum stili nitore et sententiarum gravitate refertam. (*Cfr. ibidem, II, pp. 322-328*).

Post Homiliam Diaconus Cardinalis Sacro Solemni administrans ad Solium accessit et rursus decantavit *Confiteor* etc. additis nominibus Sanctorum nuper inter Caelites relatorum, quo completo ad Altare rediit. Summus autem Pontifex sedit infula tectus, et Reverendissimus Cardinalis Senior Episcopus Assistens capite demisso dixit *Indulgentias Beatissime Pater*; qui respondit *Consuetas huius Actionis*. Tunc idem Episcopus Cardinalis parum ad populum conversus Indulgentiam Plenariam his promulgavit verbis:

Sanctissimus in Christo Pater et Dominus Noster, Dominus PIVS Divina Providentia PAPA NONVS dat et concedit omnibus tam hic praesentibus, quam omnibus qui vel Supplicationi, vel sacrae actioni Canonizationis interfuerunt, vel hodierna die hanc vaticanam basilicam devote visitabunt, Indulgentiam Plenariam. Visitantibus autem quotannis sepulcra Sanctorum JOSAPHAT die 12 Novembris, PETRI 17 Septembris, NICOLAI ET SOCIORVM 9 Julii, PAVLI 28 Aprilis, LEONARDI 26 Novembris, MARIAE FRANCISCAE 6 Octobris, GERMANAE 15 Junii septem annorum, et totidem quadragenarum in

forma Ecclesiae consueta. Rogate igitur Deum pro felici statu SANCTI-TATIS SVAE, et S. Matris Ecclesiae.

Dein Summus Pontifex formulam Absolutionis *Precibus et meritis* etc. superius relata iterum canens Apostolicam adstantibus impertiit benedictionem.

Cum Cantores sanctum fidei Simbolum ad suavissimam harmoniam Joannis Petri Aloisii Praenestini modulati essent; nam *Kirie, Gloria, Sanctus, et Agnus* Philippus Siciliani alter insignis musices Magister haud impari melos suavitate panxerat, Summus Pontifex, lecto Offertorio, sedit infula ornatus; et tunc singularis obtinuit ille ac mysteriis plenus Ritus, quo de more in Canonizationum Liturgia oblationes ad Summum Pontificem deferuntur. Procedebant e loco mensarum, super quas munera deferenda parata fuerant unus supra viginti Reverendissimi Cardinales ab Caeremoniarum Magistris, ac dignioribus ex eorum familiis comitati, quos antecedeabant Accensi argenteas cucumas in humeros attollentes; et pone sequebantur Causarum Postulatores eorumque asseclae, qui una cum nobilibus Cardinalium familiaribus sacra ferebant munera. Erant autem haec pro unaquaque novorum Caelitum Causa duo magni cerei arte summa coloribus illiti; tres minores cerei eodem quo primi ornatu decori: duo grandes panes auro vel argento obducti in lancibus deauratis positi; doliola duo vino referta auro pariter argentoque perfusa; cistellulae tres aereis laminis aureis argenteisque contextae, quorum prima columbas, altera turtures, tertia varias excipiebat aviculas. Reverendissimi DD. Cardinales oblationes tradituri pro S. Josaphat Archiepiscopo et Martyre erant Ludovicus Altieri Episcopus, Carolus Augustus de Reisach Presbyter, Joseph Ugolini Diaconus. Pro S. Petro de Arhues Martyre Reverendissimi DD. Cardinales Aloisius Amat Episcopus, Alexander Barnabò Presbyter, et Joseph Bofondi Diaconus. Pro Sanctis Gorcomiensibus Martyribus Reverendissimi DD. Cardinales Engelbertus Sterchx Presbyter loco Cardinalis Episcopi, Carolus Sacconi Presbyter, Robertus Roberti Diaconus. Pro Sancto Paulo a Cruce Confessore Reverendissimi Cardinales DD. Cosmas Corsi Presbyter loco Cardinalis Episcopi, Antonius Maria Panebianco Presbyter, et Prosper Caterini Diaconus. Pro Sancto Leonardo a Portu Mauritio Confessore Reverendissimi Cardinales DD. Franciscus Augustus Donnet Presbyter loco Cardinalis Episcopi, Andreas Bizzarri Presbyter, Franciscus Pentini Diaconus. Pro Sancta Maria Francisca a quinque Christi Vulneribus Virgine Reverendissimi Cardinales DD. Carolus Morichini Presbyter loco Cardinalis Episcopi, Paulus Cullen Presbyter, et Dominicus Consolini Diaconus suffectus in locum Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum, eorum deficiente numero. Pro sancta Germana Cousin Virgine Reverendissimi DD. Cardinales Joachim Pecci Presbyter loco Cardinalis Episcopi, Gustavus Adulfus De Hohenlohe Presbyter, et Aloisius Bilio Presbyter loco Cardinalis Diaconi ambo aequae suffecti. Singuli Cardinales deosculato prius munere ac manu Summi Pontificis, illud ei offerebant, dein manu genuque deosculatis ad subsellia revertebantur. Ceteri munerum portitores post Cardinales, pede Pontificis osculato, munera jam oblata ad mensas reducebant, disponebantque eodem uti prius ordine servato. Dum haec singularis sese explicaret oblationum caeremonia, late silentibus omnibus, Chorus Cantorum concinere coepit Offertorii Antiphonam *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalerunt adversus eam, et tibi dabo claves Regni coelorum*, quam alter e Cantoribus pontificiis Dominicus Mustafà vir arte musica peritissimus ad perfectam Joannis Petri Aloisii Praenestini concentus imitationem egregie concinnaverat. Choro huic, ut ita dicam, principi, in quo idem Mustafà musicos moderabatur numeros, fere quingenti cantores in duos alios Choros distributi, quorum harmoniam Eques Cajetanus Capocci Archiepiscopae Lateranensis, et Eques Salvator Meluzzi Basilicae Vaticanae musices magistri moderabantur, mirabili respondebant echo. Ex iis unus in podio mediae Basilicae januae supereminente situs erat, alter in xysto inferiorem immensi tholi circumneunte ambitum. Hic pueris praesertim constabat, quorum voces adeo lenem ab alto debant sonum, ut adstantes Angelorum voces super astra canentium percipere autumaveris.

Denique Sacris suo Ordine expletis, atque impertita a Summo Pontifice benedictione Solemnitati huic maximae ac jucundissimae finis impositus est.

Demum Sanctissimus Dominus ab altari descendens Presbyterium a Reverendissimo Cardinali Mario Mattei Vaticanae Basilicae Archiepiscopato accepit; mox thiara redimitus, et in sella gestatoria sub umbella elatus praeerantibus Reverendissimis Cardinalibus, et Antistitibus ad aulam vestariam rediit; ibique sacris depositis vestibus, ad suas pontificales aedes se recepit.

568.

Romae, 6 . VII . 1867.

*Bulla Canonizationis Beati Josaphat, Archiepiscopi olim Polocensis.*SECRET. BREVIUM, *Pius IX, Bullae*, vol. an. 1867 fol. n.n., et separatim.WELYKYJ A. G., *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, p. 414-425, nr. 958.BARTOLINI D., *Commentarium Actorum omnium...*, vol. II, p. 331 sq.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE CANONIZATIONE S. IOSAPHAT KVNCEWICII ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS
RVTHENICI RITVS. MARTYRIS EX ORDINE SANCTI BASILII MAGNI.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Splendidissimum Orientalis Ecclesiae lumen Basilius Caesariensis antistes, non modo virtute et litteris Magni nomen accepit, perpetuique haereticorum mallei, sed coenobitarum, quibus tradidit sanctissimas vivendi regulas, parens appellatus est « ita ut quemadmodum aiebat praedecessor noster Gregorius XIII in litteris Apostolicis *Benedictus Dominus* (MDLXXIX) perpetua futurorum temporum successione monachi, verbo et opere a se instructi, Deum confiterentur, catholicaeque Ecclesiae ornamento essent atque in dubiis rebus adiumento, qui vitae sanctitate et doctrina, toto terrarum orbe insignes... floruerunt ». Nec in Oriente solum, sed in Occidente quoque atque in ipsa Italia basiliana proles vel ab ipso exordio enituit, pluraque volventibus annis utriusque sexus constituens domicilia sedulam dedit operam, ut integra atque intacta catholica fides servaretur. Qui vero post Phoxianum schisma ruthenum ritum sequebantur, exilia potius, vincula, verbera, mortemque ipsam perferre passi sunt, quam schismatico graeco Patriarchae parere. Quod praecipue visum fuit sub Eugenio IV cum in Concilio Florentino de unione utriusque Ecclesiae Graecae nempe ac Latinae, quam Bessarion Archiepiscopus Nicaenus, ejusdem Ordinis alumnus, habendam curavit. Neque minus in hac re sanctissimi alii Episcopi omni aevo adlaborarunt, inter quos apud Ruthenos saeculo XVI maxime claruit et luculentissimum constantis animi praebuit exemplum Josaphat Kuncevicus Archiepiscopus Polocensis rutheni ritus, ejusdem S. Basilii monachus, qui mori potius maluit, quam seipsum prodere, ovesque sibi creditas ad mala pascua ducere; vir sane tot virtutibus silentio magis quam verbis commendandus, quem Nos ad maximos superum honores, uti Urbanus VIII, Antecessor Noster, habuerat in votis, Deo favente, eveximus.

§ 2. Anno a partu Virginis circiter MDLXXX, Vladimirie illustri

Poloniae civitate, Gabriele Kuncevicio et Marina conjugibus nobili et consulari ex utroque genere vitae usuram accepit Joannes inde Josaphat appellatus, nec mora in ecclesia ruthena sanctae martyris Parasceves salutari baptismatis lavacro renatus est. Quamvis in ea regione graecum schisma grassaretur, omnem tamen parentes adhibuerunt curam, ut puer diligentissime in pietate institueretur, atque inde a prima aetate timorem Domini edoceretur. Quod bene evenit; puer enim saepe a suis conquisitus vel in eodem S. Parasceves templo orans, vel domi abditus Sanctorum pingens imagines inveniebatur, quod ab omnibus futurae sanctimoniae argumentum habitum est. Nil in eo puerile, suisque coequalibus tamquam pietatis exemplar proponebatur. Patres Societatis Jesu, quibus etiam conscientiae moderatoribus utebatur, toti erant, ut eum ad coelestia vocatum a mundi oblectamentis atque a Schismaticorum seductionibus averterent. Itaque ut vigesimum attigit annum, quo facilius divinae gratiae responderet, an. MDCIV in monasterio Vlnensi S. Basilii Magni Ordini se adscripsit, assumptoque Josaphat nomine insequenti anno vota solemniter nuncupavit.

§ 3. In tam splendida religiosae vitae palestra, charitate, modestia, temperantia, divinorum officiorum assiduitate, corporis afflictatione, sacrorum librorum lectione, animarumque zelo ita claruit, ut vix diaconus non a contubernalibus tamquam monasticae vitae speculum et exemplar, sed etiam a civibus tamquam validissimum adversus schisma columen haberetur. Ex quo factum est, ut non modo complures cives ad eum audiendum alacriter convenirent, ipsumque sibi conscientiae moderatorem seligerent, sed et ipsi heterodoxi magna in aestimatione illum haberent, sibi conjunctissimum reddere exoptarent. Tot virtutibus tantaque omnium benevolentia commendatus, Josepho Rutscio, Monasterii Archimandritae, ad metropolitanam totius Russiae sedem evecto, Josaphat basilianae Vlnensi familiae regendae suffectus est. Singularem vigilantiae ac prudentiae laude in hoc munere obeundo refulsit. Quo alios in officio contineret, in monasticae vitae regulis vel levissimis exercendis princeps erat. Ob magnam orthodoxorum sacerdotum penuriam, sedulo ipse versabatur vel in confessionibus excipiendis, vel in concionibus habendis, vel in aegrotis supremo agone juvandis; ita ut omnia civitatis suae ecclesiastica munera prope suscepisse videretur.

§ 4. At Deus, qui Josaphat elegerat, ut tamquam lucerna super montem posita in domo Domini luceret, ampliorem vineam colendam ei comparavit. Tredecim vix elapsis annis, magno suorum desiderio, monasterium, in quo perpetuo abjectus esse cupiebat relinquere coactus est, et Gedeoni Brolnickio, Archiepiscopo Polocensi, senio confecto, Jdibus Novembris MDCXVII adjutor datus est, in cujus locum quadriennio post successit. Tantam dignitatem humilis Dei servus abhorrens,

muneri se imparem ac indignum putans, fugam capessere meditabatur, seque uti Magnus Basilius in deserto abdere; jamque illi omnia prospere eveniebant, cum ei allatus est nuntius, Polocenses omnes magno gaudio gestiisse, illumque habere ceu pastorem ab ipso Dei missum, utpote magnae utilitatis futurum ad exoptatam Ruthenae cum Romana Ecclesia unionem. Itaque obedientia coactus tanto muneri, monachis omnibus lugentibus, cessit, seque ad vastissimam illam archidioecesim tribus palatinatibus, seu provinciis constantem, nempe Polocensi, Vitebskensi et Mstislaviensi se contulit, Pridie Idus Novembris ejusdem anni solemnem manuum impositionem accepit, atque adveniente Januario, solemniter Polocensem ecclesiam ingenti civium omnium ordinum frequentia, tantoque gaudio et pompa ingressus est, ut par neque in ipso regum vel principum ingressu umquam visa fuerit.

§ 5. Ad tantam dignitatem evectus, externum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Coenobii sui regulas vel levissimas, ut licuit perpetuo servavit; quod maxime admirandum non in sene sed in juvene viridioris aetatis. Ex quo factum est, ut plurimi in illo non illustrem Archiepiscopum sed humilem Vilnae monachum adhuc suspicerent et appellerent. Uti in caenobio, ceteros semper in matutinis horis et quotidianis functionibus persolvendis antecedeat. Ea erat animi demissione ut ne a lampadibus refovendis vel ipsis tintinabulis pulsandis abhorreret, quo omnes tempestive possent ad ecclesiam convenire. Plerumque super nudos asseres cubabat; noctu etiam summo hieme viis persaepe durissima glacie refertis ad divinam eucharistiam in cathedrali adorandam nudis pedibus se conferebat. Extremis viginti vitae suae annis, idest ab ipso monastico tyrocinio ad mortem usque pro indusio asperrimo cilicio usus est. Cum vel ad Sacramenta administranda vel ad Sacrum faciendum accederet, pungentes quoque catenulas adhibebat, idque tam diu, ut olim dum Sacrum solemniter faceret, prae doloris acerbitate sensibus defecerit, coactusque archidiaconus fuerit illum ferrea zona exuere. Flagellis quoque durissime se caedebat sive ut ad incruentam hostiam offerendam se compararet, sive sacram exomologesim exciperet. Numquam carnibus, raro piscibus usus est; herbis et leguminibus plerumque vescebatur. Quinquennio sitim tantummodo frigida levavit, cui nonnisi medicorum consilio vini pusillum postea addidit.

§ 6. Factus forma gregis ex animo, pravos mores verbo et exemplo emendans, errantes ad bonam frugem reduxit, plures, qui in dioecesi irrepserant, amovit abusus, illos praesertim qui schisma redolerent. Incredibile dictu est, quantum in pastoralibus muneribus obeundis studium impenderit. Cum eloquenter concionaretur, totus erat in catholi-

cae religionis documentis tradendis, in haereticis profligandis, schismaticis convellendis; omnibusque eam vitae rationem suadebat, quae christianum virum maxime decet. Liberalis in pauperes, omnes Ecclesiae proventus iisdem distribuebat, nihil fere nec ad sui alimoniam reservans; quod praesertim accidit, cum extremae cujusdam viduae necessitati occurrere satagens, suo ab eleemosynis praefecto pretiosum pontificale *homophorium* oppignorare jusserit. Quoties vero de Dei honore vel de religionis cultu ageretur, pecuniae non parcebat, uti visum est in nova cathedrali ecclesia Polocensi excitanda, cui multa aureorum millia aere proprio suppeditavit. Cumque hac de re ejus propinqui cum eo conquererentur, suaviter respondebat, ecclesiae opes non ad ipsum pertinere, sed nonnisi ecclesiae ipsi ac pauperis erogandas. Gedeoni Brolnickio, Antecessori suo, non modo peramanter adfuit, sed in vitae extremis curavit, ut publica edita fidei professione se in catholica religione mori omnibus palam faceret. Paroeciis nonnisi viros recte de catholica fide sentientes praefecit. Ecclesiae jura ac bona fortiter asseruit, eaque ab laicis usurpata vindicavit. Romani Pontificis primatus propugnator acerrimus, sive concionibus, sive scriptis, sive disceptationibus acriter factus est. Cum vero Schismaticos alloqueretur, Christi mansuetudinem praeseferens, tanta erat oris suavitate, tanta in argumentis subtilitate tantaque in suadendo felicitate, ut slavice *duzochvat*, animarum raptor, appellaretur. Saepe ex ipsis vetustis slavonicis codicibus annalibusque ruthenis demonstrabat, Ruthenos Romani Pontificis obedientiae semper fuisse subjectos. Quadam vero die cum Schismaticis disputans, ab illis provocatus, ut Patriarchae Constantinopolitano, utpote sibi superiori, obedientiam praestaret; reddito enim illo sibi amico, facilius Ruthena ad unionem cum Romana Ecclesia adduci poterat; acriter respondit, *recognoscat Patriarcha Papam, et ego illico Patriarcham recognoscam*, cumque hoc responso permulti mortem ei minitati fuissent, *libenter* addidit, *mundo pro Christo moriar*.

§ 7. At vir Dei tot christianis virtutibus ornatus, quae solae sufficerent ad ejus perfectionem ostendendam, quaeque coelestibus honoribus plene dignum efficerent, haud dubitavit cum Schismaticis fortiter praeliare; bellum enim ipsis a primo sui sacerdotii anno indixerat. Qui cum ejus robur infirmare nullatenus possent, impie eum vexare numquam destiterunt. Primum, irrisionibus ejus constantiam tentare coeperunt. Itaque eum in tabulis diabolico habitu indutum et uncis animas ad se trahentem deformiter pinxerunt. Cum per vias incederet, En, clamabant, en praesulem latinum, en papistam; tollamus eum de medio nostrum. Quae omnia heterodoxi cum nossent frustra adhiberi, hostes palam facti, eum e vivis eripere cogitarunt totque artibus sunt

usi, donec assequuti sunt. Ter nefario conatu in famulum Dei conspirarunt. Primum VIII Idus Augusti MDCXXI festo transfigurationis Domini Nostri Jesu Christi, dum Sacrum solemne in collegiali ecclesia Witebskensi perageret, eo furore ictibus illum una cum suis adorti sunt, ut hi prodigio fugientes incolumitatem sibi repererint. Anno vero insequenti MDCXXII, mense Aprili, cum publice in praetorio litterae a Poloniae Rege ad Archiepiscopum missae legerentur, quibus mandabatur, ne Meletio Smotricio Pseudo-Archiepiscopo, sed Josaphat Sanctae Romanae Ecclesiae obedienti illique unito, omnes Polocenses Rutheni obsequerentur, eandemque cum Romana Ecclesia profiterentur unionem, maxima a Schismaticis facta est seditio. Tertio tandem, cum eadem in civitate sacro Pentecostes die cuidam publicae supplicationi interesset, illico haereticorum copia circumdatus tot contumeliis et clamoribus fuit appetitus, ut fideles vix pastorem ab illis eripere potuerint, coactique fuerint inordinate velociterque ad templum redire.

§ 8. Quamvis autem ab ecclesiasticis viris et ab amicis cohortaretur, ut sibi consuleret, nec adeo animae suae pro grege sibi concredito prodigus esset, nihilominus exeunte Octobri MDCXXIII, Vitebskum petiit, cujus plerique cives Schismaticis adhaerebant, se ad martyrium paratum habere animum asserens, solummodo cupere boni pastoris officium adimplere, laetissimum sibi diem futurum, quo pro ovibus suis animam poneret. Paucis ante necem diebus, cum dies festus ageretur S. Demetrii Martyris, conscendit cathedram et sermonem ad populum habuit, in quo illa evangelica verba, quae lecta fuerant, usurpans: *Venit hora ut omnis qui interimit vos arbitretur se obsequium praestare Deo*, totus in Sancti Martyris laudibus fuit. Conversus deinde ad populum « Vos, inquit, Vitebscenses me ad mortem quaeritis, in fluminibus, in pontibus, in viis, in civitatibus insidias mihi struitis; ecce me sponte ad vos venisse videtis, ut sciatis me esse pastorem vestrum; atque utinam pro vobis, pro unione sancta, pro sede Petri ejusque successorum Romanorum Pontificum animam meam effundam ». Quae concio haereticorum animos magis accendit, qui eas meditati sunt insidias, quas Dei servus evadere omnino nequiret. Pridie Idus Novembris ejusdem anni, fovente Pseudo Archiepiscopo Smotricio, tumultus ex industria excitatus est. De hac re tempestive Archiepiscopus ab amicis monitus noluit sibi consulere. Insomnis noctem in lacymis, precibus ac flagellis jugiter produxit. Summo mane collegialem ecclesiam petiit, ut assuetas horas canonicas persolveret; et quod mirum, inter cives jam concitatos minime observatus incolumis pertransiit. In domesticum oratorium se recipiens, in oratione perseverabat, cum hostes confractis foribus pontificalem domum facto impetu invadunt. Dorotheum ejus archidiaconum

famulosque acerbissime caedunt sauciantque, omnem supellectilem diripiunt. Antistes clamoribus excitatus, fervidas quas Deo fundebat preces reliquit, e cubiculo exiit, in atrio constitit, impertitoque sicariis crucis signo, blandis verbis: *filioli*, inquit, *quid meos famulos insontes caeditis? si quid contra me habetis, ecce adsum*. Impii homines hac voce veluti fulgure percussi immobiles steterunt; at duo, qui ejus verba minime audierant, ex adverso cubiculo erumpentes, illico Archiepiscopum manibus ad crucis instar ante pectus positus, alter fuste caput, alter bipenni percussit. Tum gloriosum martyrem humi prostratum, quotquot in atrio aderant, gladiis confodiunt, qui inter vulnera elevatis ad coelum manibus, exclamat: *Oh! Deus meus!* Sicarii quum minime mortuum adhuc eum viderent, globulo igneae balistae caput ejus effodiunt. Nec satis efferati in praesulis cadaver insaeiunt, vestes detrahunt, illumque cilicio indutum, et zona ferrea acutis cuspidibus intertexta praecintum inveniunt. Obstupentes, haerent an pontificem vel simplicem monachum interemerint, dictitantes Josaphat molles vestes, non ejusmodi asperitates adhibuisse. Duos deinde famulos jam vulneribus affectos e latibulis protrahunt, atque verberibus adigunt, ut interemptum palam faciant. Certiores facti, esse Archiepiscopum Josaphat, super nudum ejus corpus insiliunt, vino indulgent, conspuunt, barbam caesariemque evellunt. Detracto deinde cilicio, corpus ad pedes funibus circumligant, interque contumelias et injurias per urbem reptant; denique ex arduo praeruptoque monte in Dunam flumen proiiciunt. Prodigio martyris corpus ad ripam constitit. Quae res non minuit sed auxit satellitum animos. Advolant, lintri imponunt, ad mille passus averso flumine adducunt, collo et pedibus ingentes alligant lapides, atque ad viginti cubitorum altitudinem laeti demergunt.

§ 9. Nonnullis elapsis diebus Vitebskenses poenituit tam acerbe cum Archiepiscopo egisse; ubique luctus apparuit, ubique clamores exauditi sunt, occisum fuisse Patrem, demersum pastorem, omnesque Josaphat ut veniam impertiretur exorare coeperunt. Magistratus magnam argenti vim piscatoribus promisit, ut praesulis corpus inquirerent; sed tam profunde coeno adhaeserat, ut illud invenire minime valuissent, ni prodigio magna lux in profundo aquae visa fuisset, cujus ope corpus repererunt ea integritate ac pulchritudine, ut omnes obstupuerint, vivoque persimilem uno ore dixerint. Quod autem summopere admirandum Joannes Chodeka, Consul Polocensis, multique alii visa Josaphat corporis integritate, imo pulchritudine, dolore cordis tacti intrinsecus pessimum schisma illico ejurarunt. Josaphat sacris indutus vestibis solemni ac pene triumphali pompa Polociam delatus fuit; splendidissimae illi factae sunt exequiae tota comitante civitate; maximoque honore corpus

conditum fuit, omnibus admirantibus, quod jam multis elapsis mensibus incorruptum adhuc perseveraret. Cum vero Poloniae Rex impios parricidas capite damnasset, aliud quoque evenit, quod maximi factum est. Omnes enim non Schismatici uti vixerant, sed in mortis articulo resipiscentes catholicam fidem amplexi, sceleris poenas pie luerunt. Neque hoc satis; sicuti ad preces Stephani protomartyris Saulus caedis et minarum spirans e lupo in agnum commutatus est, ita Iosaphat precibus, ipse Meletius Smotricius, conspiracy uti diximus auctor, atque acerrimus Unionis oppugnator, facti poenitens, Petri cathedrae Romanoque Pontifici ardenti studio adhaesit, catholicamque fidem strenue asserens diem vidit supremum.

§ 10. Beati Josaphat fama non imminuta, sed miraculis et prodigiis aucta in dies est. Itaque Sigismundus III et Wladislaus IV, Poloniae Reges, illiusque regni antistites, proceres, clerus, populusque univ ersus una cum monachorum basiliana familia ab Urbano VIII summo Pontifice, Praedecessore Nostro, qui eodem anno, quo Dei servus obiit, Petri cathedram ascenderat, efflagitarunt, ut eundem Sanctorum catalogo adnumeraret. Quamvis vero summus Pontifex eo ferme tempore constituisset, non posse agi de canonizatione cujusquam nisi quinquaginta elapsis annis a die vel obitus vel martyrii, tamen ob praeclarissima Josaphat merita, *qui Ecclesiam Latinam cum Graeca univit, et pro Christi fide passus fuit* mandavit, *aperiri processus auctoritate apostolica confectos, et ad ulteriora in qualibet congregatione procedi*; volens tamen ut hae causae in exemplum minime haberentur. Servata itaque veteri disciplina, idem Urbanus, Antecessor Noster, jussit, ut processus hujusmodi a tribus romanae rotae auditoribus perpenderentur, nempe a Jo. Baptista Coccino, Philippo Pirovano et Clemente Merlino, qui accuratissime relationem tenuerunt, de ejus martyrio ejusque causa, quam idem Urbanus decreto suo Idibus Septembris MDCXLII ratam habuit. Neque multo post, nempe X Kalendas Decembris ejusdem anni a Sacra Rituum Congregatione decretum est constare de miraculis, et sufficienter haec quatuor probari; primum, Petri Danchevii, Consulis Polocensis, illuminati, alterum Marinae foeminae pedum usui restitutae, tertium Michaelis Viceducis a podagra liberati, quartum denique Gennadii monachi Ordinis S. Basilii et Prioris monasterii Novogratisensis a paralytico morbo sanati. Hisce positis, eadem Sacrorum Rituum Congregatio declaravit, memoratum Dei servum Josaphat Archiepiscopum martyrum catalogo adscribi atque ad solemnem ipsius canonizationem quandocumque deveniri posse. Interea tamen, donec ipsa canonizatio fieret, concessum fuit, *ut ab omnibus monachis S. Basilii ubique locorum degentibus necnon et in omnibus ecclesiis dioecesis et provinciae Poloniae ac*

totius metropolis Russiae tam a saecularibus quam a regularibus die natali ipsius B. Martyris et Pontificis, pridie idus videlicet novembris, officium et missa de communi unius martyris pontificis recitari respective ac celebrari valeat, juxta ritum breviarii et missalis romani nec non graeci seu rutheni ab apostolica sede approbati.

§ 11. Haec sacrae Congregationis sententia ab eodem Urbano VIII, XI Cal. Januarii a. MDCXLIII, probata fuit. Cum vero sacra Congregatio de Propaganda Fide alacrem in hac re operam dedisset, idem summus Pontifex voluit, ut dies ad beati Josaphat memoriam celebrandam ab sacrae Congregationis cardinali praefecto seligeretur, Beatificatio autem expeditis litteris in forma Brevis XVII Cal Jun. MDCXLIII habita est in Vaticano, eximiusque catholicae religionis vindex solemnī pompa inter martyres adscriptus est.

§ 12. Quamvis Deus Optimus Maximus beati Josaphat sanctimoniam innumeris prodigiis et miraculis testari non desierit, tamen bis centum et ultra annos sollemnis haec canonizatio desiderata est. Cum vero hac nostra aetate, perditī homines, ex universo terrarum orbe, Ecclesiam Dei divexare non desinant, impias doctrinas propagare, haereticam pravitatem fovere, atque omnia agere, ut ovile Christi, si non omnino destruant, quod sane fieri non potest, saltem undique a lupis adoriatur; libenter precibus aures Nostras accommodavimus Episcoporum Gallitiae et monachorum Ordinis S. Basilii, atque nobilissimam hanc causam iterum suscipiendam ac penitus absolvendam censuimus. Sententiam itaque pro veritate exquisivimus a dilecto filio nostro Petro Minetti S. Fidei promotore; cumque causa istaec in eodem statu reperiretur, ac illa martyrum japonensium, loco consistorii in consilium in Palatio Vaticano VI Idus Jan. MDCCCLXV convocavimus fratres Cardinales sacris ritibus tuendis praepositos; factoque dubio a dilecto fratre nostro Cardinali Constantino Patrizi, Episcopo Portuensi et S. Rufinae, ejusdem Sacrae Congregationis praefecto ac cause relatore, an tuto procedi posset ad solemnem B. martyris Josaphat canonizationem, omnes uno ore assenserunt. Cum vero in re tanti momenti divini Spiritus opem a nobis diu exorandam duxerimus, nostram distulimus proferre sententiam usque ad diem VI Nonas Maji ejusdem anni, S. Athanasio catholicae fidei vindici sacram. Hac itaque die ad ecclesiam ipsius S. Athanasii graeci ritus concessimus missae sacrificio graeci ritu ceremoniisque solemniter peracto adstitimus; atque deinde accitis dilecto fratre nostro superius memorato Constantino Patrizi et dilectis filiis nostris Petro Minetti, S. Fidei Promotore, Dominico Bartolini ejusdem sacrae Congregationis a secretis, ceterisque de more adstantibus pronunciavimus

tuto procedi posse ad solemnem B. Josaphat Kuncevicii, Archiepiscopi Polocensis et Ruthensis, martyris canonizationem.

§ 13. Ad servandam autem in tam gravi negotio a praedecessoribus nostris praescriptam agendi rationem, primum universos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in consistorio habito III Nonas Junii ejusdem anni MDCCCLXVII sententiam rogaturi coram nobis convocavimus, qui Beati Josaphat gestis a dilecto filio Francisco Morsilli nostrae consistorialis aulae advocato auditis, Nos ad legitimam causae hujus absolutionem una voce cohortati sunt. Curavimus etiam litteris a Sacra Concilii Congregatione datis, ut non modo viciniore Episcopi, sed remotissimi quoque Americae, caeterique qui orientales plagas incolunt, cumque hac Sancta Apostolica Sede communionem habent, de hac re commonerentur, seque ad urbem conferrent, ut nobis de solemni B. Josaphat canonizatione aliorumque quos illi sociavimus consilia suppeditarent quomodo Spiritus Sanctus illis eloqui daret. Qui cum ex universo terrarum orbe plurimi convenissent, causa plene cognita tum ex iis quae gesta fuerant in publico consistorio coram Nobis, uti diximus coacto III Nonas Junii, tum ex monumentis a Sacra Rituum Congregatione, quorum exemplar unicuique tradi voluimus, in semipublicum consistorium coram Nobis coactum convenerunt III Idus Jun. MDCCCLXVII, non modo Ven. fratres Nostri S. R. E. Cardinales sed Patriarchae, Primate, Archiepiscopi, Episcopi omnes in eandem sententiam conspirarunt. Cujus rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae notariis publice confecta in tabularium Sanctae Romanae Ecclesiae relata sunt.

§ 14. Ad solemnem hanc canonizationem celebrandam decrevimus diem III Cal. Julii volventis anni saecularem, teste Hieronimo, faustissimae illius diei, qua in hac ipsa urbe Apostolorum principes martyrii palmam receperunt, fidemque ab ipsomet Christo acceptam suo sanguine confirmarunt. Putavimus enim splendidius hanc memoriam celebrari non posse, quam tot novensilium sanctorum aucta pompa atque laetitia. Indictis interea in urbe jejuniis statutisque ecclesiis ad sacras indulgentias lucrandas hortati sumus omnes Christifideles, ut precibus et obsecrationibus instantes caelestem Nobis opem in tanto negotio implorarent.

§ 15. Ubi faustissima illuxit dies, omnes, tum saecularis, tum regularis cleri ordines, singuli Romanae Curiae praesules et officiales, cuncti denique Ven. Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primate, Archiepiscopi, Episcopi, ad numerum quatrigentorum et ultra in Vaticanam basilicam convenerunt, ceu sponsae ritu mirifice ornatam, quibus praeestantibus solemni supplicatione ingressi sumus. Tunc dilectus frater noster Constantinus Patrizi, Episcopus Portuensis et S. Rufinae,

canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Joanne Baptista De Dominicis Tosti, Nostrae consistorialis aulae advocato, vota Nobis precesque detulit sacrorum antistitum, universaeque basilianae familiae, ut Beatum Josaphat cum aliis viginti quinque beatis in sanctorum numerum referremus. Cum vero iterum et tertio memorati Cardinalis et nostrae consistorialis aulae advocatus Nos obsecrati fuissent, ut tandem aliquando nostram aperissemus sententiam, primum universae caelestis aulae praesidio, dein divini Spiritus lumine implorato, ad honorem sanctae et individuae Trinitas, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, matura deliberatione et voto fratrum Nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Primate, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, praedictum B. Josaphat Kuncevicium Episcopum, Polocensem et Ruthensem, Ordinis S. Basilii Magni, sanctorum martyrum albo accensuimus. Cui addidimus Petrum De Arbues alias Magistrum Epilae, Ecclesiae Metropolitanae CaesarAugustanae canonicum regularem S. Augustini, Nicolaum Pichium Ordinis Fratrum Franciscaliū aliosque XVIII socios Gorgomienses appellatos, omnes martyres, Beatum Paulum Clericorum Regularium exaltatorum a Cruce et passione Domini Nostri Jesu Christi Fundatorem, B. Leonardum a Portu Mauritio Missionarium Apostolicum Minorum S. Francisci strictioris observantiae in recessu S. Bonaventurae de urbe Confessores, atque B. Virgines Mariam Franciscam a Vulneribus Domini Nostri Jesu Christi tertiariam professam Ordinis Minorum S. Petri De Alcantara in provincia Neapolitana, et Germanam Cousin ex oppido Pibrac, Tolosanae dioecesis, virtutibus, Christi imitatione et prodigiis omnes spectandos.

§ 16. Ejusdem S. Josaphat memoriam quotannis die XII Novembris in romano martyrologio recolendam mandamus, atque omnibus Christifidelibus, qui ejus sepulchrum ea die venerati fuerint indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in Domino perpetuo elargiti sumus. Gratiis deinde Deo optimo maximo relatis, sacrum solemniter litavimus, laetitiamque animi Nostri compescere nescientes, sancti Evangelii peracta lectione universum clerum populumque adstantem cohortati sumus, ut novensilem Christi Martyrem venerarentur, imitarentur, ipsumque cum Apostolorum Principibus, enixe rogarent, ut in hisce potissimum Ecclesiae calamitatibus potentem apud Deum adiutorem experiamur. Plenaria denique indulgentia peramanter impertita, apostolicas hasce litteras manu Nostra, ac omnium S. R. E. Cardinalium signatas, ac sigillo Nostro munitas expediri mandavimus.

§ 17. Oh ter, quaterque beatus Josaphat, qui Dominici gregis par-

tem a Christo sibi custodiendam traditam, ea sedulitate, diligentia, atque alacritate servavit, ut ipsius vitae florenti aetate prodigus esse non dubitaverit. Non minae, non contumeliae, non fraudes, non calumniae illum terruerunt, blandimentis, muneribus, ceterisque mundi oblectamentis captus minime fuit; impigre contra schismaticos, atque acatholicos undique pugnavit. A Romana Petri cathedra vel ad unguem avelli minime passus est. Sicariorum ictibus cum peteretur, non aufugit, caput suum illis ultro objecit, pastorumque pastorem imitatus non modo illi veniam sed pro ipsis sanguinem suum Deo libentissime obtulit. Felix deprecatio, quae illico exaudita est. Non modo duces patrati facinoris sed sicarios ipsos a civili potestate ad luendam poenam vocatos, facti poenituit, atque ipsi ad catholicam fidem morientes reversi sunt. Utinam, Sancte Josaphat, tuus ille cruor, quem pro Christi Ecclesia effudisti, sit illius unionis tessera cum Sancta hac Apostolica Sede, quam semper in votis habuisti, quamque diu noctuque enixis precibus a Deo Optimo Maximo expostulasti. Quod ut tandem aliquando eveniat, apud ipsum Deum coelestemque aulam te deprecatores assiduum exoptamus.

§ 18. Omnibus quae inspicienda erant bene perpensis, certa ex scientia et Apostolicae auctoritatis nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus, universaeque catholicae Ecclesiae denunciamus mandantes, ut eorumdem praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii Apostolici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris litteris praesentibus haberetur, si exhibitae atque ostensae forent.

§ 19. Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis, et voluntatis infringere, vel temerario ausu contraire voluerit aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum, Pridie Nonas Julii, Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo septimo.

Pontificatus Nostri Anno vigesimo secundo.

† Ego Pius Catholicae Ecclesiae Episcopus.

(*Rota cum inscriptione: in medio: Sanctus Petrus - Sanctus Paulus - Pius PP. IX. In circulo: DOMINE REFUGIUM FACTUS ES MIHI* ✠).

† Ego Marius episcopus Hostiensis et Veliternus, card. decanus Mattei, Pro Datarius.

† Ego Constantinus episcopus Portuensis et S. Rufinae card. Patrizi.

† Ego Aloisius episcopus Praenestinus card. Amat, Vice-Cancellarius.

†

- † Ego Ludovicus episcopus Albanensis card. de Alteriis, S. R. E. Camerarius.
- † Ego Nicolaus card. episcopus Tusculanus Clarelli Paracciani, Bre-
vium a Secretis.
- † Ego Philippus tituli sancti Bernardi ad Thermas proto-presbyter card.
De Angelis, archiepiscopus Firmanus.
- †
- † Ego Aloisius tituli sanctae Praxedis presbyter cardinalis Vannicelli
Casoni, archiepiscopus Ferrariensis.
- †
- †
- † Ego Cosmas tituli sanctorum Joannis et Pauli presbyter card. Corsi,
archiepiscopus Pisanus.
- † Ego Fabius Maria tituli sancti Stephani in Monte Caelio, presbyter
card. Asquini.
- † Ego Dominicus tituli sanctae Mariae Angelorum ad thermas presbyter
card. Carafa de Traetto, archiepiscopus Beneventanus.
- † Ego Sixtus tituli sanctae Sabinae presbyter card. Riario-Sforza, archie-
piscopus Neapolitanus.
- † Ego Jacobus Maria Hadr. Caesar. tituli sancti Silvestri in capite pre-
sbyter card. Mathieu, archiepiscopus Bisuntinus.
- †
- † Ego Franciscus Augustus tituli sanctae Mariae in Via presbyter card.
Donnet, archiepiscopus Burdigalensis.
- †
- † Ego Camillus tituli sancti Joannis ante portam latinam presbyter
cardinalis De Petro.
- † Ego Joachim tituli sancti Chrysogoni presbyter card. Pecci, archiep.
episcopus Perusinus.
- †
- † Ego Carolus Augustus tituli sanctae Caeciliae Trans-Tiberim presby-
ter card. De Reisach.
- †
- † Ego Alexander tituli sanctae Susannae, presbyter card. Barnabò.
- †
- † Ego Antonius Benedictus tituli sanctorum Silvestri et Martini presby-
ter card. Antonucci archiep. episcopus Anconitanus et Humanus.
- †
- † Ego Joseph tituli sanctae Mariae in Aracaeli, presbyter card. Milesi-
Pironi-Ferretti, abbas sanctorum Vincentii et Anastasii ad Aquas
Salvias.

- † Ego Petrus tituli sancti Marci, presbyter Card. De Silvestri.
- †
- †
- † Ego Carolus tituli sanctae Mariae de populo, presbyter card. Sacconi.
- † Ego Michael tituli sanctae Priscæ presbyter card. Garcia-Cuesta, archiepiscopus Compostellanus.
- † Ego Angelus tituli sanctorum Andreae et Gregorii in Monte Coelio presbyter card. Quaglia.
- † Ego Fr. Antonius Maria tituli sanctorum XII Apostolorum presbyter card. Panebianco, poenitentiarius major .
- † Ego Joseph Aloisius tituli sanctorum Nerei et Achillei presbyter card. Trevisanato patriarcha Venetiar.
- † Ego Antonius tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter card. De Luca.
- † Ego Joseph Andrea tituli sancti Hieronimi Illicorum presbyter card. Bizarri.
- † Ego Lodovicus tituli sancti Petri ad Vincula presbyter card. de la Lastra y Cuesta, archiepiscopus Hispalen.
- † Ego Jo. Baptista tituli sancti Callixti presbyt. card. Pitra.
- † Ego Philippus Maria sancti Xisti presbyter card. Guidi, archiepiscopus Bononiens.
- † Ego Henricus Maria tituli sancti Clementis presbyter card. De-Bonnechese archiep. Rhotomagen.
- † Ego Paulus tituli sancti Petri in Monte Aureo presbyter card. Cullen. archiepis. Dublinen.
- † Ego Gustav tituli sanctae Mariae in Traspontina presbyter card. De Hohenlohe.
- † Ego Aloisius tituli sancti Laurentii in Pane Perna presbyter card. Bilio.
- † Ego Joseph sanctae Mariae in Via Lata card. Protodiaconus Ugolini.
- † Ego Joseph sancti Gaesarei card. diaconus Bofondi.
- † Ego Jacobus sanctae Agathæ ad Suburram card. diaconus Antonelli.
- † Ego Robertus sanctae Mariae ad Martyres card. diaconus Roberti.
- † Ego Prosper sanctae Mariae de Scala card. diaconus Caterini.
- † Ego Gaspar sanctorum Viti et Modesti card. diaconus Grassellini.
- † Ego Theodulphus sancti Eustachii card. diaconus Mertel.
- † Ego Franciscus sanctae Mariae in porticu card. diaconus Pentini.
- † Ego Dominicus sanctae Mariae in Domnica card. diaconus Consolini.
- M. card. Mattei Pro-datarius. N. card. Clarelli Paracciani.
- Loco ✱ Plumbi. Visa De Curia. Bruti.

I. Cugnioni.

Reg. in Secret. Brevium.

569.

Romae, 1867.

*Nota summarum acceptarum pro expensis Canonizationis.*D. BARTOLINI, *op. cit.*, II. p. 476-7.CENTENARIO DEI SS. APOSTOLI E CANONIZZAZIONE
DEL 29 GIUGNO 1867

| CAUSE INTERESSATE | | Distinta | Totalità | |
|-------------------|--|----------|----------|----------|
| 1. ^a | D. S. GIOSAFAT | | | |
| | Dall'Illmo e Rmo Monsig. Giuseppe Sembratowicz Arciv. di Nazianzo Compostulatore | 6000 | » | » |
| | Dall'Illmo Monsig. Domenico Bartolini segret. della Congreg. dei S. Riti e Presidente delle Postulazioni | 1264 | 39 | » |
| | Dal R. sacerdote D. Isidoro Dolniski per ordine di S. Eminenza Rma Sig. Card. Patrizi Ponente della Causa e Prefetto della med. sac. Congregazione in denaro | 1410 | 72 | » |
| | Più in un Certificato di consolidato al Portatore del valore di Lire 100, che al ragguaglio di 85 si accetta per | 15 | 81 | 8690 92 |
| 2. ^a | DI S. PIETRO ARBVES | | | |
| | Dal Rmo P. Giuseppe Reig Procuratore Gen. della Mercede e Postulatore in più volte | » | » | 6870 » |
| 3. ^a | DEI SS. MARTIRI GORCOMIESI | | | |
| | Dal Rmo P. Bernardino dalle Grotte Postulatore Gen. dei Minori Osservanti | 6870 | » | » |
| | Dall'Ill.mo Monsig. Sacrè per il Clero secolare | 6870 | » | « |
| | Dallo stesso per l'Ordine de' Premonstratensi | 6870 | » | » |
| | Dalla Postulazione de' Predicatori | 6870 | » | 27480 » |
| | A riportare sc. | « | » | 43040 92 |

CENTENARIO DEI SS. APOSTOLI E CANONIZZAZIONE
DEL 29 GIUGNO 1867

| | Riporto sc. | Distinta | Totalità |
|-----------------|---|----------|-----------|
| | | » » | 43040 92 |
| 4. ^a | DI S. PAOLO DELLA CROCE | | |
| | Dal P. Emidio della Vergine Addolorata Postulatore Gen. dei Passionisti | » » | 6870 » |
| 5. ^a | DI S. LEONARDO DA PORTO MAURIZIO | | |
| | Da S. Eccellenza Sig. Duca Grazioli Sindaco della Causa | » » | 6870 » |
| 6. ^a | DI S. M. ^a FRANCESCA DELLE CINQUE PIAGHE | | |
| | Dall'Illmo Monsig. Clemente Buratti Postulatore | » » | 6870 » |
| 7. ^a | DI SANTA GERMANA COUSIN | | |
| | Dall'Illmo Sig. Cesare Pucciarmati Postulatore | » » | 6875 » |
| | <i>Dalla vendita degli oggetti</i> | | |
| | Il ritratto di questo titolo si limita alle sole tele, ed alle gocce di cristallo che si saranno recuperate: perché il cerume, il legname ed il ferro dato indietro ai rispettivi Artisti si diffalcherà dall'importo dei loro conti: finora non se n'è realizzato che poca cosa, ma si calcola che tutt'assieme potrà verificarsi nella somma di | » » | 150 » |
| | TOTALITA' DELL'INTROITO | » » | 70675 92 |
| | E più a pareggio del retroscritto importo di spese da regolarsi tra i Postulatori alla vendita definitiva degli oggetti | » » | 41 95½ |
| | SOMMA E PAREGGIO SC. | » » | 70717 87½ |

Romae, 28 . VII . 1882.

BREVE quo nonnulla inseruntur sanctorum officia in Kalendario tum universali tum Cleri Romani, simulque praecipitur quomodo mutanda sit rubrica generalis Breviarii Romani tit. X de translatione festorum, ut in utroque Kalendario habeantur sedes liberae ad nova officia introducenda.

ACTA SANCTAE SEDIS, vol. XV, pag. 54-56, Romae 1898.

LEO PP. XIII. - AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Nullo unquam tempore Romani Pontifices Antecessores Nostri praetermiserunt Sanctorum virorum, qui doctrina, virtute, rerum gestarum praestantia Catholicam Ecclesiam, dum in terris agerent, illustrarunt, memoriam in animis Christifidelium, eorum praesertim, quorum est ceteros exemplo anteire, quo altius possent imprimere. Id autem hac inter alias ratione consequuti sunt, eorundem scilicet Sanctorum festa sive in Universali, sive in Particularibus Ecclesiis indulgendo, ac vitae et rerum gestarum historiam Breviariis inserendo, ut qui divinas preces recitare tenentur, ab iis virtutum illorum factorumque memoria cum laude quotannis repetatur. Hinc nostris etiam temporibus sa. me. Pius Papa IX Praecessor Noster vota excipiens et preces multorum Sacrorum Antistitum, qui Romam convenerant Oecumenici Concilii Vaticani causa, peculiarem constituit Anni MDCCCLXXIV Sacrorum Ritum Congregationem, cui munus detulit expedendi utrum opportunum esset in Kalendario Ecclesiae Officia inserere nonnullorum Sanctorum, qui Apostolorum opus prae ceteris prosequuti Ecclesiae universae aedificandae ac tuendae, et inter diversas gentes dilatandae impensius adlaborarunt: Officia haec erant Sanctorum Bonifacii Episcopi et Martyris, Iustini Philosophi Martyris, Cyrilli et Methodii Pontificum et Confessorum, Cyrilli Episcopi Alexandrini, Cyrilli Episcopi Hierosolymitani et Augustini Cantuariensis. Haec autem peculiaris Congregatio Sacrorum Rituum, omnibus quae ad rem pertinerent accurate perpensis, expedire censuit Officium S. Bonifacii ritu duplici ad universam Ecclesiam extendi, indulgendumque esse illis, qui S. Iustini Officium peterent eodem ritu; de aliis rem differre placuit. Quam sententiam idem Praecessor Noster ratam habuit et confirmavit. Haec tum quidem acta sunt. Anno autem MDCCCLXXX visum est Nobis, Sanctis Fratribus Cyrillo et Methodio Slavoniae gentis Apostolis eiusdem cultus honorem tribuere, S. Bonifacio, ut diximus, a Praecessore Nostro delatum. Porro cum Sacrorum Antistites ac Fideles rogare pergerent, ut pari

honore condecorarentur tum S. Iustinus, tum alii inclyti Caelites, de quibus prolata res fuerat, tum S. Iosaphat Episcopus Polocensis Martyr, praeclarum Polonae ac Ruthenae gentis lumen: cumque habenda esse tandem ratio videretur postulationum, quae a Romano Clero Apostolicae Sedi porrigebantur pro inscribendis in Calendario Urbis festis quorundam Sanctorum, qui Urbem ipsam suis illustrarunt exemplis et finem laborum suorum ibi assequuti eam propriis nobilitarunt exuviis; idcirco Nos particularem Sacrorum Rituum Congregationem a Praecessore Nostro iam pridem deputatam iterum constituere duximus. eique mandavimus ut opportune expenderet, qua ratione in Calendario sive Universali sive Cleri Romani Officia praedicta et alia in posterum, si opus esset, inseri possent. Itaque approbantes, et confirmantes, quae a Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus aliisque dictam Congregationem componentibus decreta, et per Venerabilem Fratrem Nostrum Dominicum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Bartolinum Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum relata Nobis fuerunt, Auctoritate Nostra Apostolica volumus et praecipimus, ut in Calendario Universali Ecclesiae sub ritu duplici minori inscribantur Officia: die IX Februarii S. Cyrilli Alexandrini Episcopi Confessoris; die XVIII Martii S. Cyrilli Hierosolymitani Episcopi Confessoris; die XIV Aprilis S. Iustini Philosophi Martyris; die XXVIII Maii S. Augustini Episcopi Cantuariensis Confessoris; die XIV Novembris S. Iosaphat Episcopi Polocensis Martyris; deinde ut in Calendario Cleri Romani sub ritu item duplici minori inscribantur Officia: die XVI Aprilis S. Benedicti Iosephi Labre Confessoris; die XXIII Maii S. Ioannis Baptistae De Rossi Confessoris; die XIX Augusti B. Urbani II Papae et Confessoris; die XI Octobris B. Ioannis Leonardi Confessoris; die XVII Decembris S. Leonardi a Portu Mauritio Confessoris; affigantur autem in eodem Calendario Cleri Romani festa S. Cyrilli Alexandrini diei XX Februarii, S. Cyrilli Hierosolymitani diei XX Martii, S. Augustini Cantuariensis diei VII Iunii et S. Iosaphat Polocensis diei XIV Decembris. Quo vero in utroque Calendario tum Universali tum Cleri Romani habeantur sedes liberae ad nova Officia introducenda, eadem Auctoritate Nostra volumus ac praecipimus, ut Rubrica Generalis Brevariarii Romani tit. X de Translatione Festorum hac ratione mutetur; videlicet: « Festa duplicia minora (exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum) et Festa semiduplicia, si occursu Dominicae vel Maioris Festi seu Officii quomodocumque impediuntur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio. cum nona lectione historica, sive una ex duabus aut tribus, si tamen haec eo die fieri possint, secus huiusmodi festa duplicia et semiduplicia

eo anno penitus omittuntur, ut de simplici cautum est in rubric. tit. IX num. X, tit. X num. VIII »; postremo ut praesentes litterae Apostolicae in novis editionibus Breviarii ad calcem Rubricae interim apponantur, donec accurata Rubricae ipsius correctio per Sacrorum Rituum Congregationem perficiatur. Haec praecipimus et mandamus, non obstantibus Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII Iulii MDCCCLXXXII. Pontificatus Nostri Anno quinto.

TH. CARD. MERTEL.

Romae, 1882.

Missa S. Iosaphat in Kalendario Romano, ad mentem Brevis Leonis PP. XIII in universo orbe catholico introducta.

ACTA SANCTAE SEDIS, vol. XV, pag. 282-284 (Appendix IV), Romae 1898.

DIE XIV NOVEMBRIS.
SANCTI IOSAPHAT
Episcopi et Martyris.

Introitus.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Iósaphat Mátyris; de cuius passióne gaudent Angeli, et coláudant Filium Dei.

Ps. 32. Exultáte iusti in Dómino: rectos decet collaudátio.

Ÿ. Glória Patri.

Oratio.

Excita, quaesumus Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo replétus beátus Iósaphat Martyr et Póntifex tuus, ánimam suam pro óvibus pósuit: ut, eo intercedénte, nos quoque eódem Spíritu moti ac roboráti, ánimam nostram pro frátribus pónere non vereámur. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem Spíritus.

Léctio Epístolae beáti Pauli Apóstoli ad Hebraeos.

Hebr. 5.

Fratres: Omnis póntifex ex homínibus assúptus, pro hominibus contitúitur in iis, quae sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrificia pro

peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant et errant: quóniam et ipse circumdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmódum pro populo, ita etiam et pro semetipso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut pón tifex fieret: sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hodie génui te. Quemádmódum et in alio loco dicit: Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum ór dinem Melchí sedech.

Graduale. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei et bráchium meum confortábit eum.

Ÿ. Nihil proficiet inimicús in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. Allelúia, allelúia.

Ÿ Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúia.

Tempore Paschali.

Allelúia, allelúia.

Ÿ. *Ps. 88.* Confitebúntur caeli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúia.

Ps. 20. Posuísti, Dómine, super caput eius coronam de lápide pretióso. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 20. Desidérium animae eius tribuísti ei: et voluntáte labiórú eius non fraudasti eum.

Ÿ. Quóniam praevenísti eum en benedictionibus dulcédinis.

Ÿ. Posuísti in cápite eius coronam de lápide pretióso.

Sequéntia sancti Evangélíi secúndum Ioánnem. *Ioan. 10.*

In illo témpore: Dixit Iesus Phariseis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves própriae, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco meas, et cognóscunt me meae. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quae non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Offertorium. Ioan. 15. Maiórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Secreta.

Clementíssime Deus, múnera haec tua benedictióne perfúnde, et

nos in fide confirma: quam sanctus Iósaphat Martyr et Póntifex tuus, effúso ságuine, adsérui. Per Dóminum.

Communio. Ioan 10. Ego sum pastor bonus, et cognósco oves meas, et cognóscent me meae.

Postcommunio.

Spíritum, Dómine, fortitúdinis haec nobis tríbuat mensa caeléstis: quae sancti Iósaphat Mártiris tui atque Pontificis vitam pro Ecclésiae honóre iúgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.


Hic textus Missae ritus latini, usque ad nostra tempora validus, anno 1867 a Pro-rectore Collegii Graeci de Urbe propositus ad usum sacerdotum ritus latini eiusdem Collegii, sequentem obtinuit approbationem:

« SS. Dominus noster Pius Papa IX, referente subscripto S.R.C. Secretario, ad enixas preces R. P.D. Laurentii Jacovacci pro-Rectoris Collegii Graecorum in Urbe Missam propriam in honorem S. Josaphati Ep. et Mart., ab eodem Secretario una cum R.P.D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore revisam et correctam, uti superiori in exemplario adnotatur, suprema auctoritate sua approbavit indulsitque ut eadem Missa in festo memoriali Sancti legi valeat ad omnibus sacerdotibus qui in ecclesia vel sacellis Collegii ipsius Sacrum Sanctum erunt facturi: dummodo Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 4 Iulii 1867. (L.S.) Cardinal. Patrizi S.R.C. Praefectus. — D. Bartolini, S.R.C. Secretarius ».

Hic textus iam an. 1867 a quibusdam dioecesibus acceptus fuit, et anno 1882 in universa Ecclesia introductus.

Similia valent de Officio Divino, eius nempe lectionibus Nocturni (IV, V, VI), quae item ex usu Collegii Graeci proveniunt, paucis emendatis anno 1882.

Cfr. de his quaestionibus: quoad Missam, et Officium in ritu latino: A. G. WELYKYJ, OSBM, *Missa et Officium S. Josaphat in Ecclesia ritus latini*, in « *Analecta OSBM* », vol. VI, Romae 1967; quoad festum S. Josaphat in Ecclesia Ucraina: M. M. WAWRYK, OSBM, *Festum S. Josaphat in Ecclesia Rutheno-Ucraina*, ibidem.



SEPULCHRUM S. JOSAPHAT SUB ALTARI S. BASILII M. IN BASILICA VATICANA
(in statu hodierno)

INDEX NOMINUM TRIUM VOLUMINUM

R.P. HLIB G. KINACH, OSBM

Numeris: I. - II. - III. - signantur singula volumina collectionis: « S. Josaphat - Hieromartyr », edita: Romae 1952 (vol. I), - 1955 (vol. II), - 1967 (vol. III); numeris simplicibus signantur textus paginarum; signati vero « n » referuntur ad notas respectivarum paginarum. Sola nomina ponuntur; res vero nonnullae indicantur, quae ut nomina considerantur.

- ABANENSIS dioec. III. 181.
 ABBONDANZA Caietanus III. 418.
 ABRAHAM, jud. Vitebsc. I. 113.
 ABRAMOVICIUS Dorotheus, cons. Poloc. I. 138. - Filius Simeon I. 139. cf. Achramowicz.
 ACCURENSIS Victorius, abbas II. 11.
 ACHELON, civ. II. 257.
 ACHRAMOWICZ (Abramovicus, Achramovitius) Dorotheus, I. 107. 138; II. 114. 130. 131. 137. 140. 142. 178. 179. 287-300. 339; III. 52n. 54. 56. 69. 72. 75. 77. 78. 104. 105. - Simeon, filius I. 139; II. 23. 27. 292. 339.
 ADAMUS... S.J. rector II. 315.
 ADJACEN. Ep. III. 342.
 ADRIANOPOLIS, op. II. 227. 303.
 ADRIANUS II, Papa, II. 152.
 ADRIANUS Pater, v. Podbereskyj.
 AEDUNENSIS Ep. III. 351.
 AEGYPTUS III. 301.
 AESINAS. AEp. III. 309.
 AFANASOVICIUS (Aphanasovitius) Optatus I. 107. 142. II. 142.
 AGATAE GOTHORUM Ep. II. 44. 63. 87. 102. 159.
 AKWIN Jan I. 279n.
 ALBANO, Ep. III. 304.
 ALBANI, Card. Alexander (1721-79) III. 232.
 ALBANI, Card. Hannibal, S. Clementis III. 232.
 ALBA RUSSIA v. Bielarussia.
 ALBERICI Marius, secret. III. 125n.
 ALBERNOTIUS, Card. Egidius (1630-49) III. 13.
 ALBITIUS, cons. III. 89. 222 (De Albiciis).
 ALBIZIUS (Albizzi), Card. Franciscus (1654-84) III. 168. 171. 190. 191. 218. 219. 221. 222.
 ALCANTARA, op. III. 412 (Franciscus excalc.). 438 (Tertiarii Ord. Min. S. Petri De Alcantara).
 ALCIATI Terentius, S.J., II. 103. 148; III. 43. 51. 82. 89 (Alciatus). 96. 111. 113n.
 ALETRINAS, Ep. III. 347.
 ALEXANDER III, Papa, II. 152.
 ALEXANDER IV, Papa, II. 178; III. 262.
 ALEXANDER VII, Papa, III. 146. 147. 149. 159. 203. 209. 210. 224. 271.
 ALEXANDER, rex Polon. I. 259.
 ALEXANDER, AEP. Urbini III. 340.
 ALEXANDER, Ep. S. Bonifacii III. 354. 355.
 ALEXANDER OSBM., I. 289n.
 ALEXANDER Carolus (Waza) I. 37n.
 ALEXANDROWICZ Caim, judaeus Viteps. I. 113. 218.
 ALEXANDROWICZ Constantinus, judex III. 174.
 ALEXIEJEWICZ Petrus, pop. I. 278. 279n (Alexiewicz).
 ALEXIEN. Ep. III. 344. 345.
 ALLEPEN. AEp. III. 320.
 ALLEPINUS, Ep. III. 343.
 ALMIRA, Ep. III. 343.
 ALOISIUS, Ep. Assisien. III. 351. 352.
 ALOYSIUS, Ep. Uritanus III. 398. 399.
 ALTERIUS, Card. III. 218. 221. 222. 227. 228.
 ALTERIUS, Ep. Camerinen. III. 35.
 ALTIERI, Card. Ludovicus III. 290. 428.
 ALTODUNEN. Ep. III. 342. 343.
 AMASIENSIS, AEp. III. 323.
 AMAT, Card. A. III. 304. 428. 439.
 AMERICA III. 301. 437.
 ANABAPTISTAE I. 180. 197. 200. 239; II. 118. 178; III. 135. 262.
 ANAGNINUS, Ep. III. 347. 348.
 ANCIRA, Ep. III. 349.
 ANCONA, op. I. 50n; III. 440 (Anconitanus Ep.).
 ANDEGAVEN. Ep. III. 341. 342.

- ANDREAS, custos II. 262.
 ANDREAS, consul Poloc. III. 54.
 ANDRENSIS Adm. III. 397.
 ANDRIA, Ep. III. 345. 347.
 ANDRUSOV, loc. III. 193 (pax). 200.
 ANDRZEJEWSKI Joannes II. 202.
 ANGEBAULT Emil, Ep. III. 341. 342.
 ANGLI II. 152; III. 301 (Angeli).
 ANGLIA II. 152; III. 86.
 ANGLONEN, Ep. III. 350. 351.
 ANICIEN, Ep. III. 350.
 ANKUDOWICZ Josaphat, OSBM, III. 230n.
 ANNA Catherina (Waza) I. 37n.
 ANTIBAREN. AEp. III. 321.
 ANTIOCHIA, op. I. 249. - Concilium I. 238.
 242. - Patriarcha II. 169; III. 319.
 ANTIOCHUS I. 254.
 ANTIPARENSIS, Ep. III. 352.
 ANTISTITES III. 403. 408. 409. 421. 423.
 ANTONELLI, Card. Jacobus III. 290. 317.
 441.
 ANTONIUS, AEP. Salernitan. III. 335. 336.
 ANTONIUS, Ep. Urbariensis III. 398.
 ANTONIUS Maria, Ep. Fabrianensis III. 366.
 367.
 ANTONIUS Maria, Ep. Nuceren. III. 401.
 ANTONUCCI, Card. Antonius Benedictus
 III, 440.
 APELIAN Petrus, AEp. III. 323.
 APHANASOVICIUS Optatus II. 142. -
 v. Afanasovitius.
 APHANASOVITIUS Stephanus I. 128.
 AQUAE Salviae, Abbatia 440.
 AQUEN. Ep. III. 348. 349.
 AQUIPENDII, Ep. III. 344.
 ARACHIAL Josephus, Ep. arm. Ancirae III.
 349.
 ARAGONIA III. 279. 294. 299. 303. 305.
 313. 338. 339. 343. 350. 357. 358. 367.
 390. 392. 399.
 ARBUES, loc. - v. S. Petrus de A.
 ARCADIVS, Imperator I. 256.
 ARCATIUS, Ep. III. 268. - cf. Arsadius.
 ARCHIEPISCOPI III. 403. 404. 408. 410.
 415. 422. 424. 437. 438.
 ARCIMOV Aleszko I. 279n. - v. Artemowicz.
 ARCUDIUS Petrus I. 175; II. 222. 223. 322.
 ARETHUSIA, Ep. II. 176.
 ARIANI II. 169.
 ARICHAT (Antigonish), Ep. III. 341.
 ARIGNANUM, loc. III. 375.
 ARMENI III. 203. 277. 278. 301. 320. 322.
 323. 325. 329. 336. 337. 349. 366. 396.
 415.
 ARMINENSIS, Ep. III. 321.
 ARSATIUS, Ep. sch. II. 183. - cf. Arcadius.
 ARSENIUS, Ord. S. Antonii, AEp. Tarsensis
 III. 337.
 ARTEMOWICZ Alexius I. 279. - v. Arcimov.
 ASCULANUS, Ep. III. 349. 350.
 ASQUINI, Card. Fabius Maria III. 307. 308.
 440.
 ASSISIEN. Ep. II. 31; III. 351. 352.
 ASONAVIUS Joannes I. 278.
 ATHANASIUS, nepos Marinae I. 141.
 AUGUSTAE VINDELICORUM, civ. I. 289.
 AUGUSTIANI II. 36. 64; III. 383. 411.
 AUGUSTUS, rex Polon. I. 254. 260.
 AURINENSIS, Ep. III. 351.
 AUSTRALIA III. 301.
 AUSTRIA I. 34. 37n. 362n.
 AUXIMANUS, Ep. III. 321.
 AZZOLINUS, Card. Decius III. 168. 190.
 191. 218. 219. 221. 222.
 BAALBEK (Heliopolis), Ep. III. 352. 353.
 BABILAS, Patr. Antiochen. II. 169.
 BABINOWSKI Matthaeus, can. II. 202.
 BABYLONEN. Ep. III. 352.
 BACHANSKI I. 180.
 BALBIN Bogusław II. 17n.
 BALBISCUS Achila (Balbyszko Okolow) I.
 278. 279n.
 BALITIAN Gregorius, AEp. armen. Alipien.
 III. 320.
 BALNEOREGIENSIS, Ep. III. 357. 358.
 BALTICUM MARE I. 52n. 54n. 84n.
 BANDINUS, Card. Octavius (1596-1629) I.
 18. 24n. 48. 62. 65. 68. 73. 298. 301. 304.
 305n; II. 8.
 BARBERINI, Card. II. 65. 148; III. 190.
 191. 196. 218. 221. 222. 227. 232.
 BARBERINI Card. Antonius, sen., Sti Onuph-
 rii II. 79n. 181. 191. 199; III. 24. 35. 89.
 BARBERINI, Card. Antonius, jun. II. 82n.
 83. 193. 197. 198. 199; III. 7. 9. 13. 14.
 24n. 117. 122. 139. 143n. 152n. 190. 191.
 266.
 BARBERINI, Card. Carolus III. 228.
 BARBERINI, Card. Franciscus I. 6n. 304;
 II. 181; III. 195. 266.
 BARBERINI, Card. Matthaeus I. 6n.
 BARCINONEN. Ep. III. 355.
 BARNABO, Card. Alexander III. 310. 428.
 440.
 BARONIUS, Card. Caesar II. 152. 153. 166-
 169. 188; III. 268.
 BARTHOLOMAEUS, chirurg. Vitebsc. II.
 262.
 BARTOLINI Dominicus, secret. III. 277. 289.

290. 426. 436. 442.
 BARTOLINIUS, Card. III. 445. - v. Bartolini.
 BARTOLOMEI Henricus, pictor III. 418.
 BARZYKOWSKI III. 273.
 BASILEA, civ. I. 259n (Concilium).
 BASILIANAE (Monachae), Ordo S. Basilii Magni I. 8n. 108. 117. 160. 162. 219. 286; II. 20. 170. 229. 252. 313. 340; III. 230n. - monasterium I. 286; III. 256. - v. Minsk, Polock.
 BASILIANI (Ordo S. Basilii Magni, Monachi Rutheni) I. 5n. 7. 9. 10. 14. 20n. 22. 24. 34-36. 38. 44. 46n. 52n. 55. 57. 58. 60-63. 67-69. 72. 74. 78. 80-85. 90. 94. 97. 99. 100. 108-110. 114. 116-118. 120. 131. 132. 138. 142. 151-154. 156. 157. 161. 163. 166. 169. 171-179. 181. 185. 187-189. 194. 218-220. 265. 269n. 270n. 272n. 280. 281-285. 289. 303. 304; II. 5. 8. 9. 11. 12. 16. 18-20. 22. 24. 25. 28. 29. 32. 38. 40. 43-46. 49. 51. 52. 55. 61-64. 67-69. 71. 72. 74-76. 78. 79. 85. 87. 88. 93. 96-102. 104. 111. 113-115. 117-123. 125-131. 133. 134. 136. 139. 140. 144. 154. 156. 159. 170. 173. 177-179. 183. 197. 199. 210. 216. 217. 220. 223. 224. 226. 230. 232. 247. 258. 260-263. 266. 269-271. 274. 275. 280. 288-290. 294. 301. 312-314. 318. 322. 325. 328. 329. 331. 333. 334. 338. 339. 343-345. 350. 354. 357. 358; III. 3. 11. 18. 22. 35. 38. 44. 45. 51-55. 59. 61. 64. 65. 68. 70-72. 88. 89. 93. 112-114. 117. 120-124. 135. 136. 138. 139. 143-145. 153. 156. 158. 160. 164. 166. 169. 171. 177. 181. 184. 186. 188. 190. 192. 193-195n. 197. 199. 200. 204. 205. 208. 209. 212. 214. 216. 218-220. 222. 223. 226. 230-235. 237. 240. 247. 250. 254. 255. 261. 262. 269. 271. 274. 275. 279. 284. 288. 289. 294. 297. 299. 302. 306. 309. 310. 315. 316. 326. 328. 331. 334. 335. 342. 344. 346. 347. 349. 350. 357. 363. 364. 366. 369. 370. 373. 374. 376. 379. 382. 384. 391. 395. 397. 401. 402. 414. 429. 435. 436. 438.
 BASILIANI Italo-Graeci, Cryptoferratenses III. 120n. 247. 251. 289. 413. 414.
 BASILIDES Agapius (Vasylevyč), scabin. I. 274.
 BASILIDES Basilius I. 278.
 BASILIDES Oseas 280. 280n (Wasilewicz Azarko).
 BASILIDES Petrus I. 278.
 BASILIUS f. Michaëlis I. 159.
 BASILIUS Petri II. 248.
 BASTIUS Zacharias, not. II. 196. 215. 363; III. 15.
 BATISZKI, loc. III. 173.
 BELGIUM III. 380. 384.
 BELINICENSIS I. 244 (Decanus).
 BELZ, op. I. 20 (Ep. un.); III. 163 (Castellanus).
 BENEDICTINI III. 411 (Cassinenses).
 BENEDICTIO I. 237. 240.
 BENEDICTUS XIV, Papa, II. 149; III. 237. 246.
 BENEVENTANUS, AEp. III. 309. 440.
 BENINI Antonius, pictor III. 419.
 BENEVENUTUS, AEp. Granaten. III. 327.
 BEREST LYTOVSKYJ (Brest) op. I. 7n. 261. 264. - Capitaneus 255. - Ep. un. I. 20; II. 144. - cf. Volodimiriensis. - Palatina 154. 163. 164. 174. - Palatinus 71. - Synodus 26n. 261n. - Unio 6n. 25n.
 BERGERETTI Laurentius, AEp. III. 333.
 BERNARDINI II. 357.
 BERNARDINUS, Ep. Terracinae III. 395. 396.
 BERTINI Petrus III. 404.
 BESSARION, AEp. Nicaenus III. 429.
 BEVERLACENSIS, Ep. III. 356.
 BIALA (Bila) op. III. 271. 272. - Monast. OSBM 239. 240.
 BIALOUS Stephanus, chirurg. II. 317.
 BIALAZOR Carolus I. 302.
 BIALLOZOR Marcianus, Ep. Pinsc. III. 193.
 BIBKO Gregorius I. 278. 279n (Hryszko).
 BICHOVIEN. APresh. III. 212.
 BIEKUSZA Basilius I. 279. 279n. (Pekuczna Wasko).
 BIELORUSSIA (Alba Russia) I. 11. 52n. 55. 80. 92. 103. 109. 118. 119. 148. 166. 173. 193. 217. 219; II. 67 (Prussia). 98. 121. 130. 149n. 173. 177. 225; III. 113. 120. 161. 197. 362. 365. 395. - ADiacon. 257. 262.
 BIELSKI Zacharias, OSBM, I. 108. 153.
 BIENKOWSKI Gregorius, OSBM, III. 203.
 BIESIENKOWICZE, loc. I 244 (Besenchovien.) 273. 274. 275; III. 212.
 BILEWICZ Joannes Carolus III. 174. 176.
 BILIO, Card. Aloysius III. 316. 428. 441.
 BINDI Henricus, Ep. III. 401. 402.
 BIRKUSKI Fabianus, Ord. Praed. II. 265 (Bircouski).
 BIRUK Theodorus I. 111. 204.
 BISUNTINUS, AEp. III. 440.
 BITEN v. Byten.
 BITYNSCHI Gregorius, sac. I. 265.
 BIZANTIUM 263 (Imperator)
 BIZARRI, Card. Andreas III. 214. 428. 441.
 BLANCHETTUS III. 93.
 BLASKOVSKY Nicolaus II. 202.

- BLESENSIS, Ep. III. 353. 354.
 BLONENSIS Simon, S.J. I. 172.
 BLONSCEN. III. 212 (APresb.).
 BOBINICEN. I. 244 (Decan.).
 BOBRUISCEN. III. 212.
 BOCCOVIEN. II. 201 (Praeposit.).
 BOCHANSKI Joannes II. 220. 260 (Buchanski). 291. 317.
 BOCHI, loc. I. 274.
 BOFONDI, Card. Josephus III. 317. 428. 441.
 BOGOTA III. 376.
 BOHDANUS I. 112.
 BOHEMIA III. 205.
 BOLESLAUS Audax, rex Pol. I. 46n.
 BOLHARYNOVYČ Josephus, Metrop. Kiov. I. 259n.
 BOLOGNA, op. III. 122. 137. 315 (AEp.). - Bononia.
 BONA, Card. Joannes II. 158; III. 218. 219.
 BONESANA Franciscus, Nunt. Pol. III. 227.
 BONIACKIEWICZ Carpus II. 353. 354.
 BONICZ (Bonitius) Basilius I. 109. 197. 265. 272. 280.
 BONICZ Gregorius, not. I. 109. 197. 198. 204. 205. 209. 210. 213. 216. 265. 266n. 273. 280; II. 132. 303. 350.
 BONIFACIUS IX, Papa, II. 187.
 BONNECHOSE, Card. Henricus Maria III. 315. 441.
 BONONIA, op. I. 6n; II. 98n; III. 299. 441 (AEp.).
 BORBONIUS DE MONTE, Card. Franciscus Maria II. 96.
 BORDZIŁOWSKI Paulus I. 157.
 BORDZIŁOWSKI Theophilus I. 157.
 BORECKYJ Hiob, Metrop. Kiov. sch. I. 58n. 64n. 247. 258; II. 347.
 BORGIA Stephanus, Secret. III. 239. 241. 243. 244. 245.
 BORGILACII, loc. II. 343. 344 (Borgilovien.).
 BORISOV, op. I. 212 (APresb.). 244.
 BORYSTHENES, fl. III. 160. 170.
 BOROVICKI, villa III. 215.
 BOROVIK Philippus, OSBM, II. 79n. 199; III. 11. 22. 24. 38n. 41 (Burovio). 44n. 112. 116. 119. 137. 138.
 BOROVIK Theodosius, OSBM, II. 224.
 BORROMEUS, Card. Federicus III. 218.
 BORUSSI III. 271.
